



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>


cæterum præstant libelli editiones Germanicæ et Gallica, quas curaverunt viri doctissimi Sigwart, Schaarschmidt, Janet.


Principia Cartesiana, Cogitationes Metaphysicæ, libellus de Iride, ex editionibus principibus repetita sunt. Hujus quum duo exemplaria innotuerint, Haganum unum, alterum in bibliotheca D. Bierens de Haan mathefeos professoris, in utroque tanquam appendicem invenimus programma quoddam, ut tunc loquebantur, ad Probabilium calculum pertinens, quod et ipsum Spinozæ vindicandum duximus.

Compendium Grammatices Linguae Hebrææ imperfectum mendis inquinatum erat nemini vel tironi tolerandis, quibusque purgandis vix manum admoverant aut Paulus aut Bruderus. Et quamquam nobis constat, auctorem in libro absolvendo nonnulla quæ scripsisset accuratius expressurum fuisse, tamen emendanda putavimus quæ ille ne dormitans quidem scribere potuisset.


Volumen ornandum curavimus philosophi imagine, quam juxta tabulam pictam Guelpherbytanam e Petri Francii supellectili comparatam exculpfit artifex sollertissimus P. J. Arendzen. Eadem tabula folis ope expressa exstat in libro modo laudato viri doctissimi Martineau. Paulinam vero, quam nunc exhibet Museum civitatis Haganæ, ex illa aliquanto minus feliciter exscriptam esse judicant artis periti. Figuram veterem æneam, quæ in quibusdam Operum Postumorum exemplis et in libro Pollockiano invenitur, ab eadem originem trahere existimant, nonnihil mutatis lineamentis, quo maturiorem viri ætatem et teneram valetudinem melius referret. Parvulam vero picturam Gothanam, quæ evulgata est in Supplemento Amstelodami a. 1862. edito et in opusculo Danico Haraldi Höffding c. t. *Spinozas Liv og Lære* (Havnix 1877.), jam constat non nostri sed Tschirnhausii fere vultum exprimere, ut et in Anglia quandam Oldenburgii pro Spinozæ imagine habitam











BENEDICTI DE SPINOZA
O P E R A.

Ex Officina FRATRUM GIUNTA D'ALBANI.



cæterum præstant libelli editiones Germanicæ et Gallica, quas curaverunt viri doctissimi Sigwart, Schaarschmidt, Janet.

Principia Cartesiana, Cogitationes Metaphysicæ, libellus de Iride, ex editionibus principibus repetita sunt. Hujus quum duo exemplaria innotuerint, Haganum unum, alterum in bibliotheca D. Bierens de Haan matheoseos professoris, in utroque tanquam appendicem invenimus programma quoddam, ut tunc loquebantur, ad Probabilium calculum pertinens, quod et ipsum Spinozæ vindicandum duximus.

Compendium Grammatices Linguae Hebrææ imperfectum mendis inquinatum erat nemini vel tironi tolerandis, quibusque purgandis vix manum admoverant aut Paulus aut Bruderus. Et quamquam nobis constat, auctorem in libro absolvendo nonnulla quæ scripsisset accuratius expressurum fuisse, tamen emendanda putavimus quæ ille ne dormitans quidem scribere potuisset.

Volumen ornandum curavimus philosophi imagine, quam juxta tabulam pictam Guelpherbytanam e Petri Francii supellectili comparatam exculpfit artifex sollertissimus P. J. Arendzen. Eadem tabula folis ope expressa exstat in libro modo laudato viri doctissimi Martineau. Paulinam vero, quam nunc exhibet Museum civitatis Haganæ, ex illa aliquanto minus feliciter exscriptam esse judicant artis periti. Figuram veterem æneam, quæ in quibusdam Operum Postumororum exemplis et in libro Pollockiano invenitur, ab eadem originem trahere existimant, nonnihil mutatis lineamentis, quo maturiorem viri ætatem et teneram valetudinem melius referret. Parvulam vero picturam Gothanam, quæ evulgata est in Supplemento Amstelodami a. 1862. edito et in opusculo Danico Haraldi Höffding c. t. *Spinozas Liv og Lære* (Havniæ 1877.), jam constat non nostri sed Tschirnhausii fere vultum exprimere, ut et in Anglia quandam Oldenburgii pro Spinozæ imagine habitam

BENEDICTI DE SPINOZA

OPERA

QUOTQUOT REPERTA SUNT.

RECOGNOVERUNT

J. VAN VLOTEN ET J. P. N. LAND.


VOLUMEN POSTERIUS.



HAGAE COMITUM
APUD MARTINUM NIJHOFF.

MDCCCLXXXIII.

21331.



ROY W
1936
VIA

L. S.

Postquam in priori volumine de universi operis ratione dictum est, hic jam paucis memorandum videtur, quæ illo edito vel repperimus vel censuerimus facienda.

Et primum quidem e Leibnitii schedis Hanoveræ asservatis forte fortuna emerferunt literæ ad philosophum Germanum datæ a G. H. Schullero, e quibus non tantum apparet, hunc ipsum Medicinæ Doctorem adornandis Operibus Posthumis operam suam et studium navasse, sed etiam, quorum virorum nomina amici olim ex Epistolis expungenda judicaverint. Sic enim scripsit ille d. 19. (N. S. 29.) m. Martii a. 1678.:

„Ultimæ [epistolæ] a 61. usque ad penultimas [literas] a „me et Tschirnhausio simul datæ et redditæ. S. de Vries „mercator et mennonista jam ante annos aliquot obiit et legatum 100. Imperialium quotannis auctori legavit. I. v. M. est „Joh. van der Meer, J. J. Jarigh Jelles, uterque mercator „adhuc in vivis, I. O. Joh. Oosten, chirurgus Roterodamensis. „Epistola 56. scripta est ad Pensionarium sive Syndicum Gorcomiensem Hugonem Buxen, mutatione Principis Auriaci ab „officio A°. 72. depositum. Epistola 50. ad J. J. data.”

De civis hujus Gorcomiensis nomine et vita comiter nos rogatu nostro edocuit, qui illi civitati hodie ab actis est, vir honestissimus W. Slootweg. Nominibus autem editis Christiani Hugenii addere non dubitavimus, quippe quem cum Spinoza tam de rebus opticis quam philosophicis egisse constet¹, et alia in autographis Amstelodamensibus servata.

¹ Cf. diarium c. t. de *Levensbode*, III. pp. 252 sqq.

Deinde, quum hæ Epistolæ non tam valeant ad Spinozæ familiares cognoscendos quam ad opiniones intelligendas, quas certis temporibus ipse enuntiaverit, earum ordinem ita mutare visum est, ut hoc imprimis manifestum fieret. In qua re dissentientem sane habemus doctissimum Anglum Jacobum Martineau, qui Epistolam in nostra editione XLIII post LXXV scriptam esse perhibet ¹. At in Operum Posthumorum præfatione hæc legimus: „Epistolæ in ordinem sunt redactæ „juxta tempora in quibus exaratae sunt: ea tamen ratione ordinatae sunt ut omnes ejusdem Viri Epistolæ et ad eas „responsiones se invicem sequantur.” Quum vero Ep. XLIII (olim XLIX) responsum contineat ad eam quæ proxime antecedit, mense Jan. a. 1671. scriptam, et utraque ab amicis ante epistolas Leibnitianas et Fabricianas posita sit ², fieri vix potest ut ad annum 1675. illa pertineat. Nec juvat provocare ad verba Epistolæ LXXV in XLIII repetita ³, in quibus auctor addiderit particulam *quod* post conjunctionem *vel*, orationem scilicet correcturus; nam et in exemplo Ep. LXXV ad Oldenburgium missõ exstat illa particula, atque ita videtur otiosa esse ut est in Tractatu Politico (vol. I. p. 310. vñ. 4.), ubi legitur *sed quod*, præcedente in utroque loco vocula *si*.

Dolendum quidem est quod Spinoza in quibusdam et suis et aliorum Epistolis describendis diem et annum omisit, attamen de locis singulis epistolis assignandis vix erat quod dubitarem.

Epistolam XV quanto accuratius descripserit Fredericus Pol-

¹ A Study of Spinoza. By James Martineau, LL. D., D. D., Principal of Manchester New College, London. 1882 et 1883. P. 98. utriusque editionis.

² Ep. L, teste veteri Ed. Belg., nescio quo errore ad m. Majum a. 1671. relata, ideoque et in Opp. Posth. perperam collocata est; etsi in his annis 1674. recte indicatur, quippe quo prodierit liber Mansveldianus a Spinoza inspectus.

³ Vide infra pagg. 171. vñ. 3. a f. et 243. vñ. 2.

lock quam olim fecerat Victor Cousin in Fragmentorum Philosophicorum vol. III, post hujus editionem nuper in Ginsbergii voluminis IV appendice repetitam denuo apparet.

Illam vero de obitu Cartesii, de qua in nova nostra Havniensi (p. 183.) fermo est, opportune nobis præbuit J. J. Cornelissen literarum Latinarum professor, ex schedis quas forte perlustrabat Leidensibus erutam; eam in ultimas libri paginas recipere decrevimus.

Sermonis Batavi usum quem Spinoza habuerit, visum est ex autographis et veteris editionis locis singularibus illustrare. In hac enim, quoad ejus per elegantiae studium fieri poterat, auctoris verba servata sunt ¹.

Tractatuli de Deo, Homine, ejusque Salute, cujus versionem tantum vernaculam habemus, utrumque exemplum MS. hodie Bibliothecæ Regiæ Haganæ est. Horum neutrum ab ipso interprete profectum; unum ipso Spinozæ sæculo nitide exaratum ab indocto homine, qui orthographia utebatur modo prisca modo recentiori; alterum sæculo XVIII ex illo descriptum, et ex libidine etsi haud inscite emendatum a Joh. Monnikhoff chirurgo Amstelodamensi philosophiæ studioso. Attamen ad illud reverti omnia suadebant, nec quidquam omittere præter ineptas rerum repetitiones ab interprete in margine factas et eas vocabula scribendi rationes quarum usus jam florente Spinoza amissus erat. Continuumus autem nos a Latina versione, vel potius restitutione, lectoribus offerenda, ne forte documentorum veritati nostris interpretationibus officere videremur;

¹ Interpretem Operum Posthumorum chartis Spinozæ MSS. potius quam prelo expressis usum esse, et per autographa Batava Amstelodamensia probatur, et etiam præter Epistolas, ubi non nisi Latina habebat, verisimile nobis videtur, non obstantibus iis quæ annotavit Sigwart de Eth. IV. prop. LXVI. (*Gött. Gel. Anz.* 1882. St. 42. p. 1343). Nam ubi et ille et libri Latini editores locum turbatum variis modis, etsi frustra, emendare conati sunt, manifestum est, in chartis aliquid obscure scripti vel macula obsoleti existisse.

cæterum præstant libelli editiones Germanicæ et Gallica, quas curaverunt viri doctissimi Sigwart, Schaarschmidt, Janet.

Principia Cartesiana, Cogitationes Metaphysicæ, libellus de Iride, ex editionibus principibus repetita sunt. Hujus quum duo exemplaria innotuerint, Haganum unum, alterum in bibliotheca D. Bierens de Haan matheseos professoris, in utroque tanquam appendicem invenimus programma quoddam, ut tunc loquebantur, ad Probabilium calculum pertinens, quod et ipsum Spinozæ vindicandum duximus.

Compendium Grammatices Linguae Hebrææ imperfectum mendis inquinatum erat nemini vel tironi tolerandis, quibusque purgandis vix manum admoverant aut Paulus aut Bruderus. Et quamquam nobis constat, auctorem in libro absolvendo nonnulla quæ scripsisset accuratius expressurum fuisse, tamen emendanda putavimus quæ ille ne dormitans quidem scribere potuisset.

Volumen ornandum curavimus philosophi imagine, quam juxta tabulam pictam Guelpherbytanam e Petri Francii supellectili comparatam exsculpit artifex sollertissimus P. J. Arendzen. Eadem tabula solis ope expressa exstat in libro modo laudato viri doctissimi Martineau. Paulinam vero, quam nunc exhibet Museum civitatis Haganæ, ex illa aliquanto minus feliciter exscriptam esse judicant artis periti. Figuram veterem æneam, quæ in quibusdam Operum Postumorum exemplis et in libro Pollockiano invenitur, ab eadem originem trahere existimant, nonnihil mutatis lineamentis, quo maturiorem viri ætatem et teneram valetudinem melius referret. Parvulam vero picturam Gothanam, quæ evulgata est in Supplemento Amstelodami a. 1862. edito et in opusculo Danico Haraldi Höffding c. t. *Spinozas Liv og Lære* (Havniæ 1877.), jam constat non nostri sed Tischirnhaußii fere vultum exprimere, ut et in Anglia quandam Oldenburgii pro Spinozæ imagine habitam

fuisse didicimus. Ea vero, quam repeti curarunt Schaarschmidt et Auerbach, vix dubitari potest quin sit philosophi imago veste domestica induti ¹, quam teste Seb. Kortholto pinxit hospes ejus Haganus.

Tanquam scripturæ specimina dedimus photographica arte expressas Epistolas nostras XXVII et XXVIII, Latinam alteram, alteram Batavam avitis, ut tunc solebant, literarum formis conscriptam.

Itaque jam absoluto opere restat ut gratias agamus quam maximas omnibus qui et consilio et opera sua nos adjuvarunt, lectorisque veniam petamus si quid a nobis vel prætermisum vel peccatum fuerit. Atque in priori quidem volumine hæc tantum errata nobis indicavit Sigwartius:

Pag. 252 v. 9. *Viri*; lege: *Viro* — p. 259 v. 2 a f. *præmedidata*; l. *præmeditata* — p. 292 v. 8 a f. *velute*; l. *veluti* — p. 385 v. 5 a f. *Deo*; l. *Dei* — p. 401 v. 16 a f. *Concessi*; l. *Concessit* — p. 412 v. ult. *propinquis*; l. *propinquus* — p. 418 v. 5 a f. *cognitions*; l. *cognitionis* — p. 537 v. penult. *per plures*; l. *perplures*.

Sic etiam v. c. in p. 101 v. 14 a f. *Idea* numero plurali legendum; in p. 442 v. 17 a f. מתכמיהם. Quod autem in in p. 11 ann. 1 voci *causatur* negationem a Paulo propositam addere nolimus, explanatur annotatione p. 148 collata pag. 61 v. 12 sqq.; etsi nunc, illam ægre desiderari, Sigwartio monenti libenter concedimus.

Sed et in illo volumine quædam alia latere et in hoc aliquanto plura repertum iri facile intelliget quicumque verba Latina, nedum Hebraica punctis instructa, prelo subjecerit.

¹ Cf. Colerus, art. VIII.

Hucusque communi consilio scripseramus librique nostri paginæ 602. prelum reliquerant, quum die 21. hujus mensis repentino morbo absumptus est Johannes van Vloten operis hujus socius. Viro patriæ amore flagranti, variæ doctrinæ copia insigni, persuasionis suæ propugnatori acerrimo quantum debeant studia historica et literaria, horum cultores rite celebrabunt. Mihi quidem in hujus operis fine defuncti memoria justis laudibus prosequenda, qui philosophi studium diu neglectum civibus usque commendaverit, qui et antea et in hac illius operum editione curanda documenta abscondita et deperdita summa industria protulerit et conquisiverit, qui statutz ejus ponendæ scriptorumque emendandorum primarius auctor extiterit. Quibus meritis, etiamsi ipse de iis modeste judicare solebat, tamen haud dubie id effecit, ut nomen ejus cum Spinozæ honore perpetuo vinculo conjunctum sit futurum.

D. Lugd. Bat. m. Sept. a. 1883.

J. P. N. LAND.

EPISTOLÆ

DOCTORUM QUORUNDAM VIRORUM


AD

B. D. S.

Et Auctoris

RESPONSIONES,

AD ALIORUM EJUS OPERUM
ELUCIDATIONEM NON PARUM FACIENTES.



EPISTOLÆ.

EPISTOLA I.

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

Clarissime Domine, Amice colende,

Tam ægre nuper, cum tibi in secessu tuo Rhenoburgi adessem, a latere tuo divellebar, ut, quamprimum in Angliam factus sum redux, tecum rursus uniri, quantum fieri potest, commercio saltem epistolico annitar. Rerum solidarum scientia, conjuncta cum humanitate et morum elegantia (quibus omnibus Natura et Industria amplissime te locupletarunt), eas habent in semetipsis illecebras, ut viros quosvis ingenuos et liberaliter educatos in sui amorem rapiant. Age itaque, Vir Præstantissime, amicitia non fucatæ dextras jungamus, eamque omni studiorum et officiorum genere sedulo colamus. Quod quidem a tenuitate mea proficisci potest, tuum judica. Quas tu possides ingenii dotes, earum partem, cum sine tuo id fieri detrimento possit, me mihi vindicare * sinas. Habebamus Rhenoburgi sermonem de Deo, de Extensione et Cogitatione infinita, de horum attributorum discrimine et convenientia, de ratione unionis animæ humanæ cum corpore; porro de Principiis Philosophiæ Cartesianæ

* Ed. Pr.: *vindicare*, sed cf. vol. I. pp. 216, 322.

et Baconianæ. Verum, cum quasi per transfennam et in transcurfu duntaxat de tanti momenti argumentis tunc loqueremur, atque interim ista omnia menti meæ crucem figant, ex amicitia inter nos initæ jure tecum agere nunc aggrediar, ac peramanter rogare, ut circa subjecta præmemorata tuos conceptus nonnihil fusius mihi exponere, imprimis vero in hisce duobus me edocere non graveris; videlicet, primo, qua in re Extensionis et Cogitationis verum discrimen ponas; secundo, quos in Cartesii et Baconis Philosophia defectus observes, quaque ratione eos e medio tolli, ac solidiora substitui posse judices. Quo liberalius de hisce et similibus ad me scripseris, eo arctius me tibi devincies, et ad paria, si modo possim, præstanda vehementer obstringes. Sub prælo hic jam sudant Exercitationes quædam Physiologicæ a Nobili quodam Anglo *, egregiæ eruditionis viro, perscriptæ. Tractant illæ de aëris indole et proprietate Elastica, quadraginta tribus experimentis comprobata: de Fluiditate item et Firmitudine, et similibus. Quamprimum excusæ fuerint, curabo, ut per Amicum, mare fortassis trajicientem, tibi exhibeantur. Tu interim longum vale, et amici tui memor vive, qui est

Tuus omni affectu et studio

HENRICUS OLDENBURG.

Londini $\frac{16}{26}$ August. 1661.

EPISTOLA II.

Viro Nobilissimo ac Doctissimo

HENRICO OLDENBURGIO

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Vir Clarissime,

Quam grata sit mihi tua amicitia, ipse judicare poteris, modo simul a tua humanitate impetrare possis, ut tibi ad virtutes, quibus

* Roberto Boyle: cf. Ep. VI.

abundas, reflectere liceat; et quamvis, quamdiu ipsas contemplor, non parum mihi videar superbire, nempe quod eam tecum inire audeam, præsertim dum cogito amicorum omnia, præcipue spiritualia, debere esse communia, tamen hoc tuæ humanitati potius, simul et benevolentix, quam mihi erit tribuendum. Summitate enim illius te deprimere, et copia hujus adeo me locupletare voluisti, ut arctam amicitiam, quam mihi constanter polliceris, et a me reciprocam dignatus es petere, inire non verear, eaque ut sedulo colatur, enixe sim curaturus. Ingenii mei dotes quod attinet, si quas possiderem, eas te tibi vindicare * libentissime sinerem, quanquam scirem, id non sine meo magno detrimento futurum. Sed, ne videar hoc modo tibi, quod a me jure amicitix petis, velle denegare, quid circa illa, de quibus loquebamur, sentiam, conabor explicare; quanquam non putem, nisi tua benignitas interfit, hoc medium futurum, ut mihi arctius devinciariis.

De Deo itaque incipiam breviter dicere; quem definitio esse *Ens constans infinitis attributis*, quorum unumquodque est infinitum, sive summe perfectum, in suo genere. Ubi notandum, me per attributum intelligere omne id, quod concipitur per se et in se, adeo ut ipse conceptus non involvat conceptum alterius rei. Ut ex. gr. *Extensio* per se et in se concipitur; at *motus* non item, nam concipitur in alio, et ipsius conceptus involvit *Extensionem*. Verum, quod hæc sit vera Dei definitio, constat ex hoc, quod per Deum intelligamus *Ens summe perfectum et absolute infinitum*. Quod autem tale ens existat, facile est ex hac definitione demonstrare; sed, quia non est hujus loci, demonstratione superfedebam. Sed quod hic demonstrare debeo, ut primæ quæstioni V. Clar. satisfaciam, sunt hæc sequentia. Primo, quod in rerum natura non possunt existere duæ substantiæ, quin totâ essentiâ differant. Secundo, substantiam non posse produci, sed quod sit de ipsius essentia, existere. Tertio, quod omnis substantia debeat esse infinita, sive summe perfecta, in suo genere; quibus demonstratis facile poterit videre Vir. Clar., quo tendam, modo simul attendat ad definitionem Dei;

* Cf. p. 1. ann.

adeo ut non sit opus apertius de his loqui. Ut autem hæc clare et breviter demonstrarem, nihil melius potui excogitare, nisi ut ea more Geometrico probata examini tui ingenii subjicerem; ea ¹ itaque hic separatim mitto, tuumque circa ipsa iudicium exspectabo.

Petis a me secundo, quosnam errores in Cartesii et Baconis Philosophia observem. Qua in re, quamvis meus mos non sit aliorum errores detegere, volo etiam tibi morem gerere. Primus itaque et maximus est, quod tam longe a cognitione Primæ Causæ et originis omnium rerum aberrarint. Secundus, quod veram naturam humanæ Mentis non cognoverint. Tertius, quod veram causam Erroris nunquam affecti sint. Quorum trium quam maxime necessaria sit vera cognitio, tantum ab iis ignoratur, qui omni studio et disciplina prorsus destituti sunt. Quod autem a cognitione primæ Causæ, et humanæ Mentis aberraverint, facile colligitur ex veritate trium propositionum supra memoratarum: quare ad solum tertium errorem ostendendum me convertio. De Bacone parum dicam, qui de hac re admodum confuse loquitur, et fere nihil probat, sed tantum narrat. Nam primo supponit, quod intellectus humanus præter fallaciam sensuum suâ solâ naturâ fallitur, omniaque fingit ex analogia suæ naturæ, et non ex analogia universi; adeo ut sit instar speculi inæqualis ad radios rerum, qui suam naturam naturæ rerum immiscet, etc. Secundo, quod intellectus humanus fertur ad abstracta propter naturam propriam, atque ea, quæ fluxa sunt, fingit esse constantia, etc. Tertio, quod intellectus humanus gliscat, neque consistere aut acquiescere possit; et quas adhuc alias causas adsignat, facile omnes ad unicam Cartesii reduci possunt, scilicet quia voluntas humana est libera, et latior intellectu, sive ut ipse Verulamius (Aph. 49.) magis confuse loquitur, quia Intellectus ² luminis sicci non est, sed recipit infusionem a voluntate. (Notandum hic, quod Verulamius sæpe capiat Intellectum pro Mente, in quo a Cartesio differt.) Hanc ergo causam, cæteras ut nullius momenti parum curando, ostendam esse falsam, quod et ipsi facile vidissent, modo attendissent ad hoc, quod

¹ Vide Ethices partem 1. ab initio usque ad Prop. 4.

² Vide Verulamii Novum Organum lib. 1. Aphorismo 49. [„Intellectus manus luminis sicci non est, sed recipit infusionem a voluntate et affectibus“.]

scilicet voluntas differt ab hac et illa volitione, eodem modo ac albedo ab hoc et illo albo, sive humanitas ab hoc et illo homine; adeo ut æque impossibile sit concipere, voluntatem causam esse hujus ac illius volitionis, atque humanitatem esse causam Petri et Pauli. Cum igitur voluntas non sit nisi ens rationis, et nequaquam dicenda causa hujus et illius volitionis, et particulares volitiones, quia, ut existant, egent causa, non possint dici liberæ, sed necessario sint tales, quales a suis causis determinantur; et denique, secundum Cartesium, ipsissimi errores sint particulares volitiones; inde necessario sequitur, errores, id est particulares volitiones, non esse liberæ, sed determinari a causis externis, et nullo modo a voluntate; quod demonstrare promisi. Etc.

 EPISTOLA III.

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

Responsio ad præcedentem.

Vir Præstantissime et Amicissime,

Redditæ mihi sunt perdoctæ tuæ literæ, et magna cum voluptate perlectæ. Geometricum tuum probandi morem valde probo; sed meam simul hebetudinem incuso, quod, quæ tam accurate doces, ego haud ita prompte assequar. Patiaris igitur, oro, ut documenta istius meæ tarditatis tibi prodam, dum sequentes Quæstiones moveo, earumque solutiones a te peto.

Prima est, an clare et indubitanter intelligas, ex sola illa definitione, quam de Deo tradis, demonstrari, tale Ens existere? Ego sane, cum mecum perpendo, definitiones non nisi conceptus Mentis nostræ continere; Mentem autem nostram multa concipere, quæ non existunt, et sæcundissimam esse in rerum semel conceptarum multiplicatione et

augmentatione; necdum video, quomodo ex eo conceptu, quem de Deo habeo, inferre possim Dei existentiam. Possum quippe ex mentali congerie omnium perfectionum, quas in hominibus, animalibus, vegetabilibus, mineralibus, etc. deprehendo, concipere et formare substantiam aliquam unam, quæ omnes illas virtutes solide possideat; quin imo Mens mea valet easdem in infinitum multiplicare et augere, adeoque Ens quoddam perfectissimum et excellentissimum apud sese effigiare; cum tamen nullatenus inde concludi possit hujusmodi Entis existentia.

Secunda Quæstio est, an tibi sit indubitatum, Corpus non terminari Cogitatione, nec Cogitationem Corpore? cum adhuc sub iudice lis sit, quid sit Cogitatio, sitne motus corporeus, an actus quidam spiritalis, corporeo plane contradistinctus?

Tertia est, an axiomata illa, quæ mihi communicasti, habeas pro Principiis indemonstrabilibus, et Naturæ luce cognitis, nullaque probatione egentibus? Fortasse primum Axioma tale est; sed non video, quomodo tria reliqua in talium numerum referri queant. Secundum quippe supponit, nihil existere in rerum Natura præter Substantias et Accidentia, cum tamen multi statuunt, tempus et locum rationem habere neutrius. Tertium tuum Axioma, *Res nempe, quæ diversa habent attributa, nihil habere inter se commune*, tantum abest, ut clare a me concipiatur, ut potius contrarium ejus tota Rerum universitas videatur evincere: Res enim omnes nobis cognitæ tum in nonnullis inter se differunt, tum in quibusdam conveniunt. Quartum denique, *Res scilicet, quæ nihil commune habent inter se, unam alterius causam esse non posse*, non ita perspicuum est intellectui meo caliginoso, quin luce aliqua perfundi egeat. Deus quippe nihil formaliter commune habet cum rebus creatis, earum tamen causa a nobis fere omnibus habetur.

Hæc igitur Axiomata cum apud me non videantur extra omnem dubitationis aleam posita, facile conjicis, Propositiones tuas iis superstructas non posse non vacillare. Et quo magis eas considero, eo pluribus super eas dubitationibus obruor. Ad primam quippe expendo, duos homines esse duas Substantias, et ejusdem attributi, cum et unus et alter Ratione valeant; inde concludo, dari duas

Substantias ejusdem attributi. Circa secundam confidero, cum nihil possit esse causa sui ipsius, vix cadere sub captum nostrum, quomodo verum esse possit, *Substantiam non posse produci, neque ab alia quacunque Substantia*. Hæc enim Propositio omnes Substantias causas sui statuit, easdemque omnes et singulas a se invicem independentes, totidemque Deos facit, et hac ratione Primam omnium rerum Causam negat: quod ipsum lubens fateor me non capere, nisi hanc mihi gratiam facias, ut sententiam tuam de sublimi hoc argumento non-nihil enucleatius et plenius mihi aperias, doceasque, quænam sit Substantiarum origo et productio, rerumque a se invicem dependentia, et mutua subordinatio. Ut hac in re libere et fidenter mecum agas, per eam, quam inivimus, amicitiam te conjuro, rogoque enixissime, ut persuasum tibi habeas quam maxime, omnia ista, quæ mihi impertiri dignaberis, integra et salva fore, meque nullatenus commissurum, ut eorum quippiam in tui noxam aut fraudem a me evulgetur.

In Collegio nostro Philosophico experimentis et observationibus faciendis gnaviter, quantum per facultates licet, indulgemus, et concinnandæ Artium Mechanicarum Historiæ immoramur, ratum habentes, ex Principiis Mechanicis formas et qualitates rerum optime posse explicari, et per motum, figuram, atque texturam, et varias eorum complicationes omnia Naturæ effecta produci, nec opus esse, ut ad formas inexplicabiles et qualitates occultas, ceu ignorantiaæ asyllum, recurramus. Librum, quem promisi, tibi transmittam, quam primum Legati vestri Belgici, qui hic agunt, nuncium aliquem (ut sæpe facere solent) Hagam Comitum expedient, aut quamprimum Amicus quidam alius, cui tuto eum committere possim, ad vos excurrat. Veniam peto meæ prolixitati et liberrati, atque unice rogo, ut quæ sine ullis involucris et elegantissimis aulicis libere ad tuas reposui, in bonam partem, ut amici solent, accipias, meque credas sine fuco et arte

Tibi Additissimum

HENR. OLDENBURG.

Londini, die 27. Septemb. 1661.

EPISTOLA IV.

Viro Nobilissimo ac Doctissimo

HENRICO OLDENBURGIO

B. D. S.

*Responsio ad præcedentem.**Vir Clarissime,*

Dum paro ire Amstelædamum, ut ibi hebdomadam unam ac alteram commorer, tuam perquam gratam epistolam accepi, tuasque objectiones in tres, quas misi, Propositiones vidi; quibus folis, cæteris propter temporis brevitatem omiffis, conabor fatisfacere. Ad *primam* itaque dico, quod non ex definitione cujuscunque rei fequitur existentia rei definitæ: fed tantummodo (ut in Scholio, quod tribus Propositionibus adjunxi, demonftravi) fequitur ex definitione five idea alicujus attributi, id eft (uti aperte circa definitionem Dei explicui) rei, quæ per fe et in fe concipitur. Rationem vero hujus differentiæ etiam in memorato Scholio fatis clare, ni fallor, propofui, præcipue Philofopho. Supponitur enim non ignorare differentiam, quæ eft inter fictionem et inter clarum et diftinctum conceptum; neque etiam veritatem hujus Axiomatis, fcilicet, quod omnis definitio, five clara et diftincta idea, fit vera. Quibus notatis non video, quid ad primæ quæftionis folutionem ultra defideretur. Quare ad folutionem *fecunda* pergo. Ubi videris concedere, quod fi Cogitatio non pertineat ad Extensionis naturam, quod tum Extensio non terminaretur Cogitatione, nimirum cum de exemplo tantum dubites. Sed nota, amabo: fi quis dicat Extensionem non Extensione terminari, fed Cogitatione, annon idem dicet, Extensionem non effe absolute infinitam, fed tantum quoad Extensionem? Hoc eft, non absolute mihi concedit, Extensionem, fed quoad Extensionem, id eft in fuo genere, effe infinitam? At ais, forte Cogitatio eft ætus corporeus. Sit, quamvis nullus concedam; fed hoc unum non negabis, Extensionem, quoad Extensionem, non effe Cogitationem; quod ad meam definitionem explicandam, et ad tertiam Propositionem demon-

strandam, sufficit. Pergis *tertio* in ea, quæ proposui, objicere, quod Axiomata non sunt inter Notiones communes numeranda. Sed de hac re non disputo. Verum etiam de ipsorum veritate dubitas, imo quasi videris velle ostendere, eorum contrarium magis esse vero simile. Sed attende, quæso, ad definitionem, quam Substantiæ et Accidentis dedi, ex qua hæc omnia concluduntur. Nam, cum per Substantiam intelligam id, quod per se et in se concipitur, hoc est, cujus conceptus non involvit conceptum alterius rei; per modificationem autem, sive per Accidens, id quod in alio est, et per id, in quo est, concipitur; hinc clare constat, *primo*, quod Substantia sit prior naturâ suis Accidentibus. Nam hæc sine illa nec existere nec concipi possunt. *Secundo*, quod præter Substantias et Accidentia nihil detur realiter, sive extra intellectum. Nam quicquid datur, vel per se vel per aliud concipitur, et ipsius conceptus vel involvit conceptum alterius rei, vel non involvit. *Tertio*, quod res, quæ diversa habent attributa, nihil habent inter se commune. Per Attributum enim explicui id, cujus conceptus non involvit conceptum alterius rei. *Quarto* denique, quod rerum, quæ nihil commune habent inter se, una alterius causa esse non potest. Nam, cum nihil sit in effectu commune cum causa, totum, quod haberet, haberet a nihilo. Quod autem adfers, quod Deus nihil formaliter commune habeat cum rebus creatis, etc., ego prorsus contrarium statui in mea definitione. Dixi enim, Deum esse Ens constans infinitis attributis, quorum unumquodque est infinitum, sive summe perfectum, in suo genere. Quod autem adfers in primam Propositionem; quæso, mi amice, ut consideres, homines non creari, sed tantum generari, et quod eorum corpora jam antea existebant, quamvis alio modo formata. Verum hoc concluditur, quod libenter etiam fateor, scilicet quod, si una pars materiæ annihilaretur, simul etiam tota Extensio evanesceret. Secunda autem Propositio non multos Deos facit, sed tantum unum, scilicet constantem infinitis attributis, etc.

E P I S T O L A V.

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

*Responsio ad præcedentem.**Amice plurimum colende,*

Libellum, quem promiseram, en accipe, mihi que tuum de eo iudicium, imprimis circa ea, quæ de Nitro, deque Fluiditate ac Firmitudine inserit Specimina, rescribe. Gratias tibi maximas ago pro eruditis tuis literis secundis, quas heri accepi. Doleo tamen magnopere, quod iter tuum Amstelædamense obfuerit, quo minus ad omnia mea dubia responderis. Quod tum prætermisum, quamprimum per otium licuerit, expedias oro. Multum quidem mihi lucis in posteriori hac epistola affudisti, non tamè tantum, ut omnem caliginem dispulerit; quod tum, credo, fiet feliciter, quando distincte et clare de vera et prima rerum origine me instruxeris. Quamdiu enim perspicuum mihi non est, a qua causa, et quomodo, res cœperint esse, et quo nexu a prima causa, si qua talis sit, dependeant; omnia, quæ audio quæque lego, scopæ mihi dissolutæ videntur. Tu igitur, Doctissime Domine, ut facem hac in re mihi præeas *, deque mea fide et gratitudine non dubites, enixe rogo, qui sum

Tibi addiſſimus

HENR. OLDENBURG.

Londini $\frac{11}{21}$ Octob. 1661.

21

* Fortasse: *præferas.*

E P I S T O L A VI,

Continens Annotationes in librum

Nobilissimi Viri ROBERTI BOYLE,

*De Nitro, Fluiditate, et Firmitate.**Viro Nobilissimo ac Doctissimo*

HENRICO OLDENBURGIO

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.[Exemplum Oldenburgio missum hodie Londini apud Societatem
Regiam servatur.]*Vir Clarissime,*

Librum ingeniosissimi Boylii accepi, eumque, quantum per otium licuit, evolvi. Maximas tibi ago gratias pro munere hoc. Video me non malam antehac, cum primum hunc mihi librum promiferas, fecisse conjecturam, nempe, te non nisi de re magni momenti sollicitum fore. Vis interim, Doctissime Domine, ut tibi meum tenue de iis, quæ scripsit, iudicium mittam; quod, ut mea fert tenuitas, faciam, notando scilicet quædam, quæ mihi obscura sive minus demonstrata videntur. Neque adhuc omnia, propter occupationes, percurrere, multo minus a) examinare potui. Quæ igitur circa Nitrum, etc. b) notanda reperio, sequentibus accipe.

D E N I T R O. c)

Primo colligit ex suo experimento de redintegratione Nitri, Nitrum esse quid d) heterogeneum, constans ex partibus fixis et volatilibus, cujus tamen natura (saltem quoad Phænomena) valde differt a natura partium, ex quibus componitur, quamvis ex sola mera mixtura harum partium oriatur. Hæc, inquam, conclusio ut diceretur bona, videtur mihi adhuc requiri aliquod experimentum, quo ostendatur, Spiritum

a) Lond.: propter occupationes examinare, omittis percurrere, multo minus.

b) circa nitrum et sequentia huc usque.

c) Deest in L. d) esse corpus.

Nitri non esse revera Nitrum, neque absque ope salis lixiviosi posse ad consistentiam reduci, neque *a*) crystallifari; vel ad minimum requirebatur inquirere, an salis fixi, quæ in crucibulo manet, quantitas semper eadem ex eadem quantitate Nitri, et ex majore *b*) secundum proportionem reperitur. Et quod ad id attinet, quod Clarissimus Vir *c*) ait (Sect. 9.) se ope libellæ deprehendisse, et etiam quod Phænomena Spiritûs Nitri adeo sint diversa, imo quædam contraria Phænomenis ipsius Nitri *d*); nihil, meo quidem iudicio, faciunt ad confirmandam ejus conclusionem. Quod ut appareat, id, quod simplicissimum occurrit ad hoc *e*) de redintegratione Nitri explicandum, paucis exponam; simulque duo aut tria experimenta admodum facilia adjungam, quibus hæc *f*) explicatio aliquo modo confirmatur. Ut itaque hoc Phænomenon quam simplicissime explicem, nullam aliam differentiam inter Spiritum Nitri et ipsum Nitrum *g*) ponam, præterquam eam, quæ satis est manifesta; hanc scilicet, quod particulæ hujus quiescant, illius vero non parum concitatæ *h*) inter sese agitentur. Et fixum sal quod attinet, id nihil facere ad constituendam essentiam Nitri *i*) supponam; sed ipsum ut *k*) fæces Nitri considerabo, a quibus neque ipse spiritus Nitri (ut reperio) *l*) liberatur, sed ipsi, quamvis confrictæ, satis copiose innatant *m*). Hoc sal, sive hæ fæces, poros sive meatus habent excavatos ad mensuram particularum Nitri *n*). Sed vi ignis, dum *o*) particulæ nitrosæ ex ipsis expellebantur, quidam angustiores evaserunt, et per consequens alii dilatari cogeantur, et ipsa substantia, sive parietes horum meatuum, rigidæ, et simul admodum fragiles reddebantur; ideoque, cum Spiritus Nitri ipsi instillaretur, *p*) quædam ipsius particulæ per angustiores illos meatûs impetu se insinuare inceperunt, et *p*), cum ipsarum crassities (ut a Cartesio non male demonstratur) sit inæqualis, eorum

a) sive. *b*) majori. *c*) cl. autor.

d) diversa ab ipsis nitri imo quadam contraria.

e) ad hoc fenomenon. *f*) adferam, quibus mea. *g*) nitrum ipsum.

h) concitate. *i*) q. att., nihil ad essentiam nitri constituendam facere.

k) tanquam f. n. jam conf. *l*) a. q. (ut rep.) neque ipse sp. n. profusus.

m) quamvis admodum confr. inn. *n*) habet ad m. p. n. excav.

o) dum in cum mutatum.

p) et quadam . . . incipient.

rigidos parietes prius fledebant, instar arcus, antequam eos frangerent; cum autem ipsos frangerent, illa fragmenta *a*) reflire cogebant, et fuum, quem habebant, motum retinendo æque ac antea ineptæ manebant ad consistendum atque crySTALLISANDUM; partes vero Nitri *b*) per latiores meatus se insinuantes, quoniam ipsorum *c*) parietes non tangebant, necessario ab aliqua materia subtilissima cingebantur *d*), et ab eadem, eodem modo ac a flamma *e*) vel calore partes ligni, sursum expellebantur *f*), et in fuum avolabant; at *g*) si fatis copiosæ erant *h*), sive quod cum fragmentis parietum, et cum particulis per angustiores meatus ingredientibus, congregarentur *i*), guttulas componebant sursum volitantes. Sed si sal fixum ope aquæ ¹ vel aëris *k*) laxetur, languidiusque reddatur, tum fatis aptum fit ad cohibendum impetum particularum Nitri *l*), et eas cogendum, ut, quem habebant, motum amittant, atque iterum consistant *m*), eodem modo ac globus tormentarius, cum arenæ aut luto impingit. In sola *n*) hac consistentia particularum Spiritus Nitri, Nitri redintegratio consistit, ad quam efficiendum sal *o*) fixum (ut ex hac explicatione apparet) *p*) tanquam instrumentum adhibetur. Huc usque de redintegratione. *q*)

Videamus jam, si placet, primo, cur Spiritus Nitri, et ipsum Nitrum, sapore adeo inter se differant; secundo, cur Nitrum sit *r*) inflammabile, Spiritus vero Nitri *s*) nullo modo? Ut primum intelligamus, advertendum est, quod corpora, quæ sunt in motu, nunquam aliis corporibus occurrant *t*) latissimis suis superficiebus; quiescentia vero aliis incumbunt latissimis suis superficiebus: particule itaque Nitri, si, cum quiescunt, linguæ imponantur, ei incumbunt

a) fragmenta horum parietum.

b) particulae vero spiritus nitri.

c) eorum.

d) accing.

e) ab igne.

f) pellebantur.

g) et.

h) copiosa congregabantur.

i) congregabantur.

¹ Si quæris, cur

ex instillatione [L: affusione] spiritus Nitri in sal fixum dissolutum [L: in solutionem salis fixi in aqua dissoluti] ebullitio oriatur, [L: magna etiam ebullitio oriatur?] lege [L: vide] notam in §. 24.

k) aeris, vel aquae.

l) spiritus nitri.

m) omitterent . . . confisterent.

n) et in sola.

o) efficiendam nitrum.

p) Parenthesin omittit L.

q) Hæc quatuor vocabula omittit L.

r) est.

s) ejus vero spiritus.

t) nunquam occurrunt aliis corp.

latissimis suis superficiebus, et hoc modo ipsius poros obstruent, quæ causa est frigoris; adde quod salivâ non potest Nitrum dissolvi in particulas adeo minutas *a*). Sed si, cum hæ particulæ concitate moventur, linguæ imponantur, occurrent ipsi acutioribus superficiebus, et per ejus poros se insinuabunt, et quo concitatus moveantur, eo acrius linguam pungent; eo *b*) modo ac *c*) acus, quæ, si linguæ occurrat cuspidè, aut sua longitudine ipsi incumbat, diversas oriri faciet sensationes.

Causa vero *d*), cur Nitrum sit inflammabile, Spiritus autem *e*) non item, est, quia, cum particulæ Nitri quiescunt *f*), difficilius ab igne sursum ferri possunt, quam cum proprium versus omnes partes habeant motum, ideoque, cum quiescunt, tamdiu igni resistunt, donec ignis eas ab invicem separet, atque undequaque cingat; cum vero ipsas cingit, huc illuc ipsas secum rapit, donec proprium acquirant motum, et *g*) sursum in fumum abeant *h*). Sed particulæ spiritus Nitri *i*), cum jam sint in motu, et ab invicem separatæ, a *k*) parvo calore ignis in majori sphæra undequaque dilatantur *l*), et hoc modo *m*) quædam in fumum abeunt, aliæ *n*) per materiam, ignem suppeditantem, se insnuant, antequam flamma *o*) undequaque cingantur; ideoque ignem potius extinguunt quam alunt.

Pergam jam ad experimenta, quæ hanc *p*) explicationem *q*) comprobare videntur. Primum est, quod reperi *r*) particulas Nitri, quæ inter detonandum in fumum abeunt, merum esse nitrum: nam, cum semel atque iterum Nitrum liquefacerem, donec *s*) crucibulum satis incauderit, atque prunâ micante *t*) incenderem, ejus fumum calice vitreo frigido excepi, donec ab ipso irroraretur, et postea *v*) halitu oris

-
- | | | |
|--|------------------------------------|--|
| <i>a</i>) L. addit: ac fit ope ignis. | <i>b</i>) eodem. | <i>c</i>) atque. |
| <i>d</i>) autem. | <i>e</i>) at spiritus. | <i>f</i>) quia p. nitri (quandoquidem quiescunt). |
| <i>g</i>) et tum. | <i>h</i>) abeunt. | |
| <i>i</i>) sp. nitri particula. | <i>k</i>) L. omittit a. | |
| <i>l</i>) in m. sph. statim versus omnes partes moventur. | <i>m</i>) et sic. | |
| <i>n</i>) et alia. | <i>o</i>) a flamma. | <i>p</i>) hanc meam. |
| <i>q</i>) L. addit: phenomeni. | <i>r</i>) 1°. quia reperio. | |
| <i>s</i>) tamdiu liquefieri finerem, quoad. | <i>t</i>) ipsumque pruna micanti. | |
| <i>v</i>) ejus fumo calicem vitreum (quem, ut satis frigidus esset, curabam), irrorabam; ac statim. | | |

calicem etiam ultra madefeci *a*), et tandem *b*) ¹ aëri eum frigido exposui, ut siccaretur *c*). Quo facto hic illic in calice *d*) stiriolæ Nitri apparuerunt. Et ut minus suspicarer, id non ex folis particulis volatilibus fieri, sed quod forte flamma partes integras Nitri secum raperet (ut secundum Clarissimi Viri *e*) sententiam loquar), et fixas simul cum volatilibus, antequam dissolverentur, ex se expelleret; hoc, inquam, ut minus suspicarer, fumum per tubum ultra pedem *f*) longum, ut *A*, quasi per caminum ascendere feci *g*), ut partes ponderosiores tubo adhærerent *h*), et folas volatiliores, per angustius foraminulum *i*) *B* transeuntes, exciperem; *k*) et res, uti dixi, successit. Verum *l*) neque hic subsistere *m*) volui; sed, ut rem ulterius examinarem, majorem quantitatem Nitri accepi *n*), liquefeci, et prunâ micante *o*) incendi, atque, uti antea, tubum *A* *p*) crucibulo imposui, et juxta *q*) foramen *B*, quamdiu flamma duravit *r*), frustulum speculi *s*) tenebam, cui materia quædam adhæsit, quæ aëri exposita liquecebat *t*), et *v*),



quamvis aliquot dies expectaverim, nullum *x*) Nitri effectum observare potui; sed, postquam spiritum Nitri affundebam, in Nitrum mutabatur *y*). Ex quo *z*) videor posse concludere, primo, quod partes fixæ inter liquandum a volatilibus separantur *aa*), et quod flamma

a) hal. oris cum ulterius humectabam. *b*) ac deinde.

¹ Cum hæc experiebar, aër erat serenissimus. [L: NB. hoc tempore sereno debet fieri.]

c) exponebam. *d*) et postquam calix ab aere siccaretur, hic illic.

e) Cl. autoris. Parenthesis ante secum raperet. *f*) plus quam pede.

g) q. per cam. prius, ut ascenderet faciebam. *h*) hærerent.

i) foramen. *k*) L addit: et etiam parvum nitri quantitatem sumebam, ut flamma demissor (demissor), atque minus concitata foret.

l) succedebat. Porro. *m*) sistere. *n*) sumfi. *o*) micanti.

p) quo factò tubum *A* continuo, ut antea. *q*) super.

r) duraverat. *s*) Vitrum planum.

t) humectabatur, unde statim conjeci eam ex salis partibus fixis constare.

v) neque.

x) expectavi, ullam stiriolam nitri, neque aliquem.

y) sed, ex affusione spiritus nitri, statim nitrum inde oriebatur.

z) quare.

aa) quod, inter liquandum partes nitri a sale illo fixo sep.

ipfas ab invicem diffociatas sursum pellit *a*). *Secundo*, quod, postquam partes fixæ a volatilibus inter detonandum diffociantur, iterum confociari non possunt *b*): ex quo concluditur *tertio*, quod partes *c*), quæ calici adhæserunt, et in stiriolas coäluerunt, non fixæ, sed tantum volatiles fuerunt. *d*)

Secundum experimentum, et quod ostendere videtur, partes fixas non nisi fæces Nitri esse *e*), est, quod Nitrum, quo magis est defæcatum, eo volatilius, et magis aptum ad crySTALLIFANDUM *f*) reperio. Nam cum crystallos Nitri defæcati sive filtrati *g*) poculo vitreo, qualis *h*) est *A*, imponerem, et parum aquæ frigidæ infunderem, simul cum aqua illa frigida partim evaporabat, et sursum circa vitri labra particulæ illæ fugitivæ hærebant, et in stiriolas coalescebant. *i*)



Tertium experimentum, quod *k*) indicare videtur, particulas spiritûs Nitri, ubi suum motum *l*) amittunt, inflammabiles reddi, est: Guttulas *m*) Spiritûs Nitri involucro chartaceo humido instillavi, ac *n*) deinde arenam injeci *o*), per cuius meatus spiritus Nitri continuo se insinuabat; et postquam arena totum, aut fere totum spiritum Nitri imbiberat, eam in eodem involucro super *p*) ignem probe exsiccavi; quo factô arenam deposui, et chartam prunæ micanti appofui *q*), quæ, statim atque ignem apprehendebat *r*), eodem modo scintillabat *s*), ac facere solet, cum ipsum Nitrum imbiberit. Alia, si mihi fuisset commoditas ulterius *t*) experiundi, his

a) et quamvis flamma partes etiam fixas a se expellat, eas non nisi a volatilibus (ut a cl. autore vocantur) diffociatas a se expellit.

b) 2^o, quod partes hæ volatiles, postquam semel a sale *f*. diffociantur, non possunt propter minus concitatum motum, se per poros ejusdem salis iterum insinuare.

c) quare sequitur, 3^o, quod partes sumi. *d*) et in aère frigido in stiriolas nitri concreverant, partes nitri fuerant, a sale fixo separata, et nitrum, in quod concreverant, crystallos fuerant, qui ex salis partibus volatilibus constabant.

e) L. omittit et quod... esse.

f) L. magis ad crist. aptum ipsum.

g) nitri filtrati. *h*) vitro, quale. *i*) fugitivæ in stiriolas congregabantur. *k*) sum et quod. *l*) ubi motum. *m*) I. addit: aliquot.

n) et.

o) inspersi.

p) subter.

q) apponebam.

r) apprehenderat.

s) scintillavit.

t) L. omittit ulterius.

adjunxiffem, quæ fortassis *a*) rem prorsus indicarent; sed, quia aliis rebus prorsus sum distractus, in aliam occasionem, tua venia, *b*) differam, et ad alia notanda pergam.

§. 5. Ubi Vir Clarissimus de figura particularum Nitri obiter agit, culpatur Modernos Scriptores, quod ipsam *c*) perperam exhibuerint, inter quos nescio an etiam Cartesium intelligat. Eum si intelligit, forte ex aliorum dictis ipsum culpatur. Nam Cartesius non loquitur de talibus particulis, quæ oculis conspici queunt *d*). Neque puto Clarissimum Virum intelligere *e*), quod, si stiriolæ Nitri abraderentur *f*), donec in parallelipeda *g*), aut in aliam quamcunque figuram mutarentur *h*), Nitrum esse definirent; sed forte Chymicos aliquos notat *i*), qui nihil aliud admittunt, nisi quod oculis videre et manibus palpare possunt *k*).

§. 9. Si hoc experimentum accurate potuisset fieri, prorsus confirmaret id, quod concludere volebam ex primo supra memorato experimento.

§. 13. Usque ad 18. conatur *l*) Vir Clarissimus ostendere, omnes tactiles qualitates pendere a solo motu, figura, et cæteris mechanicis affectionibus, quas demonstrationes, quandoquidem a Clarissimo viro non tanquam Mathematicæ proferuntur, non opus est examinare, an prorsus convincant. Sed interim nescio, cur Clarissimus Vir *m*) hoc adeo sollicitè conetur *n*) colligere ex hoc suo experimento; cum jam hoc a Verulamio, et postea a Cartesio satis superque demonstratum sit *o*). Neque video, hoc experimentum luculentiora nobis præbere indicia, quam alia satis obvia experimenta. Nam, quod calorem attinet *p*), an idem non æque clare apparet ex eo, quod, si duo ligna, quamvis frigida, contra se invicem confricentur, flammam ex solo illo motu concipiant? quod calx inspersa aqua *q*) incalescat? Ad sonum quod attinet, non video, quid in hoc experimento magis notabile reperiatur, quam reperitur in aquæ communis

a) fortasse. *b*) L. addit: ea. *c*) eam. *d*) possunt.

e) Et sane mirarer, si cl. vir intelligere velit. *f*) raderentur.

g) parallelipedum. *h*) L. addit: quod inquam suam naturam amitterent, et. *i*) L. addit: ex eorum genere. *k*) palpant. *l*) querit.

m) vir cl. *n*) querit. *o*) hæc . . . demonstrata sint.

p) nam quoad 1. de calore. *q*) aqua inspersa.

ebullitione, et in aliis multis. De colore autem, *a*) ut tantum probabilia adferam, nihil aliud dicam *b*), nisi quod videmus omnia virentia in tot, tamque diversos, colores mutari. Porro corpora, tetrum odorem spirantia *c*), si agitentur *d*), tetriorem spargunt odorem *e*), et præcipue si modice incælescant *f*). Denique vinum dulce in acetum mutatur, et sic multa alia. Quare hæc omnia (*si libertate Philosophica uti liceat* ¹) supervacanea judicarem *g*). *Hoc dico, quia vereor, ne alii, qui Clarissimum Virum minus, quam par est, amant, perperam de ipso judicent.*

§. 24. De hujus Phænomeni causa jam locutus sum: hic tantum addo, me etiam experientia invenisse *h*), guttulis illis salinis particulas salis fixi innatare *i*). Nam cum ipsæ sursum volitabant, vitro plano, quod paratum ad id *k*) habebam, occurrebant, quod *l*) utcumque calefeci, ut *m*), quod volatile vitro adhærebat *n*), evolare; quo factò materiam crassam *o*) albicantem vitro hic illic adhærentem *p*) conspiciebam.

§. 25. In hac §. videtur Clarissimus Vir *q*) velle demonstrare, partes alcalifatas, per impulsum particularum salinarum, huc illuc ferri; particulas vero salinas proprio impulsu se ipsas in aërem tollere. Et ego in explicatione *r*) Phænomeni dixi, quod particulæ Spiritus Nitri concitatiores motum acquirunt, eo *s*) quod, cum latiores meatus ingrediuntur, necessario a materia aliqua *t*) subtilissima cingi debent, et ab eadem, ut *v*) ab igne particulæ *x*) ligni, sursum pelli *y*); particulæ vero alcalifatae suum motum acceperunt *z*) ab impulsu particularum Spiritus Nitri per angustiores meatus se infi-

a) L addit: *qui ex affusione spiritus nitri mutabatur.* *b*) nihil aliud dicam (ut non nisi probabilia adferam). *c*) jacentia. *d*) agitantur, aut modice incælescant. *e*) tetriorem odorem jaciunt.

f) L hæc post *agitantur* habet.

¹ in Epistola a me missa hæc consulto omisi. [Itaque desunt in L.]

g) Q. h. o. mihi supervacanea videntur. *h*) me semel invenisse.

i) innataste. *k*) quod ad hoc observandum paratum. *l*) hoc vitrum.

m) ut omne id. *n*) hærebat. *o*) crassusculam. *p*) hærentem.

q) vir cl. *r*) L addit: *hujus.* *s*) particulas....acquirere, ex eo.

t) ab aliqua materia. *y*) a qua, eodem modo ac. *x*) partes.

y) pelluntur. *z*) particulas....accipere.

nuantium. Hic addo, aquam puram non adeo facile solvere, atque laxare posse *a*) partes fixas: Quare *b*) non mirum est, quod ex affusione Spiritus Nitri in solutionem salis istius fixi in aqua dissoluti *c*) talis ebullitio, qualem Vir Clarissimus §. 24. recitat, oritur *d*); imo puto, hanc ebullitionem fervidiorem fore, quam si Spiritus Nitri salii fixo adhuc intacto instillaretur. Nam in aqua in minutissimas moleculas dissolvitur, quæ facilius dirimi atque liberius moveri possunt, quam cum omnes partes salis *e*) sibi invicem incumbunt, atque firmiter adhærent.

§. 26. De sapore Spiritus acidi jam locutus sum; quare de solo alcali dicendum restat. Id cum imponerem linguæ *f*), calorem, quem punctio *g*) sequebatur, sentiebam. Quod mihi indicat, *h*) quoddam genus calcis esse: eodem enim modo atque calx ope aquæ, ita hoc sal ope salivæ, sudoris, spiritus Nitri, et forte etiam aëris humidi, incalescit.

§. 27. Non statim *i*) sequitur, particulam aliquam materiæ ex eo quod alii jungitur *k*), novam acquirere figuram; sed tantum sequitur, ipsam majorem fieri, et id sufficit ad efficiendum id, quod in hac §. ab Clar. Viro quaeritur *l*).

§. 33. Quid de ratione Philosophandi Clarissimi Viri sentiam, dicam, postquam videro eam Dissertationem, de qua hic, et in Commentatione Procœmiali pag. 23. mentio fit *m*).

DE FLUIDITATE.

§. I. *Satis constat, annumerandas esse maxime generalibus affectionibus, etc.* Notiones ex vulgi usu factas, vel quæ Naturam explicant, non ut in se est, sed prout ad sensum humanum refertur, nullo modo inter summa genera *n*) numerandas censerem, neque

a) solvere posse, neque laxare. *b*) quapropter. *c*) in istius salis...
dissoluti solutionem. *d*) oriretur. *e*) L addit: fixi. *f*) lingua
imponerem. *g*) cui pungentia. *h*) L addit: id. *i*) non semper.
k) s̄ particula mat. alteri jungatur, eam. *l*) quod antea non potuerat,
aurum sc. rodere. *m*) postquam diss. illam, de qua..., videro.
n) inter genera rerum,

miscendas (ne dicam confundendas) cum notionibus castis *a*), et quæ Naturam, ut in se est, explicant. Hujus generis sunt motus, quies, et eorum leges; illius vero visibile, invisibile, calidum, frigidum, et, ut statim dicam, fluidum etiam et consistens, etc.

§. 5. *Prima est corporum componentium parvitas, in grandioribus quippe, etc.* Quamvis corpora sint parva, superficies tamen habent (aut habere possunt) *b*) inæquales, asperitatesque. Quare, si corpora magna tali proportione moveantur, ut eorum motus ad eorum molem fit *c*), ut motus minorum corporum ad eorundem molem *d*), fluida etiam essent dicenda, si nomen fluidi quid extrinsecum non significaret *e*), et non *f*) ex vulgi usu tantum usurparetur ad significanda ea corpora mota, quorum minutæ atque interstitia humanum sensum effugiunt. Quare idem *g*) erit corpora dividere in fluida et consistentia, ac in visibilia et invisibilia.

Ibidem. *Nisi Chymicis experimentis id comprobare possimus.* Nunquam Chymicis, neque aliis experimentis, nisi demonstratione et computatione *h*), aliquis id comprobare poterit. Ratione enim et calculo corpora in infinitum dividimus, et per consequens etiam Vires, quæ ad eadem movendum requiruntur *i*); sed experimentis nunquam id comprobare *k*) poterimus.

§. 6. *Grandia corpora inepta nimis esse constituendis fluidis, etc.* Sive per fluidum intelligatur id, quod modo dixi, sive non, res tamen per se *l*) est manifesta. Sed non video, quomodo Vir Clar. *m*) experimentis in hac §. allatis id comprobet. Nam (quando *n*) de re incerta *o*) dubitare volumus), quamvis offa ad componendum Chylum, et similia fluida, sint inepta *p*), forte satis erunt apta *q*) ad novum quoddam genus fluidi componendum *r*).

§. 10. *Idque dum eas minus quam antea reddit flexiles, etc.* Sine ulla partium mutatione, sed ex eo tantum *s*), quod partes in Reci-

a) castis notionibus. *b*) L parenthesin omittit. *c*) fit ad eorum molem.
d) ad molem eorum. *e*) non sign. quid extr. *f*) L omittit non.
g) L addit: meo iudicio. *h*) nisi mera ratione et calculo.
i) corpora, et per consequens in inf. dividimus. *k*) præstare.
l) L addit: satis. *m*) cl. vir. *n*) quandoquidem. *o*) certa.
p) inepta sint ad fluida. *q*) satis apta forte erunt.
r) ad comp. aliam novam speciem fluidi nobis ignotam. *s*) tantum ex eo.

piens propulsæ a reliquis separabantur, in aliud corpus oleo solidius coagulari potuerant. Corpora enim vel leviora vel ponderosiora sunt pro ratione *a*) fluidorum, quibus immerguntur *b*). Sic particulæ butyri, dum lacti *c*) innatant, partem liquoris *d*) componunt; fed postquam lac *e*) novum motum propter agitationem *f*) acquirit, cui omnes partes lac *g*) componentes non æque *h*) se accommodare possunt, hoc solum facit *i*), ut quædam ponderosiores evadant, quæ partes leviores sursum pellunt. Sed, quia hæ leviores aëre ponderosiores sunt, ut cum ipso liquorem componant, ab ipso deorsum pelluntur, et quia ad motum ineptæ sunt, ideo etiam solæ liquorem componere non possunt, fed *j*) sibi invicem incumbunt et adhærent *k*). Vapores etiam, cum ab aëre separantur, in aquam mutantur, quæ respectu aëris consistens potest dici *l*).

§. 13. *Atque exemplum peto a Vesica per aquam distenta, quam a vesica aëre plena, etc.* Cum aquæ particulæ semper quaquaversum indefinenter moveantur *m*), perspicuum est, si *n*) a corporibus circumjacentibus non cohibentur *o*), eam quaquaversum *p*) dilatatum iri *q*); porro quid vesicæ aqua plenæ distentio juvet *r*), ad sententiam de spatiolis confirmandam, fateor me nondum posse percipere *s*): ratio enim, cur particulæ aquæ lateribus vesicæ digito pressis non cedant, quod alias, si liberæ essent, facerent, est, quia non datur æquilibrium, sive circulatio *t*), uti datur, cum corpus aliquod, puta digitus noster, a fluido sive aqua cingitur *v*). Sed quantumvis aqua a *x*)



tiam de spatiolis confirmandam, fateor me nondum posse percipere *s*): ratio enim, cur particulæ aquæ lateribus vesicæ digito pressis non cedant, quod alias, si liberæ essent, facerent, est, quia non datur æquilibrium, sive circulatio *t*), uti datur, cum corpus aliquod, puta digitus noster, a fluido sive aqua cingitur *v*). Sed quantumvis aqua a *x*)

- a*) idem enim corpus vel levius vel ponderosius est pro constitutione et natura.
b) immergitur. *c*) sero. *d*) lactis. *e*) L addit: sive cremor.
f) L omittit propter agitationem. *g*) L addit: integrum.
h) L addit: facile ac primo suo motui. *i-i*) partes butyri leviores evadunt ut cum sero liquorem componere possint, atque etiam ponderosiores sunt ut cum aëre fluidum componant. Et quia figuram habent irregularem, ut apparet ex eo quod motui particularum seri se accommodare non potuerant, ideo neque solæ fluidum constituere possunt, ideoque. *k*) atque intrlicantur.
l) L addit: Et sic alia multa. *m*) quandoquidem aqua particula indef. versus omnes partes moventur. *n*) si aqua. *o*) cohibeatur.
p) quaquaversus. *q*) L add. sive, quod idem est, vim habere elasticam.
r) quid hoc exemplum vesicæ faciat. *s*) assequi. *t*) L omittit sive circul.
v) quando corpus in fluido (a quo undequaque accingitur) moretur. *x*) in.

vesica prematur, ejus tamen particulæ lapidi, vesicæ etiam *a*) incluso, cedent eodem modo, ac extra vesicam facere solent.

§. eâdem. *Daturne aliqua materia portio?* Affirmativa *b*) statuenda, nisi malumus progressum in infinitum quærere, aut (quo nil absurdius) concedere *c*), dari vacuum.

§. 19. *Ut liquoris particula ingressum in poros illos reperiant, ibique detineantur (qua ratione, etc.).* Hoc non est absolute affirmandum *d*) de omnibus liquoribus ingressum in



poros aliorum inventientibus. Particulæ enim Spiritus Nitri, si poros albæ chartæ *e*) ingrediantur, eam rigidam ac friabilem reddunt; quod experiri licebit, si capsulæ ferreæ candenti, ut *A*, guttulæ aliquot infundantur, et fumus per involu- crum chartaceum, ut *B*, propellatur *f*). Porro ipse Spiritus Nitri corium madefacit, non vero humectat; sed contrà ipsum, sicuti etiam ignis, contrahit *g*).

§. eâdem. *Quas cum natura et volatui, et natatui h), etc.* Causam a fine petit *i*).

§. 23. *Quamvis eorundem motus raro a nobis concipiatur, cape igitur, etc.* Sine hoc experimento, et sine ullo dispendio, res fatis apparet ex eo, quod halitus oris *k*), qui tempore hyemali *l*) fatis conspicitur moveri, tempore tamen æstatis, aut in hypocaustis *m*), conspici a nobis non potest. Porro, si tempore æstatis aura subito frigescat, vapores ex aqua ascendentibus, cum propter novam densitatem aëris non possint, uti antequam *n*) frigesceret, per ipsum adeo facile dispergi, denuo *o*) super aquæ superficiem tantâ copiâ congregantur, ut a nobis fatis conspici queant *p*). Porro motus sæpe tardior est, ut a nobis conspiciatur, ut ex gnomone et umbra

-
- a*) vesicæ cum aqua. *b*) hujus affirm. *c*) nisi progr . . . concedere velimus. *d*) hoc non abs. aff. est. *e*) chartæ albæ. *f*) ut ascendat curetur. *g*) corium ab eodem, uti etiam ab igne, contrahitur.
- h*) L addit: *destinaverit earum plumas adeo provide.* *i*) petit causam a fine.
- k*) L omittit oris. *l*) hyemale. *m*) apud hypocausta.
- n*) antequam aër. *o*) demisse. *p*) clare conspiciantur.

Solis *a*) colligere possumus, et sæpissime celerior est, quam ut a nobis conspiciatur *b*), ut videre est in fomento ignito, dum aliqua celeritate circulariter *c*) movetur; ibi nempe *d*) imaginamur, partem ignitam in omnibus locis *e*) peripheriæ, quam motu suo describit, quiescere: quorum causas *f*) hic redderem, nisi id supervacaneum judicarem. Denique, ut hoc obiter *g*) dicam, sufficit, ad naturam fluidi in genere intelligendum, scire, quod possumus manum nostram *h*) motu fluido proportionato versus omnes partes sine ulla resistentia movere, *i*) ut satis manifestum est iis, qui ad Notiones illas, quæ Naturam, ut in se est, non vero ut ad sensum humanum relatam, explicant, satis attendunt. Neque *j*) ideo hanc historiam tanquam inutilem despicio; sed contra, si de unoquoque liquore quam accuratissime, et summa cum fide *k*) fieret, ipsam *l*) utilissimam judicarem ad eorum *m*) peculiare differentias *n*) intelligendum; quæ res, ut summe necessaria, omnibus Philosophis maxime desideranda *o*).

DE FIRMITATE.

§. 7. *Catholicis Naturæ legibus.* Est demonstratio Cartesii; nec video Cl. Virum aliquam genuinam demonstrationem ab experimentis vel observationibus desumptam in medium *p*) adferre.

Multa hic et in sequentibus notaveram; sed postea vidi Cl. Virum se ipsum corrigere *q*).

§. 16. *r*). *Et semel quadringentas et triginta duas.* Si cum pondere argenti vivi tubo inclusi conferatur, proxime ad verum pondus *s*) accedit. Verum *t*) hæc examinare *v*), ut *x*) simul habeatur, quoad fieri potest, ratio inter impulsionem aëris ad latera, sive secundum lineam Horizonti parallelam, et inter illam *x*), quæ fit secundum

a) ex umbra solis, sive gnomone.

b) celerior est, ut videre est.

c) quando circ. al. cel.

d) sum.

e) punctis.

f) cuius rei causam.

g) obiter etiam.

h) L. addit: in fluido.

i-i) Hæc una, inquam, observatio naturam fluidi prorsus indicat. Verum neque.

k) liquore summa cum cura.

l) eam.

m) liquorum.

n) proprietates.

o) intelligendum, et eis imperandum.

p) L. omittit in medium.

q) suam sententiam correxisse.

r) 15.


s) ad id.

t) Verum operæ pretium duceram hæc.

v) tali modo exam.

x-x) ut ratio quæ est inter imp. aëris ad l., et inter eam.

lineam Horizonti perpendicularem, operæ pretium ducerem, et *a*)
puto hoc modo posse fieri:



Sit in Fig. 1. C D speculum
planum probissime levigatum. A
B duo marmora se immediate
tangencia *b*); marmor A alliga-
tum *c*) fit denti E, B vero chordæ
N alligatum *d*); T est trochlea,
G pondus, quod ostendet vim,
quæ requiritur ad divellendum
marmor B a marmore A secun-
dum lineam Horizonti paralle-
lam *e*).



In Fig. 2. F fit filum sericum
fatis robustum *f*), quo marmor B
pavimento alligatur, D trochlea *g*),
G pondus, quod ostendet vim,
quæ requiritur ad divellendum
marmor A ab marmore B secun-
dum lineam horizonti perpendi-
cularem *h*).

[Ed. Pr.:] *Reliqua desiderantur.* [In Lond. autem hæc sequuntur:]

- a*) *perpend.*, quoad fieri potest haberetur, quod.
b) cui duo marmora A. B. imponuntur. *c*) *ligatum.*
d) B vero tangens A immediate ligatum fit filo serico et satis robusto H.
e) pondus, quod marmor B a marmore A divellere debet.
f) L omittit sericum satis robustum. *g*) est etiam trochlea.
h) pondus, quod B, tangens A immediate, ab ipso A divelli [sic] debet
secundum lineam horizonti perpendicularem.

nec opus est hæc fusius explicare.

His habes, amicissime, quæ huc usque notanda reperio in specimina Domini Boyli. Quod ad primas tuas quæstiones attinet, cum meas ad ipsas responsiones percurro, nihil video me omisisse. Et si forte (ut soleo propter verborum penuriam) aliquid obscure posui, quæso ut id mihi indicare digneris; dabo operam ut ipsa clarius exponam.

Quod autem ad novam tuam quæstionem attinet, quomodo scilicet res cœperint esse, et quo nexu a prima causa dependeant: de hac re et etiam de Emendatione Intellectus integrum opusculum composui; in cuius descriptione et emendatione occupatus sum. Sed aliquando ab opere desisto, quia nondum ullum certum habeo consilium circa ejus editionem. Timeo nimirum ne theologi nostri temporis offendantur, et quo solent odio in me, qui rixas prorsus horreo, invehentur. Tuum circa hanc rem consilium spectabo, et, ut scias quid in meo hoc opere contineatur, quod concionatoribus offendiculo esse possit, dico, quod multa attributa, quæ ab iis et ab omnibus, mihi saltem notis, Deo tribuuntur, ego tanquam creaturas confidero; et contra alia, propter præjudicia ab iis tanquam creaturas consideratas [*sc*], ego attributa Dei esse et ab ipsis male intellecta fuisse contendo; et etiam, quod Deum a Natura non ita separarem ut omnes, quorum apud me est notitia, fecerunt. Tuum itaque consilium specto; te nempe ut fidelissimum amicum aspicio, de cuius fide nefas esset dubitare. Vale interim et ut cœpisti me amare perge, qui sum

tuus ex affe

BENEDICTUS SPINOZA. *

EPISTOLA VII.

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

Ante septimanas fat multas, Vir Clarissime, gratissimam tuam epi-

* *Supra p* et *n* literas ductus quidam apparent, ejusdem et sæculi et atrimenti, quos interpretari haud valemus.

stolam, in Boylii librum docte animadvertentem, accepi. Ipse Auctor una mecum maximas tibi pro meditationibus communicatis gratias agit, idque citius significasset, nisi eum spes tenuisset, se negotiorum, quibus oneratur, mole tam brevi temporis spatio potuisse levari, et una cum gratiis etiam responsonem suam eadem opera potuisset remittere. Verum enim vero spe sua se hæctenus frustratum sentit, negotiis tum publicis tum privatis eum ita distrahentibus, ut hac vice non nisi gratum suum animum tibi testari queat; suam vero de Notis tuis sententiam in aliud tempus differre cogatur. Accedit, quod duo Adversarii scriptis excusis eum sunt adorti, quibus, ut primo quoque tempore respondeat, obstructum se arbitratur. Ea vero Scripta non in Commentationem de Nitro, sed in libellum ejus alium, Experimenta Pneumatica Aërisque Elaterem probantia continentem, vibrantur. Quamprimum laboribus hisce se expediverit, de tuis etiam Exceptionibus mentem suam tibi aperiet; at interea temporis rogat, ne moram hanc sinistre interpreteris.

Collegium illud Philosophantium, de quo coram apud te mentionem injeceram, jam Regis nostri gratia in Societatem Regiam conversum est, publicoque Diplomate munitum, quo ipsi insignia Privilegia conceduntur, spesque egregia suppeditatur redditibus necessariis id ipsum locupletandi.

Omnino consulerem tibi, ut, quæ pro ingenii tui sagacitate docte, tum in Philosophicis tum Theologicis, concinnaasti, Doctis non invidas, sed in publicum prodire sinas, quicquid Theologastri oggannire poterint. Liberrima est Respublica vestra, liberrime in ea philosophandum: tua interim ipsius prudentia tibi suggeret, ut conceptus tuos tuamque sententiam, quam poteris modestissime, prodas, de reliquo eventum Fato committas. Age igitur, Vir optime, metum omnem expectora nostri temporis homunciones irritandi; fatis diu ignorantæ et nugis litatum; vela pandamus veræ scientiæ, et Naturæ adyta penitus, quam hæctenus factum, scrutemur. Innoxie, putem, meditationes tuæ apud vos excudi poterunt, nec ullum earum inter Sapientes offendiculum verendum. Hos igitur si Patronos et Fautores inveneris (ut omnino te inventurum spondeo), quid Momum ignorantem reformides. Non te missum faciam, Amice honorande, quin

te exoravero, nec unquam, quantum quidem in me est, concedam, ut Cogitata tua, quæ tanti sunt ponderis, æterno silentio premanur. Magnopere rogo ut, quid super hac re consilii capies, mihi significare, quam primum commode potes, non graveris. Occurrent hic forte talia, quæ cognitione tua non indigna erunt. Prædicta quippe Societas institutum suum nunc acrius urgebit, et forsan, dummodo Pax in hisce oris perennet, Rempublicam Literariam non vulgariter ornabit. Vale, Vir eximie, meque crede

Tui Studiofissimum et Amicissimum

HENR. OLDENBURG.

[Anni, ut videtur, 1662.]

EPISTOLA VIII (OLIM XXVI).

Clarissimo Viro

B. D. S.

SIMON DE VRIES.

Ex autographo, quod est apud Ecclesiam Teleiobaptistarum Amstelodamensem.

Amice Integerrime

Jamdudum exoptavi tibi [femel] * adesse, sed tempus magnaque hyems non satis mihi propitia fuerunt. [Aliquando de forte mea queror, quod nobis intercedit spatium, quod nos ab invicem tam longe dividit. Felix, imo felicissimus tuus socius casuarius sub eodem tecto remorans, qui inter prandendum, cœnandum, ambulandumque tecum optimis de rebus sermones habere potest.] Quamvis autem corpora ab invicem tam longe divisa sint, animo tamen sæpissime præsens adfuisi meo, præfertim tuis in scriptis cum verbor, manibusque [ea] tracto. Sed cum nobis collegis ** non omnia satis clara appareant [(ideoque iterum collegii initium fecimus)], neque me tui

* Quæ in Ed. Pr. omissa sunt, hujusmodi uncinis inclusimus. Et alia elegantius exprimere conati sunt veteres editores, quæ, ubi ipsas literas ad Spinozam missas habemus, recensere nihil referebat.

** Ed. Pr.: *mihi*. In ea collegii mentio omittitur, et de unius Vriessii studiis sermo est.

immemorem esse putes, animum ad hæc litteras scribendas appuli.

[Collegium quod attinet, eo instituitur modo: Unus (sed suæ cuique vices) perlegit, pro suo conceptu explicat, porroque omnia demonstrat, secundum tuarum propositionum seriem ac ordinem; tum si accadat, ut alter alteri satisfacere non possit, operæ pretium esse duximus, illud annotare, atque ad te scribere, ut, si possibile, nobis clarius reddatur, et duce te contra superstitiosè religiosos Christianosque veritatem defendere, tum totius impetum mundi stare possimus. Quare, cum prius perlegendibus explicantibusque definitiones non omnes nobis claræ videbantur, non idem de natura definitionis iudicium tulimus.] Interim te absente authorem quendam, mathematicum scilicet, qui Borellus * vocatur, consulimus; ille dum definitionis naturæ, axiomatis, et postulati mentionem facit, atque aliorum de ea re sententias adfert. Ipsius vero sententia sic sonat. *Definitiones adhibentur in demonstratione ut præmissa. Quare necesse est ut sint evidenter cognita, alias cognitio scientifica seu evidentissima ex eis acquiri non potest.* Alio loco: *Non temere, sed maxima cautione eligi debet ratio structura, aut essentialis passio prima et notissima alicujus subjecti. Nam si constructio et passio nominata sit impossibilis, tunc non efficietur definitio scientifica, ut si quis diceret: Duæ rectæ lineæ spatium comprehendentes vocentur figurales, essent definitiones non entium, et impossibiles; et propterea potius ignorantia quam scientia ex iis deduceretur. Deinde si constructio aut passio nominata sit quidem possibilis et vera, sed nobis ignota aut dubia, tunc bona definitio non erit: Nam conclusiones ab ignoto et dubio ortæ incertæ quoque et dubiæ erunt, et ideo suspicionem aut opinionem, non autem scientiam certam afferent.* A cujus opinione dissentire videtur Tacquet**, qui autumat ex falso pronuntiato directè ad veram conclusionem procedi posse, uti tibi notum. Clavius vero, cujus etiam sententiam introducit, sic sentit *.*: *Definitiones sunt artis vocabula, neque opus est,*

* Jo. Alph. Borellus, cujus est Euclides Restitutus, Paris. 1658.

** Post Andræ Tacquet Elementa Geometriæ planæ ac solidæ, Antverpiæ 1654, Appendix legitur, qua demonstratur ex falso posse directè deduci verum.

. In Euclidis Romæ anno 1589. editi t. I, p. 27. hæc tantum habet: (Definitionibus) vocabula artis explicantur, ne in tractatione ipsa, nominum ambiguitate aut obscuritate circumventi in paralogismos incidamus.

ut ratio afferatur, cur res aliqua hoc aut illo definiatur modo, sed satis est, ut nunquam res definita afferatur alicui convenire, nisi prius definitionem traditam eidem convenire demonstretur. Ita ut Borellus velit, quod definitio alicujus subjecti debeat constare ex passione sive structura prima, essentiali, nobis notissima, et vera; Clavius non ita: sive prima, sive notissima, sive vera nec ne nihil refert, modo ne definitionem, quam tradidimus, alicui convenire afferatur, nisi prius definitionem traditam eidem convenire demonstretur. Nos potius pedibus in sententiam Borelli iremus; utri Dominus, an neutri horum concinnet, non bene scimus. Igitur, cum tales de definitionis natura, quæ inter principia demonstrationis numeratur, disceptationes variæ moventur, et si animus non vindicatus est ab ejus difficultatibus, etiam non de iis, quæ de ea deducuntur; magnum nobis esset desiderium, ut dominatio vestra ad nos, multum nimis negotium tibi si non facessamus, perque otium tuum liceat, scriberet, quid ipsa de ea re sentiat, etiam quæ est distinctio inter axiomata et definitiones. Borellus vero nullam veram admittit, nisi quoad nomen, sed te aliam ponere credo.

Porro Definitio 3^{ia} nobis non satis constat; in exemplum attuli quod Dominus mihi dixit Hagæcomitis, scil. quod Res duobus modis potest considerari, vel prout in se est, vel prout respectum habet ad aliud, uti Intellectus; vel enim potest considerari sub cogitatione, vel ut constans ideis. Sed, quænam hic esset distinctio, non bene videmus; nam existimamus, quod nos, si cogitationem recte concipiamus, oporteat comprehendere sub ideis, quia remotis ab ea omnibus ideis cogitationem destrueremus. Qua de re, cum exemplum nobis satis clarum non est, manet adhuc res ipsa aliquo modo obscura, et ulteriore explicatione indigemus.

Novissime, in scholio 3^{io} prop. 8. * habetur ab initio, sic scil. *Ex his apparet, quod quamvis duo attributa realiter distincta concipiuntur (hoc est unum sine alterius ope), neque ideo ipsa duo entia sive duas diversas substantias constituunt; ratio est quia de natura*

* Ed. Pr.: in Schol. Prop. 10. lib. 1.; Ethicæ scilicet, cujus prima verba ut nunc leguntur illa repetit, nisi quod ex calami erroribus sine alterius ope et in loci sine simul in ipsa fuerunt offert.

Substantia est, ut omnia ejus attributa, unumquodque, inquam, per se concipiatur, quandoquidem simul in ipsa fuerunt. Sic Dominus videtur supponere, substantiæ naturam ita esse constitutam, ut plura possit habere attributa; quod nondum demonstravit, nisi quintam definitionem substantiæ absolute infinitæ, sive Dei, respiceret; alias, si dicam, unamquamque substantiam tantum habere unum attributum, et mihi esset idea duorum attributorum, recte concludere possem, quod ubi duo diversa attributa, ibi duæ diversæ sint substantiæ: in quod etiam clariorem explicationem te rogamus.

[Porro gratias ago maximas pro tuis scriptis, mihi a P. Balling communicatis, quæ magno me gaudio affecerunt. Sed potissimum scholium prop. 19. Si hic et tibi in aliquo, quod in mea potestate sit, servire possim, ibi tibi sum; tantum opus ut me scientem facias. Ego collegium anatomiciæ [*sic*] inivi, medium fere absolvi; absoluto, incipiam chemicum, sicque suafore te percurram totam medicinam.] Defino, et exspecto responsonem; et a me sis salutatus, qui sum,

Tibi Addictissimus

S. J. D' VRIES.

1663. Datum Amstelodami
Die 24 februarii.

Epistolæ inscriptio hæc est:

Sr. Benedictus Spinoza

Tot

Rijnsburgh.

††

1663.

EPISTOLA IX (OLIM XXVII).

Doctissimo Juveni

SIMONI DE VRIES

B. D. S.

Responso ad præcedentem.


E Spinozæ autographo, quod est apud Ecclesiam Teleiobaptistarum Amstelodamensem.

Amice colende,

[Tuas mihi dudum desideratas literas accepi. pro quibus, tuoque erga me affectu maximas habeo gratias. non minus mihi quam tibi

diuturna tua absentia molesta fuit, interim tamen gaudeo quod meæ lucubratiunculæ tibi nostrisque amicis ufui sint. Sic enim dum abestis absens vobis loquor. Nec est quod caesario invidetas, nullus nempe mihi magis odiosus, nec a quo magis cavere curavi, quam ab ipso; quamobrem te omnesque notos monitos vellem ne ipsi meas opiniones communicetis nisi ubi ad maturiorem ætatem pervenerit. Nimis adhuc est puer parum et sibi constans. et magis novitatis quam veritatis studiosus. Verum puerilia hæc vitia ipsum paucis post annis emendaturum spero, imo, quantum ex ipsius ingenio judicare possum, fere pro certo habeo. quare ejus indoles me eum amare monet.]

Quod ad quæstiones in collegio vestro (satis sapienter instituto) propositas attinet. Video vos iis hæerere, propterea quod non distinguitis inter genera definitionum. Nempe inter definitionem quæ inservit ad rem cujus essentia tantum quæritur, et de qua sola dubitatur, explicandam; et inter definitionem quæ ut solum examinetur proponitur. Illa enim, quia determinatum habet objectum, vera debet esse, hæc vero non refert. Ex. gr. si quis templi Salomonis descriptionem me roget, ipsi veram templi descriptionem tradere debeo nisi cupiam cum ipso garrere. Sed si ego templum aliquod in mente concinnavi, quod ædificare cupio; ex cujus descriptione concludo me talem fundum, totque millia lapidum, aliorumque materialium emere debere; an aliquis sanæ mentis mihi dicet, me male conclusisse, ex eo quod forte falsam adhibui definitionem? vel aliquis a me exiget, ut meam definitionem probem? Is sane nihil aliud mihi dicit, quam quod id, quod conceperim, non conceperim, vel a me exiget, ut id, quod conceperim, probem me concepisse, quod plane est nugari. Quare definitio vel explicat rem prout est extra intellectum; et tum vera debet esse, et a propositione vel axiomate non differt, nisi quod illa tantum circa rerum, rerumve affectionum essentias versatur; hoc vero latius, nempe ad æternas veritates etiam se extendet; Vel (*Ed. Pr. addit*: explicat) rem, prout a nobis concipitur vel concipi potest; tumque in eo etiam differt ab axiomate et propositione, quod non exiget, nisi ut concipiatur absolute, non ut axioma sub ratione veri. Quare mala definitio illa est, quæ non concipitur. Quod ut intelligatur, Borelli exemplum capiam. Nempe

si quis diceret, duæ rectæ lineæ spatium comprehendentes vocentur figurales. Si is per lineam rectam intelligit id, quod omnes per lineam curvam, tum bona est definitio (per illam vero definitionem intelligeretur figura ut  aut similes), modo quadrata et alias postea non intelligat figuras. Verum si per lineam intelligat id, quod communiter intelligimus, res est plane inconceptibilis, ideoque nulla est definitio. Quæ omnia a Borello, in cujus sententia amplectenda proni estis, plane confunduntur. Aliud exemplum addo, id nempe, quod in fine adfertis. Si dicam unamquamque substantiam unum tantum habere attributum, mera est propositio, et eget demonstratione. Si vero dicam, per substantiam intelligo id, quod uno tantum attributo constat, bona erit definitio, modo postea entia pluribus attributis constantia alio nomine a substantia diverso insigniantur. Quod autem dicitis, me non demonstrasse, substantiam (sive ens) plura habere posse attributa, forte ad demonstrationes nolulistis attendere. Duas enim adhibui, prima quod nihil nobis evidentius, quam quod unumquodque ens sub aliquo attributo a nobis concipiatur, et quo plus realitatis, aut esse, aliquod ens habet, eo plura attributa ei sunt tribuenda. Unde ens absolute infinitum definiendum, etc. Secunda, et quam ego palmariam judico, est, quod, quo plura attributa alicui enti tribuo, eo magis cogor, ipsi existentiam tribuere, hoc est, eo magis sub ratione veri ipsum concipio, quod plane contrarium esset, si ego Chimæram aut quid simile finxisssem.

Quod autem dicitis, vos non concipere cogitationem nisi sub ideis, quia remotis ideis cogitationem destruitis, credo id vobis contingere propterea, quod dum vos, res scilicet cogitantes, id facitis, omnes vestras cogitationes et conceptus seponitis. Quare non mirum est, quod, ubi omnes vestras cogitationes seposuistis, nihil postea vobis cogitandum maneat. Quod autem ad rem attinet, puto me satis clare et evidenter demonstrasse, intellectum, quamvis infinitum, ad Naturam naturatam, non vere ad naturantem pertinere. Porro quid hoc ad tertiam Definitionem intelligendam faciat, nondum video, nec etiam cur ea moram injiciat. Ipsa enim definitio, ut ipsam, ni fallor, tibi tradidi, sic sonat, *Per substantiam intelligo id, quod in se est et per se concipitur; hoc est, cujus conceptus non involvit con-*

ceptum alterius rei. Idem per attributum intelligo, nisi quod attributum dicatur respectu intellectus, substantiæ certam talem naturam tribuentis. Hæc, inquam, definitio fati clare explicat, quid per substantiam sive attributum intelligere volo. Vultis tamen, quod minime opus est, ut exemplo explicem, quomodo una eademque res duobus nominibus insigniri possit. Sed ne parcus videar duo adhibeam. Primum: dico, per Israëlem intelligi tertium Patriarcham, idem per Jacobum intelligo, quod nomen Jacobi ipsi imponebatur propterea, quod calcem fratris apprehenderat. Secundum: per planum intelligere volo id, quod omnes radios lucis sine ulla mutatione reflectit; idem per album intelligo, nisi quod album dicatur respectu hominis planum intuentis.

[D. Rhenoburgi sub finem m. Febr. a. 1663.]

EPISTOLA X (OLIM XXVIII).

Doctissimo Juveni

SIMONI DE VRIES

B. D. S.

Amice colende,

Petis a me, an egeamus experientia ad sciendum, utrum Definitio alicujus Attributi sit vera? Ad hoc respondeo, nos nunquam egere experientia, nisi ad illa, quæ ex rei definitione non possunt concludi, ut ex. gr. existentia Modorum: hæc enim a rei definitione non potest concludi. Non vero ad illa, quorum existentia ab eorundem essentia non distinguitur, ac proinde ab eorum definitione concluditur. Imo nulla experientia id unquam nos edocere poterit: nam experientia nullas rerum essentias docet; sed summum, quod efficere potest, est mentem nostram determinare, ut circa certas tantum rerum essentias cogitet. Quare, cum existentia attributorum ab eorum essentia non differat, eam nulla experientia poterimus assequi.

Quod porro petis, anne res etiam, rerumve affectiones, sint æternæ veritates? Dico, omnino. Si regeris, cur eas æternas veritates non

voco? respondeo, ut eas distinguam, uti omnes solent, ab iis, quæ nullam rem reive affectionem explicant, ut ex. gr. *a nihilo nihil fit*; hæc, inquam, similesque propositiones vocantur absolute æternæ veritates, sub quo nihil aliud significare volunt, quam quod talia nullam sedem habent extra mentem. Etc.

[D. Rhenoburgi m. fere Martio a. 1663.]

EPISTOLA XI (OLIM VIII).

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

Responsio ad Epistolam VI.

Præstantissime Vir, Amice Charissime,

Multa equidem afferre possem, quæ diuturnum meum silentium apud te excusarent; sed ad duo capita causas illius reducam, invaletudinem scilicet Nobilissimi Boylii, et meorum negotiorum turbam. Illa impedimento fuit, quo minus ad tuas in Nitrum Animadversiones citius respondere valuerit Boylius; hæc adeo me districtum tenere per plurimos menses, ut mei vix juris fuerim, proindeque nec officio illo defungi potuerim, ad quod me tibi obstructum profiteor. Gestit animus, amotum esse (pro tempore saltem) utrumque obstaculum, ut meum cum tanto Amico commercium instaurare liceat. Id equidem nunc facio maxima cum lubentia, statque animus (favente Numine) omni modo cavere, ne deinceps consuetudo nostra litteraria tandem interrumpatur.

Cæterum priusquam de iis tecum agam, quæ tibi et mihi privatim intercedunt, expediam illa, quæ D. Boylii nomine tibi debentur. Notas, quas in Chymico-Physicum illius Tractatulum concinnaveras, fœta sibi humanitate excepit, tibi que maximas pro Examine tuo gratias pendit. Interim moneri te cupit, propositum sibi non tam

fuisse ostendere, vere Philosphicam perfectamque hanc esse Nitri Analyfin, quam explicare, vulgarem et in Scholis receptam de Formis Substantialibus et Qualitatibus doctrinam infirmo talò niti, specificaque rerum differentias, quas vocant, ad partium magnitudinem, motum, quietem, et situm posse revocari. Quo prænotato, Auctor porro ait, Experimentum suum de Nitro satis superque docere, Nitri corpus univèrsum in partes, a se invicem et ab ipso toto discrepantes, per Analyfin Chymicam abiisse; postea vero ita rursum ex iisdem coäluisse et redintegratas fuisse, ut parum fuerit de pristino pondere desideratum. Addit vero, se ostendisse, rem ipsam ita se habere; de rei autem modo, quem tu conjectari videris, non egisse, nec de eo quicquam, cum præter institutum ejus fuerit, determinasse. Quæ tu interim de modo supponis, quodque sal Nitri fixum tanquam fæces ejus consideras, cæteraque talia, ea a te gratis dicta nec probata arbitratur; quodque a te assertur, has fæces, sive hoc sal fixum, meatus habere ad mensuram particularum Nitri excavatos, circa id notat Auctor noster, salein cinerum clavellatorum (Belgice *potasch*) cum spiritu Nitri Nitrum æque constituere, ac Spiritum Nitri cum proprio suo sale fixo: Unde liquere putat, similes reperiri poros in ejusmodi corporibus, unde Nitrosi Spiritus non extruduntur. Nec videt Auctor, illam materiæ subtilissimæ, quam adstruis, necessitatem ex ullis Phænomenis probatam; sed ex sola vacui impossibilitatis Hypothesi assumptam.

Quæ de causis differentiæ saporis inter Spiritum Nitri et Nitrum ipsum differis, ferire se Auctor negat; quod vero de Nitri inflammabilitate et Spiritus Nitri ἀφλοισιæ tradis, Cartesii de Igne doctrinam supponere ait, quam sibi necdum satisfecisse testatur.

Quod ad Experimenta spectat, quibus tuam Phænomeni explicationem comprobari putas; respondet Auctor, primo, Spiritum Nitri Nitrum quidem esse materialiter, formaliter nequaquam, cum qualitatibus et virtutibus quam maxime differant, sapore scilicet, odore, volatilitate, potentia solvendi metalla, colores vegetabilium mutandi, etc. Secundo, quod coire ais particulas quasdam sursum latas in Crystallos Nitri, id ex eo fieri statuit, quod partes nitrosæ una cum Spiritu Nitri per ignem protruduntur, quemadmodum in fuligine con-

tingit. Tertio, quod de defæcationis effectu affers, ei respondet Auct̄or, ista defæcatione ut plurimum liberari Nitrum a fale quodam, fal commune referente: ascensum vero in stiriolas communem illi esse cum aliis salibus, et ab aëris pressione, aliisque quibusdam causis, alias dicendis nilque ad præsentem Quæstionem facientibus, dependere. Quarto, quod dicis de Experimento tuo tertio, idem fieri ait Auct̄or etiam cum aliis quibusdam salibus; afferens, chartam actu inflammata particulas rigidas et solidas, quæ componebant falem, vibrare, iisdemque hoc pacto scintillationem conciliare.

Quod porro putas, Sect. 5. Auct̄orem Nobilem culpâre Cartesium, in hoc teipsum culpandum credit; dicitque, se nullatenus indigitasse Cartesium, sed Gassendum et alios, qui figuram Cylindricam particulis Nitri tribuunt, cum revera sit prismica; nec de figuris aliis se loqui, quam visibilibus.

Ad ea, quæ in Sect. 13—18. animadvertis, hoc tantum reponit, se hæc scripsisse imprimis, ut Chymicæ usum ad confirmanda principia Philosophiæ Mechanica ostenderet assereretque, nec se invenisse hæc apud alios tam clare tradita et tractata. Est noster Boylius ex eorum numero, qui non adeo suæ Rationi confidunt, ut non velint cum Ratione convenire Phænomena. Magnum præterea discrimen ait intercedere inter obvia experimenta, circa quæ, quid adferat Natura quæque interveniant, ignoramus, et inter ea, de quibus certo constat, quænam ad ea afferantur. Ligna sunt corpora multo magis composita quam subjectum, de quo Auct̄or tractat. Et in aquæ communis ebullitione ignis externus additur, qui in procreatione soni nostri non adhibetur. Porro, quod virentia in tot tamque diversos colores mutantur, de ejus causa quæritur; illud vero ex mutatione partium oriri, hoc experimento declaratur, quo apparet, colorem ex Spiritus Nitri affusione mutatum fuisse. Denique neque tetrum neque suavem habere odorem Nitrum ait, sed ex sola dissolutione tetrum acquirere, quem in reconjunctione amittit.

Quæ ad Sect. 25. notas (cætera enim se non tangere ait), iis respondet, usum se fuisse principiis Epicuræis, quæ volunt, motum particulis inesse connatum; opus enim fuisse aliqua uti Hypothesi ad Phænomeni explicationem; quam tamen propterea suam non faciat,

sed adhibeat, ad fententiam suam contra Chymicos et Scholas sustinendam, duntaxat ostendens, ex Hypothesi memorata rem posse bene explicari. Quod ibidem subjcis de aquæ puræ ineptitudine solvendi partes fixas, ei Boylius noster respondet, Chymicos passim observare et asserere, aquam puram falsâ alcalizata citius quam alia solvere.

Quæ circa Fluiditatem et Firmitudinem annotasti, ea necdum vacavit Auctori expendere. Hæc quæ consignavi, tibi transmitto, ne diutius commercio et colloquio tuo literario destituerer.

Peto autem enixissime, ut boni ea consulas, quæ adeo subsultim et mutilate tibi repono, idque meæ potius festinationi, quam illustris Boylii ingenio tribuas. Ea quippe magis ex familiari cum eo circa hoc subjectum sermone collegi, quam ex præscripta et Methodica aliqua ejus responsione; unde sine dubio factum, ut multa ab ipso dicta me effugerint, forte et solidiora et elegantiora, quam quæ hic a me commemorata sunt. Culpam igitur omnem in me rejicio, penitusque ab ea Auctorem libero.

Jam ad ea progrediar, quæ mihi tecum intercedunt. Et hic in ipso limine rogare mihi fas sit, confecerisne illud tanti momenti opusculum tuum, in quo de rerum primordio, earumque dependentia a prima causa, ut et de Intellectus nostri Emendatione tractas. Certe, Vir Amicissime, nil credo in publicum prodire posse, quod Viris revera doctis et sagacibus futurum sit istiusmodi Tractatu gratius vel acceptius. Id tui genii et ingenii Vir spectare potius debet, quam quæ nostri seculi et moris Theologis arrident: non tam illi veritatem quam commoditates spectant. Te igitur per amicitiae nostræ fœdus, per omnia veritatis augendæ et evulgandæ jura contestor, ne tua de argumentis iis scripta nobis invidetas vel neges. Si tamen quid sit majoris momenti, quam ego prævideo, quod ab operis publicatione te arceat, summopere oro, ut epitomen ejus per litteras mihi impertire ne graveris, et amicum me senties pro hoc officio et gratum. Alia brevi prodibunt ab Eruditissimo Boylio edenda, quæ redhostimenti loco tibi transmittam, ea quoque adjuncturus, quæ totum tibi Institutum Regiæ nostræ Societatis, cui sum cum aliis viginti a Consilio, et cum uno et altero a Secretis, depingent. Hac

vice temporis angustia præcludor, quo minus evagari ad alia queam. Omnem tibi fidem, quæ ab honesta mente proficisci potest, omnemque ad quævis officia, quæ a tenuitate mea præstari queunt, promptitudinem tibi spondeo, sumque ex animo,

Vir Optime, tuus ex asse,

HENR. OLDENBURG.

Londini die 3. April. 1663.

EPISTOLA XII (OLIM XXIX).

Viro Doctissimo atque Expertissimo

LUDOVICO MEYER *.

B. D. S.

[Videtur hujus Epistolæ autographum anno 1860 ex auctione librorum MSS.

J. J. van Voorst, Amstelodami facta, in Durandi bibliopole

Parisiensis manus transfisse.]

Amice singularis,

Duas abs te accepi Epistolas, unam die 11. Januarii datam, et ab amico N. N. ** mihi traditam, alteram vero 26. die Martii, et ab amico nescio quo Leida missam. Pergratæ mihi ambæ fuerunt; præcipue ubi ex iis, omnia tua optime se habere, teque mei sæpe memorem, intellexi. Porro pro tua erga me humanitate, et honore, quo semper me dignatus es afficere, maximas, quas debeo, ago gratias, simulque precor, ut me tibi non minus addictum credas, quod semper data occasione, quantum mea ferre poterit tenuitas, ostendere conabor. Atque hoc ut incipiam, ad id, quod in tuis Epistolis ex me quæris, respondere curabo. Petis autem, ut, quæ de Infinito excogitata habeam, tibi communicem, quod libentissime faciam.

Quæstio de Infinito omnibus semper difficillima, imo inextricabilis visa fuit, propterea quod non distinxerunt inter id, quod suâ naturâ,

* Ed. Pr.: L. M. P. M. Q. D. (i. e. Philosophiæ Medicinæque Doctori).

** Fortasse de Vries; cf. Ep. XV.

sive vi suæ definitionis, sequitur esse infinitum, et id, quod nullos fines habet, non quidem vi suæ essentiae, sed vi suæ causæ. Ac etiam quia non distinxerunt inter id, quod infinitum dicitur, quia nullos habet fines, et id, cujus partes, quamvis ejus maximum et minimum habeamus, nullo tamen numero adæquare et explicare possumus. Denique quia non distinxerunt inter id, quod solummodo intelligere, non vero imaginari, et inter id, quod etiam imaginari possumus. Ad hæc, inquam, si attendissent, nunquam tam ingenti difficultatum turba obruti fuissent. Clare enim tum intellexissent, quale Infinitum in nullas partes dividi, seu nullas partes habere, potest, quale vero contrà, idque sine contradictione. Porro etiam intellexissent, quale Infinitum majus alio Infinito sine ulla implicancia, quale vero non item concipi potest; quod ex mox dicendis clare apparebit.

Verum prius hæc quatuor paucis exponam, videlicet Substantiam, Modum, Æternitatem, et Durationem. Quæ circa Substantiam considerari velim, sunt, primo, Quod ad ejus essentiam pertinet existentia, hoc est, quod ex sola ejus essentia et definitione sequatur, eam existere; quod, nisi me mea fallit memoria, antehac tibi viva voce absque ope aliarum Propositionum demonstravi. Secundum, et quod ex hoc primo sequitur, est, quod Substantia non multiplex, sed unica duntaxat ejusdem naturæ existat. Tertium denique, quod omnis Substantia non nisi infinita possit intelligi. Substantiæ vero Affectiones Modos voco, quorum definitio, quatenus non est ipsa Substantiæ definitio, nullam existentiam involvere potest. Quapropter, quamvis existant, eos ut non existentes concipere possumus; ex quo porro sequitur, nos, ubi ad solam modorum essentiam, non vero ad ordinem totius Naturæ attendimus, non posse concludere ex eo, quod jam existant, ipsos postea existituros aut non existituros, vel antea existitisse aut non existitisse. Unde clare apparet, nos existentiam Substantiæ toto genere a Modorum existentia diversam concipere. Ex quo oritur differentia inter Æternitatem et Durationem; per Durationem enim Modorum tantum existentiam explicare possumus, Substantiæ vero per Æternitatem, hoc est, infinitam existendi, sive, invita latinitate, essendi fruitionem.

Ex quibus omnibus clare constat, nos Modorum existentiam et Durationem, ubi, ut sæpissime fit, ad solam eorum essentiam, non vero ad ordinem Naturæ attendimus, ad libitum (et quidem propterea nullatenus, quem eorum habemus conceptum, destruendo) determinare, majorem minoremque concipere, atque in partes dividere posse; Æternitatem vero et Substantiam, quandoquidem non nisi infinitæ concipi possunt, nihil eorum pati posse, nisi simul eorum conceptum destruamus. Quare ii prorsus garriunt, ne dicam infaniunt, qui Substantiam Extensam ex partibus, sive corporibus ab invicem realiter distinctis, conflata esse putant. Perinde enim est, ac si quis ex sola additione et coacervatione multorum circulorum quadratum, aut triangulum, aut quid aliud, tota essentia diversum, conflare studeat. Quare omnis illa farrago argumentorum, quibus Substantiam Extensam finitam esse ostendere Philosophi vulgo moliuntur, sua sponte ruit: Omnia enim illa Substantiam corpoream ex partibus conflata supponunt. Ad eundem etiam modum alii, qui, postquam sibi persuaferunt, lineam ex punctis componi, multa invenire poterunt argumenta, quibus ostenderent, lineam non esse in infinitum divisibilem.

Si tamen quæras, cur naturæ impulsu adeo propensi simus ad dividendam substantiam extensam; ad id respondeo, quod quantitas duobus modis a nobis concipiatur: abstracte scilicet, sive superficialiter, prout ope sensuum eam in imaginatione habemus; vel ut substantia, quod non nisi a solo intellectu fit. Itaque, si ad quantitatem, prout est in imaginatione, attendimus, quod sæpissime et facilius fit, ea divisibilis, finita, ex partibus composita, et multiplex reperietur. Sin ad eandem, prout est in intellectu, attendamus, et res, ut in se est, percipiatur, quod difficillime fit, tum, ut fatis antehac tibi demonstravi, infinita, indivisibilis, et unica reperietur.


Porro ex eo, quod Durationem et Quantitatem pro libitu determinare possumus, ubi scilicet hanc a Substantia abstractam concipimus, et illam a modo, quo a rebus æternis fluit, separamus, oritur Tempus et Mensura; Tempus nempe ad Durationem, Mensura ad Quantitatem tali modo determinandam, ut, quoad fieri potest, eas facile imaginemur. Deinde ex eo, quod Affectiones Substantiæ ab

ipsa Substantia separamus, et ad classes, ut eas quoad fieri potest facile imaginemur, redigimus, oritur Numerus, quo ipsas determinamus. Ex quibus clare videre est, Mensuram, Tempus, et Numerum nihil esse præter cogitandi, seu potius imaginandi, modos. Quare non mirum est, quòd omnes, qui similibus Notionibus, et quidem præterea male intellectis, progressum Naturæ intelligere conati sunt, adeo mirifice se intricarint, ut tandem se extricare nequiverint, nisi omnia perrumpendo, et absurda etiam absurdissima admittendo. Nam, cum multa sint, quæ nequaquam Imaginatione, sed solo Intellectu assequi possumus, qualia sunt Substantia, Æternitas, et alia; si quis talia ejusmodi Notionibus, quæ duntaxat Auxilia Imaginationis sunt, explicare conatur, nihilo plus agit, quam si det operam, ut sua imaginatione insaniat. Neque etiam ipsi Substantiæ Modi, si cum ejusmodi Entibus Rationis seu imaginationis auxiliis confundantur, unquam recte intelligi poterunt. Nam cum id facimus, eos a Substantia, et modo quo ab Æternitate fluunt, separamus, sine quibus tamen recte intelligi nequeunt.

Quod ut adhuc clarius videas, cape hoc exemplum: nempe, ubi quis Durationem abstracte conceperit, eamque cum Tempore confundendo in partes dividere inceperit, nunquam poterit intelligere, qua ratione hora ex. grat. transire possit. Nam ut hora transeat, necesse erit, ejus dimidium prius transire, et postea dimidium reliqui, et deinde dimidium, quod hujus reliqui superest; et si sic porro infinite dimidium a reliquo subtrahas, nunquam ad finem horæ pervenire poteris. Quare multi, qui Entia Rationis a realibus distinguere assueti non sunt, Durationem ex momentis componi, ausi sunt asseverare, et sic in Scyllam inciderunt cupientes vitare Charybdim. Idem enim est, Durationem ex momentis componere, quam Numerum ex sola nullitatum additione.

Porro, cum ex modo dictis satis pateat, nec Numerum, nec Mensuram, nec Tempus, quandoquidem non nisi auxilia imaginationis sunt, posse esse infinitos: nam alias Numerus non esset numerus, nec Mensura mensura, nec Tempus tempus; Hinc clare videre est, cur multi, qui hæc tria cum rebus ipsis confundebant, propterea quod veram rerum naturam ignorabant, Infinitum actu negarunt. Sed

quam misere ratiocinati sint, judicent Mathematici, quibus hujus farinae Argumenta nullam moram injicere potuerunt in rebus ab ipsis clare distincteque perceptis. Nam, præterquam quod multa invenerunt, quæ nullo Numero explicari possunt; quod satis numerorum defectum ad omnia determinandum patefacit; multa etiam habent, quæ nullo numero adæquari possunt, sed omnem, qui dari potest, numerum superant. Nec tamen concludunt, talia omnem numerum superare ex partium multitudine; sed ex eo, quod rei natura non sine manifesta contradictione numerum pati potest, ut ex. grat. omnes



inæqualitates spatii duobus circulis AB et CD interpositi, omnesque variationes, quas materia in eo mota pati debeat, omnem numerum superant. Idque non concluditur ex nimia spatii interpositi magnitudine: Nam quantumvis parvam ejus portionem capiamus, hujus tamen parvæ portionis inæqualitates omnem numerum superabunt. Neque etiam idcirco concluditur, ut in aliis contingit, quod ejus maximum et minimum non habeamus; utrumque enim in hoc nostro exemplo habemus, maximum nempe AB, minimum vero CD; sed ex eo tantum concluditur, quod natura spatii, inter duos circulos diversa centra habentes interpositi, nihil tale pati possit. Ideoque, si quis omnes illas inæqualitates certo aliquo numero determinare velit, simul efficere debebit, ut circulus non fit circulus.

Sic etiam, ut ad nostrum propositum revertar, si quis omnes materiæ motus, qui hucusque fuerunt, determinare volet, eos scilicet, eorumque Durationem ad certum numerum et tempus redigendo; is certe nihil aliud conabitur, quam Substantiam corpoream, quam non nisi existentem concipere possumus, suis Affectibus privare, et, ut naturam, quam habet, non habeat, efficere. Quæ clare demonstrare hic possem, ut et alia multa, quæ in hac Epistola attingi, nisi id superfluum judicarem.

Ex omnibus jam dictis clare videre est, quædam suâ naturâ esse infinita, nec ullo modo finita concipi posse; quædam vero vi causæ, cui inhærent, quæ tamen, ubi abstracte concipiuntur, in partes possunt dividi, et ut finita spectari; quædam denique infinita, vel,

si mavis, indefinita dici, propterea quod nullo numero adæquari queant, quæ tamen majora et minora possunt concipi; quia non sequitur, illa necessario debere esse æqualia, quæ numero adæquari nequeunt, ut ex allato exemplo et aliis multis factis est manifestum.

Denique causas errorum et confusionum, quæ circa Quæstionem de Infinito ortæ sunt, breviter ob oculos posui, easque, ni fallor, ita explicui omnes, ut non putem ullam superesse circa Infinitum Quæstionem, quam hic non attigi, aut quæ ex dictis facillime solvi non queat. Quare in his te detinere diutius, operæ pretium esse non judico.

Verum hic obiter adhuc notari velim, quod Peripatetici recentiores, ut quidem puto, male intellexerunt demonstrationem Veterum, qua ostendere nitebantur Dei existentiam. Nam, ut ipsam apud Judæum quendam Rab Ghasdaj * vocatum reperio, sic sonat. Si datur progressus causarum in infinitum, erunt omnia, quæ sunt, etiam causata: Atqui nulli, quod causatum est, competit, vi suæ naturæ necessario existere: Ergo nihil est in Natura, ad cujus essentiam pertinet necessario existere. Sed hoc est absurdum: ergo et illud. Quare vis argumenti non in eo sita est, quod impossibile sit, dari actu Infinitum, aut progressus causarum in infinitum, sed tantum in eo, quod supponatur, res, quæ suâ naturâ non necessario existunt, non determinari ad existendum a re suâ naturâ necessario existentem.

Transirem jam, quia tempus me festinare cogit, ad secundam tuam Epistolam: sed ad ea, quæ isthac continentur, commodius, cum dignatus fueris me invisere, respondere potero. Quæso itaque, si fieri potest, ut quamprimum venias; nam tempus migrandi festinanter accedit. Tantum est. Vale, meique memor vive, qui sum, etc.

[Rhenoburgi 20. Aprilis 1663., teste Verf. Belg.]

Hic fortasse inferenda Epistola quam nos auctore utraque Vet. Ed. XVII fecimus.

* R. Chasdai Crescas, de cujus doctrina libellum Germanicum scripsit M. Joël, Vratislaviæ anno 1866. editum, deinde in ejus Symbolas Historico-Philosophicas (ib. 1876. vol. II.) receptum.

E P I S T O L A XIII (OLIM IX).

Viro Nobilissimo ac Doctissimo

HENRICO OLDENBURGIO

B. D. S.

*Responso ad Epistolam XI.**Vir Nobilissime,*

Literas tuas, mihi dudum desideratas, tandem accepi, iisque etiam respondere licuit. Verum, priusquam id aggrediar, ea, quæ impediverunt, quo minus antehac rescribere potuerim, paucis dicam. Cum mense Aprili meam supellectilem huc * transtuli, Amstelædamum profectus sum. Ibi quidam me Amici rogarunt, ut sibi copiam facerem cujusdam Tractatus, secundam Partem Principiorum Cartesii, more Geometrico demonstratam, et præcipua, quæ in Metaphysicis tractantur, breviter continentis, quam ego cuidem juveni, quem meas opiniones aperte docere nolebam, antehac dictaveram. Deinde rogarunt ut quam primum possem, primam etiam Partem eadem Methodo concinnarem. Ego, ne amicis adversarer, statim me ad eam conficiendam accinxi, eamque intra duas hebdomadas confeci, atque amicis tradidi, qui tandem me rogarunt, ut sibi illa omnia edere liceret; quod facile impetrare potuerunt, hac quidem lege, ut eorum aliquis, me præfente, ea stylo elegantiori ornaret, ac Præfatiunculam adderet, in qua Lectores moneret, me non omnia, quæ in eo Tractatu continentur, pro meis agnoscere, cum non pauca in eo scripserim, quorum contrarium prorsus amplector, hocque uno aut altero exemplo ostenderet. Quæ omnia amicus quidam, cui editio hujus libelli curæ est, pollicitus est facere, et hac de causa aliquod tempus Amstelædami moratus sum. Et a quo in hunc pagum, in quo jam habito, reversus fui, vix mei juris esse potui propter amicos, qui me dignati sunt invisere. Jam tandem, Amice suavissime, aliquid superest temporis, quo hæc tibi communicare, simulque rationem,

* Voorburgum nempe, ut recte monet Kuno Fischer (Gesch. d. n. Phil. I. 2. p. 135. ed. 3.).

cur ego hunc Tractatum in lucem prodire sino, reddere possum. Hac nempe occasione forte aliqui, qui in mea patria primas partes tenent, reperientur, qui cætera, quæ scripsi, atque pro meis agnosco, desiderabunt videre; adeoque curabunt, ut ea extra omne incommodi periculum communis juris facere possim: hoc vero si contingat, non dubito, quin statim quædam in publicum edam; sin minus, filebo potius, quam meas opiniones hominibus invita patria obtrudam, eosque mihi infensos reddam. Precor igitur, Amice honorande, ut eo usque exspectare non graveris: tum enim aut ipsum Tractatum impressum, aut ejus compendium, ut a me petis, habebis. Et si interim ejus, qui sub prælo jam sudat, unum aut alterum exemplar habere velis, ubi id rescivero, et simul medium, quo ipsum commode mittere poterò, tuæ voluntati obsequar.

Revertor jam ad tuam Epistolam. Magnas tibi, uti debeo, Nobilissimoque Boylio ago gratias pro perspectissima tua erga me benevolentia, proque benefica tua voluntate: tot enim tantique momenti et ponderis negotia, in quibus versaris, non potuerunt efficere, ut tui Amici oblivisceris, quin imò benigne polliceris, te omni modo curare, ne in posterum consuetudo nostra literaria tamdiu interrumpatur. Eruditissimo Domino Boylio magnas etiam ago gratias, quod ad meas Notas dignatus fuerit respondere, quamvis obiter, et quasi aliud agendo. Equidem fateor, eas non tanti esse momenti, ut Eruditissimus Vir in iis respondendo tempus, quod altioribus cogitationibus impendere potest, consumat. Ego quidem non putavi, immo mihi persuadere non potuissim, quod Vir Eruditissimus nihil aliud sibi proposuerit in suo Tractatu de Nitro, quam tantum ostendere doctrinam illam puerilem et nugatoriam, de Formis Substantiabilibus, Qualitatibus, etc. infirmo talo niti; sed, cum mihi persuasissim, Clarissimum Virum naturam Nitri nobis explicare voluissim: quod nempe esset corpus heterogeneousum, constans partibus fixis et volatilibus, volui mea explicatione ostendere (quod puto me satis superque ostendissim), nos posse omnia, quæ ego saltem novi, Nitri Phænomena facillime explicare, quamvis non concedamus Nitrum esse corpus heterogeneousum, sed homogœneum. Quocirca meum non erat ostendere, sal fixum fæces esse Nitri, sed tantum supponere; ut viderem, quo-

modo mihi Vir Clarissimus ostendere posset, illud sal non esse fæces, sed prorsus necessarium ad essentiam Nitri constituendam, sine quo non posset concipi; quia, ut dico, putabam, Virum Clarissimum id ostendere voluisse. Quod vero dixi, sal fixum meatûs habere ad mensuram particularum Nitri excavatos, eo non egebam ad redintegrationem Nitri explicandam: nam ut ex eo, quod dixi, nempe quod in sola consistencia Spiritûs Nitri ejus redintegratio consistit, clare apparet, omnem calcem, cujus meatus angustiores sunt, quam ut particulas Nitri continere queant, quorumque parietes languidi sunt, aptam esse ad motum particularum Nitri sistendum, ac proinde ex mea Hypothesi ad ipsum Nitrum redintegrandum; adeoque non mirum esse, alia falsia, tartari scilicet, et cinerum clavellatorum, reperiri, quorum ope Nitrum redintegrari potest. Sed ideo tantum dixi, sal Nitri fixum meatûs habere ad mensuram particularum Nitri excavatos, ut causam redderem, cur sal fixum Nitri magis aptum sit ad Nitrum ita redintegrandum, ut parum absit de pristino suo pondere; immo ex eo, quod alia falsia reperiantur, quibus Nitrum redintegrari potest, putabam ostendere, calcem Nitri ad essentiam Nitri constituendam non requiri, nisi Vir Clarissimus dixisset, nullum sal esse, quod sit (Nitro scilicet) magis catholicum: adeoque id in tartaro et cineribus clavellatorum latere potuisse. Quod porro dixi, particulas Nitri in majoribus meatibus a materia subtiliori cingi, id ex vacui impossibilitate, ut Clarissimus Vir notat, conclusi; sed nescio, cur vacui impossibilitatem Hypothesin vocat, cum clare sequatur ex eo, quod nihili nullæ sint proprietates. Et miror, Virum Clarissimum de hoc dubitare, cum videatur statuere, nulla dari accidentia realia: an quæso non daretur accidens reale, si daretur Quantitas absque Substantia?

Quod ad causas differentiaë saporis Spiritûs Nitri et Nitri ipsius attinet, eas proponere debui, ut ostenderem quomodo poteram, ex sola differentia, quam inter Spiritum Nitri et Nitrum ipsum admittere tantum volui, nullâ falsi fixi habitâ ratione, ejus Phænomena facillime explicare.

Quæ autem tradidi de Nitri inflammabilitate, et Spiritûs Nitri ἀφλογία, nihil aliud supponunt, quam quod ad excitandam in aliquo

corpore flammam requiratur materia, quæ ejus corporis partes disjungat agitetque; quæ duo quotidianam experientiam et Rationem fatis docere puto.

Transeo ad experimenta, quæ attuli, non ut absolute, sed, ut expresse dixi, *aliquo modo*, meam explicationem confirmarem. In primum itaque experimentum, quod attuli, nihil Vir Clarissimus adfert, præter quod ipse expressissimis verbis notavi; de cæteris vero, quæ etiam tentavi, ut id, quod Vir Clarissimus mecum notat, minus suspicarer, nihil profus ait. Quod deinde in secundum experimentum adfert, nempe defæcatione ut plurimum liberari Nitrum a sale quodam, sal commune referente, id tantum dicit, sed non probat: ego enim, ut expresse dixi, hæc experimenta non attuli, ut iis ea, quæ dixi, profus confirmarem; sed tantum quia ea experimenta, quæ dixeram, et Rationi * convenire ostenderam, illa aliquo modo confirmare viderentur. Quod autem ait, adscensum in stiriolas communem illi esse cum aliis salibus, nescio quid id ad rem faciat: concedo enim, alia etiam salia fæces habere, atque volatiliora reddi, si ab iis liberentur. In tertium etiam experimentum nihil video adferri, quod me tangat. In sectione quinta auctorem Nobilem culpare Cartesium putavi, quod etiam in aliis locis, pro libertate philosophandi cuivis concessa, utriusque Nobilitate illæsa fecit; quod forte etiam alii, qui Cl. Viri scripta et Cartesii Principia legerunt, idem, nisi expresse moneantur, mecum putabunt. Necdum video Cl. Virum suam mentem aperte explicare: nondum enim ait, an Nitrum Nitrum esse definet, si ejus stiriolæ visibiles, de quibus tantum loqui ait, raderentur, donec in parallelipipeda aut aliam figuram mutarentur.

Sed hæc relinquo, et ad id, quod Cl. Vir ad ea, quæ in Sectione 13—18. ponit, transeo, atque dico, me libenter fateri, hanc Nitri redintegrationem præclarum, quidem experimentum esse ad ipsam Nitri naturam investigandam, nempe ubi prius principia Philosophiæ Mechanicæ noverimus, et quod omnes corporum variationes secundum Leges Mechanicæ fiant; sed nego, hæc ex modo dicto experi-

* Ed. Pr.: *ratione*.

mento clarius atque evidentius sequi, quam ex aliis multis obviis experimentis, ex quibus tamen hoc non evincitur. Quod vero Vir Cl. ait, se hæc sua apud alios tam clare tradita et tractata non invenisse, forte aliquid in rationes Verulamii et Cartesii, quod ego videre non possum, habet, quo ipsas se refutare posse arbitratur. Eas hic non adfero, quia non puto Cl. Virum ipsas ignorare; hoc tamen dicam, ipsos etiam voluisse, ut cum eorum Ratione convenirent Phenomena; si nihilominus in quibusdam erraverunt, homines fuerunt; humani nihil ab ipsis alienum puto. Ait porro, magnum discrimen intercedere inter ea (obvia scilicet et dubia, quæ attuli, experimenta) circa quæ, quid adferat Natura, quæque interveniant, ignoramus, et inter ea, de quibus certo constat, quænam ad ea adferantur. Verum nondum video, quod Clarissimus Vir nobis explicuerit naturam eorum, quæ in hoc subiecto adhibentur, nempe calcis Nitri, huiusque Spiritûs; adeo ut hæc duo non minus obscura videntur, quam quæ attuli, calcem nempe communem et aquam. Ad lignum quod attinet, concedo id corpus esse magis compositum quam Nitrum; sed quamdiu utriusque naturam, et modum, quo in utroque calor oritur, ignoro, quid id quæso ad rem facit? Deinde nescio, qua ratione Clar. Vir affirmare audeat, se scire, quæ in hoc subiecto, de quo loquimur, Natura adferat. Qua quæso ratione nobis ostendere poterit, illum calorem non ortum fuisse a materia aliqua subtilissima? An forte propterea, quod parum fuerit de pristino pondere desideratum? Quamvis nihil desideratum fuisset, nihil meo quidem iudicio concludere posset: videmus enim, quam facile res ex parva admodum quantitate materiæ colore aliquo imbui possunt, neque ideo ponderosiora, quoad sensum, neque leviora fieri. Quare non sine ratione dubitare possum, an forte quædam non concurrerint, quæ nullo sensu observari potuissent; præsertim quamdiu ignoratur, quomodo omnes illæ Variationes, quas Vir Clar. inter experiendum observavit, ex dictis corporibus fieri potuerunt; imo pro certo habeo, calorem, et illam effervescentiam, quam Clar. Vir recitat, a materia adventitia ortas fuisse. Deinde puto, me facilius ex aquæ ebullitione (taceo jam agitationem) posse concludere, aëris concitationem causam esse, a qua sonus oritur, quam ex hoc experimento, ubi eorum,

quæ concurrunt, natura plane ignoratur, et in quo calor etiam observatur, qui quomodo, sive a quibus causis ortus fuerit, nescitur. Denique multa sunt, quæ nullum profus spirant odorem, quorum tamen partes, si utcumque concitentur, atque incalescant, odor statim perferitur, et si iterum frigeſcant, nullum iterum odorem habent (ſaltem quoad humanum ſenſum), ut exempli gratia fuccinum, et alia, quæ etiam nescio an magis composita ſint quam Nitrum.

Quæ ad Sectionem vigesimam quartam notavi, ostendunt, spiritum Nitri non esse purum Spiritum, sed calce Nitri aliisque abundare; adeoque me dubitare, an id, quod Vir Clarissimus ope libellæ deprehendisse ait, quod nempe pondus Spiritus Nitri, quem instillavit, pondus illius, quod inter detonandum perierat, fere exæquabat, fatis caute observare potuit.

Denique, quamvis aqua pura, quoad oculum, ſalia alcaliſata citius ſolvere poſſit; tamen, cum ea corpus magis homogeneum quam aër ſit, non poteſt, ſicuti aër, tot genera corpusculorum habere, quæ per omnis generis calcis poros ſe inſinuare poſſint. Quare, cum aqua certis particulis unius generis maxime conſtet, quæ calcem ad certum terminum uſque diſſolvere poſſunt, aër vero non item, inde ſequitur, aquam uſque ad illum terminum longe citius calcem diſſoluturam, quam aërem; ſed, cum contra aër conſtet etiam craſſioribus, et longe ſubtilioribus, et omnis generis particulis, quæ per poros longe anguſtiores, quam quos particulæ aquæ penetrare poſſunt, multis modis ſe inſinuare poſſunt; inde ſequitur, aërem, quamvis non tam cito atque aquam, nempe quia non tot particulis uniuscujusque generis conſtare poteſt, longe tamen melius atque ſubtilius diſſolvere calcem Nitri poſſe, eamque languidiorem, ac proinde aptiorem ad motum particularum Spiritus Nitri ſuſtendum, reddere. Nam nullam aliam differentiam inter Spiritum Nitri et Nitrum ipſum adhuc agnoſcere cogor ab experimentis, quam quod particulæ hujus quieſcant, illius vero valde concitatæ inter ſeſe agitentur; adeo ut eadem differentia, quæ eſt inter glaciem et aquam, ſit inter Nitrum et ejus Spiritum.

Verum te circa hæc diutius detinere non audeo: vereor, ne nimis prolixus fuerim, quamvis, quantum quidem potui, brevitati ſtudue-

rim; si nihilominus molestus fui, id, ut ignoscas, oro, simulque ut ea, quæ ab Amico libere et sincere dicta sunt, in meliorem partem interpreteris. Nam ego de his profus tacere, ut tibi rescriberem, inconsultum judicavi. Ea tamen apud te laudare, quæ minus placebant, mera esset adulatio, qua nihil in Amicitiiis perniciosius et damnosius censeo. Constitui igitur, mentem meam apertissime explicare; et nihil hoc viris Philosophis gratius fore judicavi. Interim si tibi videbitur consultius, hæc cogitata igni potius, quam Eruditissimo Domino Boylio tradere, in tua manu sunt; fac ut lubet, modo me tibi Nobilissimoque Boylio addictissimum atque amantissimum credas. Doleo, quod propter tenuitatem meam hoc non nisi verbis ostendere valeam; attamen, etc.

[Voorburgi, 17/27 Jul. 1663.]

EPISTOLA XIV (OLIM X).

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

Clarissime Vir, Amice plurimum colende,

Commercii nostri literarii instaurationem in magna pono parte felicitatis. Scias itaque, me tuas, 17/27 Julii ad me datas, accepisse insigni cum gaudio, duplici imprimis nomine, tum quod salutem tuam testarentur, tum quod de tuæ erga me amicitia constantia certio rem me redderent. Accedit ad cumulum, quod mihi nuncias, te primam et secundam Principiorum Cartesii partem, more Geometrico demonstratam, prælo commisisse, ejusdem unum alterumve exemplar liberalissime mihi offerens. Accipio munus perlubenti animo, rogoque, ut istum sub prælo jam sudantem Tractatum, si placuerit, Domino Petro Serrario, Amstelædami degenti, pro me transmittas. In mandatis quippe ipsi dedi, ut ejusmodi fasciculum recipiat, et ad me per amicum trajicientem expediat.


Cæterum permittas tibi dicam, me impatienter ferre, te etiamnum suppressere ea scripta, quæ pro tuis agnoscis, in Republica imprimis tam libera, ut sentire ibi quæ velis, et quæ sentias dicere liceat. Perrumpere te velim ista repagula, imprimis cum subticere nomen tuum possis, et hac ratione extra omnem periculi aleam te collocare.

Nobilissimus Boylius peregre abiit: quamprimum redux fuerit factus in Urbem, communicabo ipsi eam Epistolæ tuæ doctissimæ partem, quæ illum spectat, ejusque de conceptibus tuis sententiam, quam primum eam nactus fuero, rescribam. Puto, te jam vidisse ipsius Chymistam Scepticum, qui jamdudum * Latine editus, inque exterorum oris dispersus fuit, multa continens Paradoxa Chymico-Physica, et Spagyricorum principia Hypostatica (ut vocant) sub examen severum revocans.

Alium nuper edidit libellum, qui forte necdum ad Bibliopolas vestros pervenit: quare eum hoc involucro tibi mitto, rogoque peramanter, ut hoc munusculum boni consulas. Continet libellus, ut videbis, defensionem virtutis Elasticæ Aëris contra quendam Franciscum Linum, qui funiculo quodam, intellectum juxta ac sensum omnem fugiente, Phænomena, in Experimentis novis Physico-Mechanicis Domini Boylii recitata, explicare fatagit. Evolve et expende libellum, et tua de eo animi sensa mihi deprome.

Societas nostra Regia institutum suum gnavigatorum pro viribus profequitur, intra experimentorum observationumque cancellos sese continens, omnesque Disputationum anfractus devitans.

Egregium nuper captum fuit experimentum, quod valde torquet Vacuistis, Plenistis vero vehementer placet. Est vero tale. Phiala vitrea A, repleta ad summam aquæ, orificio ejus in vas vitreum B, aquam continens, inverso, imponatur Recipienti Novæ Machinæ Pneumaticæ Domini Boylii; exhauriatur mox aër ex Recipiente: conspiciuntur bullæ magnâ copiâ ex aqua in Phialam A ascendere, et omnem inde aquam in vas B,



* Editio Latina Rotædammi anno 1662. prodiit ex officina Arnoldi Leers,

infra superficiem aquæ ibi contentæ, depellere. Relinquantur in hoc statu duo vascula ad tempus unius alteriusve diei, aëre identidem ex dicto Recipiente crebris exantlationibus evacuato. Tum eximantur e Recipiente, et Phiala A repleatur hac aqua, aëre privata, rursusque invertatur in vas B, ac Recipienti denuo utrumque vas includatur. Exhausto iterum Recipiente per debitas exantlationes, conspicietur forte bullula quædam ex collo Phialæ A adscendere, quæ ad summitatem emergens, et continuatâ exantlatione seipsam expandens, rursus omnem depellet aquam ex Phiala, ut prius. Tum Phiala iterum ex Recipiente eximatur, et exhaustâ aëre aquâ ad summum repleatur, invertaturque, ut prius, et Recipienti immittatur. Tum aëre probe evacuetur Recipiens, eoque rite et omnino evacuato, remanebit aqua in Phiala sic suspensa, ut nullatenus descendat. In hoc experimento causa, quæ juxta Boyleum sustinere aquam in experimento Torricelliano statuitur (aër nempe, aquæ in vasculo B incumbens) ablata plane videtur, nec tamen aqua in Phiala descendit. Plura statueram hic subungere, sed amici et occupationes me avocant.

Non possum claudere literas, quin iterum iterumque tibi inculcem publicationem eorum, quæ tu ipse es meditatus. Nunquam desistam te hortari, donec petitioni meæ satisfeceris. Interea temporis, si quædam contentorum illorum capita mihi impertiri velles, oh! quam te deperirem, quantaque necessitudine me tibi obstrictum judicarem! Valeas florentissimè, meque ut facis amare pergas,

Tui Studiofissimum et Amicissimum

HENR. OLDENBURG.

Londini, 31. Julii [s. 10. Aug., ut habet Verf.
Belg. secundum stylum novum], 1663.

EPISTOLA XV.

D^o. LUDOVICO MAJERO

S. P. D.

B. DE SPINOZA.

E schedis Victoris Cousin hanc deprompsit Fred. Pollock:
Spinoza, Lond. 1880, p. 448.

Amice suavissime

Præfationem, quam mihi per amicum nostrum de Vries misisti, en tibi per eundem remitto. Pauca, ut ipse videbis, in margine notavi, sed adhuc pauca supersunt, quæ tibi per literas significare consultius duxi. Nempe 1. ubi pag. 4 lectorem mones, qua occasione * primam partem composuerim, vellem ut simul ibi, aut ubi placuerit, etiam moneres, me eam intra duas hebdomadas composuisse. hoc enim præmonito nemo putabit, hæc adeo clare proponi, ut quæ clarius explicari non possent, adeoque verbulo uno aut altero, quod forte hic illic obscurum offendent *, non hærebunt. 2°. vellem moneres, me multa alio modo quam a Cartesio demonstrata sunt demonstrare, non ut Cartesium corrigam, sed tantum ut meum ordinem melius retineam, et numerum axiomatum non ita augerem. et hac etiam de causa multa, quæ a Cartesio nuda sine ulla demonstratione proponuntur, demonstrare, et alia, quæ Cartesius missa fecit, addere debuisse. denique enixissime te rogare volo, amice charissime, ut illa, quæ in fine scripsisti, in illum homunculum missa faceres, ipsaque prorsus deleres. Et quamvis ad hoc te rogandum multæ me moveant rationes, unam tantum reddam; vellem enim, ut omnes sibi facile persuadere possint, hæc in omnium hominum gratiam evulgari, teque in hoc libello edendo solo veritatis propagandæ desiderio teneri, teque adeo maxime curare, ut hoc opusculum omnibus gratum sit, hominesque ad veræ philosophiæ studium benevole atque benigne invitare omniumque utilitati studere. quod facile unusquisque credit,

* In autographo *occasione* et *offendent* leguntur, quæ sunt viri Hispanice docti. Contra in voce *promiserat* (p. 56) litera *f* perperam duplicata est.

ubi neminem lædi videbit, nec aliquid proponi, quod alicui offendiculo esse potest. Quod si tamen postea vir iste, aut alius, suum malevolum animum ostendere velit: tum ejus vitam et mores non sine applausu depingere poteris. Peto igitur, ut eousque expectare non graveris, teque exorare finas, et me tibi addictissimum credas, atque

omni studio tuum

B. DE SPINOZA.

Voorburgi 3. augusti 1663.

Amicus de Vries hæc secum ferre promiserat *, sed quia nescit quando ad vos reversurus est, per alium mitto.

His tibi simul mitto partem scholii prop. 27. partis 2. sicut pagina 75. incipit, ut ipsum typographo tradas, et denuo imprimatur.

Hæc quæ hic mitto debent necessario denuo imprimi et 14. vel 15. regulæ addi debent, quæ commode possunt intertexi.

EPISTOLA XVI (OLIM XI).

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

Præstantissime Vir, et Amice Colendissime,

Vix tres quatuorve dies sunt elapsi, ex quo Epistolam per tabelionem ordinarium ad te dabam. Memineram ibi cujusdam libelli a Domino Boylio conscripti, et tibi transmittendi. Non tum affulgebat spes tam cito nanciscendi amicum, qui eum perferret. Ex eo tempore se obtulit quidam opinione mea celerius. Accipias igitur nunc, quod tunc mitti non poterat, unaque Domini Boylii, qui nunc rure in Urbem reversus est, salutem officiosissimam. Rogat ille, ut Præfationem in Experimenta ipsius circa Nitrum factam consulas, intellecturus inde verum, quem sibi præstituerat in eo Opere, scopum; ostendere

* Respice pag. 55. ann.

videlicet, resurgentis * Philosophiæ solidioris placita claris experimentis illustrari, et hæc ipsa sine Scholarum formis, qualitibus, elementis nugatoriis optime explicari posse; neutiquam autem in se suscepisse, naturam Nitri docere, vel etiam improbare ea, quæ de materiæ homogeneitate, deque corporum differentiis, ex motu et figura, etc. duntaxat exorientibus, a quoquam tradi possunt. Hoc duntaxat se voluisse ait, texturas corporum varias, varia eorum discrimina inducere; ab iisque diversa admodum effecta proficisci, riteque inde, quamdiu ad primam materiam resolutio facta non fuerit, heterogeneitatem aliquam a Philosophis et aliis concludi. Nec putem, in rei fundo inter te et Dominum Boyleum dissensum esse. Quod vero ais, omnem calcem, cujus meatûs angustiores sunt, quam ut particulas Nitri continere queant, quorumque parietes languidi sunt, aptam esse ad motum particularum Nitri sistendum, proindeque ad ipsum Nitrum redintegrandum; respondet Boyleus, si cum aliis calcibus Spiritus Nitri misceatur, non tamen cum ipsis verum Nitrum compositum iri.

Quoad Ratiocinationem, qua ad evertendum vacuum uteris, attinet, ait Boyleus, se eam nosse et prævidisse, at in ipsa nequaquam acquiescere: qua de re alibi dicendi locum fore asserit.

Petiit, ut te rogarem, an suppeditare ipsi exemplum possis, in quo duo corpora odora, in unum conflata, corpus plane inodorum (Nitrum scilicet) componant. Tales ait esse partes Nitri, Spiritum quippe ipsius terribiliter spargere odorem, Nitrumque fixum odore non destitui.

Rogat porro, ut probe consideres, an probam institueris inter glaciem aquamque cum Nitro ejusque Spiritu comparisonem: cum tota glacies non nisi in aquam resolvatur, glaciesque inodora, in aquam relapsa, inodora permaneat; discrepantes vero qualitates inter Nitri spiritum ejusque sale fixum reperiantur; uti Tractatus imprefus abunde docet.

Hæc et similia, inter differendum de hoc argumento, ab Illustri Authore nostro accipiebam; quæ, per memoriæ meæ imbecillitatem,

* Ed. Pr.: *resurgenti*.

cum multa ejus fraude potius, quam existimatione, me repetere certus sum. Cum de rei summa consentiatis, nolim hæc ulterius exaggerare; potius author effem, ut ingenia jungatis uterque ad Philosophiam genuinam solidamque certatim excolendam. Te imprimis monere mihi fas fit, ut principia rerum pro Mathematici tui ingenii acumine consolidare pergas: uti Nobilem meum amicum Boylium sine mora pellicio, ut eandem experimentis et observationibus, pluries et accurate factis, confirmet illustretque. Vides, Amice Charissime, quid moliar, quid ambiam. Novi nostrates hoc in Regno Philosophos suo muneri experimentali nequaquam defuturos; nec minus persuasum mihi habeo, te quoque provincia tua gnaviter perfuncturum, quicquid ogganniat vel criminetur sive Philosophorum sive Theologorum vulgus. Cum literis prægressis jam te fuerim pluribus ad hoc ipsum hortatus, nunc me reprimo, ne fastidium tibi creem. Hoc saltem peto ulterius, ut quæcunque eorum typis jam mandata sunt, quæ vel in Cartesium es commentatus, vel ex intellectus tui scriniis propriis depromisti, quanto ocius mihi transmittere per Dominum Serrarium digneris. Habebis me tanto arctius tibi devinctum, intelligesque quavis data occasione, me esse

Tui Studiofissimum

HENR. OLDENBURG.

Londini, 4. August. 1663.

E P I S T O L A XVII (OLIM XXX).

Viro Doctissimo ac Prudentissimo

PETRO BALLING

B. D. S.

*Verbo **.

Dilectæ Amicæ,

Postrema tua, 26. elapsi mensis, ni fallor, scripta, recte ad meas manus pervenit. Non exigua me ea tristitia ac sollicitudine affecit;

* Hanc non fecerunt, sed ab ipso Spinoza factam esse arbitrabantur veteres editores, quandoquidem in Vers. Belg. margine Latina verba afferuntur.

licet eadem valde decreverit, ubi tuam prudentiam et animi fortitudinem perpendo, quibus fortunæ, vel potius opinionis incommoda eo tempore, quo validissimis te oppugnant armis, contemnere nosti. Mea tamen indies accrescit sollicitudo; et propterea per nostram ego te amicitiam oro atque obsecro, ne multis ad me scribere tibi grave sit. Quantum omina, quorum mentionem facis, attinet, nempe quod infante tuo adhuc sano et valente tales gemitus audiveris, quales edebat quum ægrotabat, et paulo post fatis concedebat; existimarem ego, hunc verum non fuisse gemitum, sed non nisi tuam imaginationem; quia ais, quod, quum te levabas, et, ut audires, te componebas, tam clare eos non audiveris, quam antea, vel postea, quum in somnum relapsus fueris. Profecto hoc ostendit, eos gemitus non nisi meram fuisse imaginationem, quæ soluta et libera certos gemitus efficacius et vividius imaginari potuit, quam eo tempore, quo te erigebas, ut ad certum locum auditum dirigeres. Quod hic dico, alio casu, qui mihi elapsa hieme Rhenoburgi * accidit, confirmare, simulque explicare possum. Quum quodam mane, lucescente jam cælo, ex somnio gravissimo evigilarem, imagines, quæ mihi in somnio occurrerant, tam vivide ob oculos versabantur, ac si res fuissent veræ, et præsertim cujusdam nigri et scabiosi Brasiliani, quem nunquam antea videram. Hæc imago partem maximam disparebat, quando, ut me alia re oblectarem, oculos in librum vel aliud quid defigebam: quamprimum vero oculos a tali objecto rursus avertebam, sine attentione in aliquid oculos defigendo, mihi eadem ejusdem Æthiopis imago eadem vividitate, et per vices, apparebat, donec paulatim circa caput dispareret. Dico, idem, quod mihi in sensu meo interno visus occurrit, in tuo occurrisse auditu. Sed quoniam causa longe diversa fuit, casus tuus, non vero meus, omen fuit. Ex eo, quod jam narrabo, res clare deprehendetur. Effectus imaginationis ex constitutione vel Corporis vel Mentis oriuntur. Hoc, ut omnem evitem prolixitatem, impræsentiarum sola experientia probo. Experimur febres, aliasque corporeas alterationes, deliriorum

* Itaque aut Voorburgo amicos revisurus illuc reversus erat, aut epistola anni 1663 est: Cf. supra pag. 46.

causas esse, et eos, qui tenacem habent sanguinem, nihil aliud quam rixas, molestias, cædes, hisque similia imaginari. Videmus etiam imaginationem tantummodo ab animæ constitutione determinari; quandoquidem, ut experimur, intellectûs vestigia in omnibus sequitur, et suas imagines ac verba ex ordine, sicuti suas demonstrationes intellectus, concatenat et invicem connectit; adeo ut fere nihil possimus intelligere, de quo imaginatio non aliquam e vestigio formet imaginem. Hoc cum ita sit, dico, omnes imaginationis effectûs, qui a corporeis causis procedunt, nunquam rerum futurarum posse esse *omina*; quia eorundem causæ nullas res futuras involvunt. Sed vero imaginationis effectûs, vel imagines, quæ originem suam ab Mentis constitutione ducunt, possunt alicujus rei futuræ esse *omina*; quia Mens aliquid, quod futurum est, confuse potest præsentire. Quare id adeo firmiter et vivide potest sibi imaginari, ac si ejusmodi res esset præsens; nempe, pater (ut tui simile adducam exemplum) adeo filium suum amat, ut is et dilectus filius quasi unus idemque sint. Et quoniam (juxta id, quod alia occasione demonstravi) filii essentiæ affectionum, et quæ inde sequuntur, necessario in Cogitatione dari debet idea, et pater, ob unionem, quam cum filio suo habet, pars memorati filii est, etiam necessario patris anima de essentia ideali filii, et ejusdem affectionibus, et iis, quæ inde sequuntur, participare debet, ut alibi prolixius demonstravi. Porro, quoniam patris anima idealiter de iis, quæ essentiam filii consequuntur, participat, ille (ut dixi) potest interdum aliquid ex iis, quæ ejus essentiam consequuntur, tam vivide imaginari, ac si id coram se haberet, si nimirum sequentes concurrunt conditiones: I. si casus, qui filio in vitæ decursu accidet, notabilis erit; II. si talis erit, quem facillime imaginari possumus; III. si tempus, quo hic continget casus, non admodum remotum est; IV. denique si corpus bene constitutum est; non tantum quod sanitatem spectat, sed etiam si liberum, et omnibus curis et negotiis vacuum est, quæ externe sensus turbant. Huic rei inservire quoque potest, quod ea cogitemus, quæ ut plurimum his similes excitant ideas. Exempli gratia, si, interea dum cum hoc illove loquimur, gemitus audimus, plerumque fiet, ut, ubi de eodem homine iterum cogitamus, ii gemitus, quos auribus perci-

piebamus, quum cum ipso loquebamur, in memoriam sint venturi. Hæc, amice dilecte, mea de tua Quæstione est sententia. Brevissimus, fateor, fui; sed dedita opera. ut materiam prima quavis occasione ad me scribendi tibi suppeditarem, etc.

Voorburgi, 20 Julii 1664 (?).

EPISTOLA XVIII (OLIM XXXI).

Clarissimo Viro

B. D. S.

GUILIELMUS DE BLYENBERGH.

Versio *.

Mi Domine, et Amice ignote,

Jam sæpiuscule tuum Tractatum, una cum ejus Appendice, nuper in lucem editum, attente evolvi. Magis me decebit, quam alium, ut ** tibi narrem summam quam in eo reperi soliditatem, et quam inde percepi voluptatem; id tamen reticere nequeo, quod, quo frequentius cum attentione eum percurro, eo magis mihi placeat, et continuo aliquid observem, quod antea non animadverteram. Verumenimvero (ne hac in Epistola Adulator videar) nolo ejus Auctorem nimium admirari: Novi, Deos omnia laboribus vendere. Ne autem te in admiratione nimis diu detineam, quis sit, et qui fiat, ut tibi ignotus tanta ad te scribendi libertate utatur, dicam tibi, eum esse, qui, desiderio puræ et sinceræ veritatis impulsus, in brevi hac et fragili vita pedes suos in scientia, quantum humanum nostrum patitur ingenium, figere studet: quique nullum alium, ad indagandum veritatem, scopum sibi præfixit, quam ipsam verita-

* In Vers. Belg. margine Latina verba non laudantur; itaque ipsum Blyenbergii epistolam illic repeti apparet. Cff. quæ ad ep. XX notaturi sumus. At quoniam ad Spinozam cognoscendum nihil facit, exemplar vernacule scriptum hic omittimus. Versionem Latinam alicui ex amicis tribuendam opinamur.

** Ex. Belg. — Ed. Lat. ut aliis, quam.

tem; quique scientiâ nec honores nec divitias, sed meram veritatem, tranquillitatemque tanquam veritatis effectum, sibi acquirere conatur; et qui, ex omnibus veritatibus ac scientiis, nullis magis quam Metaphysicis, si non omnibus faltem aliqua earum parte, se oblectat: et qui omnem suam vitæ delectationem in eo collocat, ut horas otiosas et subcivivas in iis transigat. Verum nec quivis adeo beatus est, nec tantum adhibet studium, quantum mihi persuadeo te adhibuisse, et propterea quivis eo perfectionis non pervenit, quo te jam pervenisse, ex opere tuo perspicio. Verbo ut absolvam, is ipse est, quem familiarius cognoscere tibi licebit, si eum tibi tantopere devincere placeat, ut aperias et quasi perfores hærentes ejus cogitationes.

Sed ad Tractatum tuum redeo. Quemadmodum inibi multa inveni, quæ summopere palato arridebant, ita etiam quædam obtulerunt sese concoctu difficilia, quæque mihi tibi ignoto ita objicere haud æquum foret, eoque magis quod, grata nec ne hæc sint futura, me latet; et hæc est causa, cur hæc præmittam, et rogem, an liceat, si his vesperis Hiemalibus tempus superfuerit, tibi que placuerit ad meas difficultates, quæ mihi in libro tuo adhuc restant, respondere, nonnullas earum transmittere; hac tamen lege et obtestatione, ne ego rei magis necessariæ tibi que magis acceptæ impedimento sim: quoniam nihil intensius, juxta promissa in libro tuo facta, quam latiore opinio tuarum explicationem ac editionem desidero. Ipse id, quod tantem calamo et chartæ credo, coram salute impertitâ præstitissem; quia vero primo tuum hospitium mihi ignotum erat, dein morbus contagiosus, et denique munus meum impediabant, hoc ipsum in aliud ac aliud tempus dilatum est.

Ne vero hæc epistola plane sit vacua, et quia simul spe ducor, non tibi fore ingratum, unicum tantum tibi proponam: nempe, te passim, tam in Principiis quam in Cogitatis Metaphysicis, statuere, sive ut propriam sententiam, sive ut Cartesium, cujus Philosophiam docebas, explicares, creare et conservare unum et idem esse (quod per se adeo clarum est iis, qui eo suas cogitationes direxerunt, ut etiam prima sit notio), et Deum non modo Substantias, sed etiam motum in Substantiis creasse, hoc est, Deum non solum Substantias in statu suo, continua creatione, verum etiam earundem motum ac

conatum conservare. Deus, verbi causâ, non tantum efficit, ut anima, immediatâ Dei voluntate atque operatione (perinde est, quomodo id nomines) diutius existat, inque suo perseveret statu; verum etiam causa est, ut tali modo sese ad animæ motum habeat: hoc est, quemadmodum continua Dei creatio efficit, ut res diutius existant, ita quoque conatus vel rerum motus per eandem causam fit in rebus; quandoquidem extra Deum nullus motus datur causa. Sequitur igitur, Deum non tantum causam esse Substantiæ Mentis, sed etiam cujuscunque conatus vel motus Mentis, quem voluntatem nuncupamus, veluti passim statuis; ex qua assertione etiam necessario sequi videtur, vel nil mali in motu sive mentis voluntate * esse, vel Deum ipsum illud malum immediate operari. Nam ea quoque, quæ mala appellamus, per animam, et consequenter per ejusmodi immediatum influxum et Dei concursum * fiunt. Exempli gratia, Anima Adami vult edere de fructu prohibito; efficitur ergo, juxta superius tradita, non tantum ut illa Adami voluntas per Dei influxum velit, sed etiam, quemadmodum statim ostendetur, ut tali modo velit; adeo ut ille Adami prohibitus actus, quatenus Deus non modo voluntatem ejus movebat, sed et quatenus eam tali modo movebat, vel in se non sit malus, vel ut Deus ipse illud operari videatur, quod nos malum vocamus. Nec aut tu aut D. Cartesius hunc nodum solvere videris, dicendo malum esse *Non Ens*, cum quo Deus non concurrir: unde enim voluntas edendi aut voluntas Diabolorum ad superbiam procedebat? Nam quoniam voluntas (ut recte animadvertis) non sit diversum quid ab ipsa Mente, sed fit hic aut ille motus, vel Mentis conatus *, tam ad hanc quam ad illam motionem concursu Dei ei opus erit; jam vero Dei concursus, ut ex scriptis tuis intelligo, nihil aliud est, quam rem per suam voluntatem hoc vel illo pacto determinare: sequitur, ergo Deum æque cum mala voluntate, quatenus mala est, ac cum bona, quatenus bona est, concurrere, hoc est, eam determinare. Nam voluntas Dei, quæ causa absoluta est omnium quæ existunt, tam in substantia quam in conatu, videtur

* Intellige: *in mentis motu sive voluntate* et mox: *Dei influxum et concursum*; deinde: *Mentis motus vel conatus* (Ex. Belg.).

etiam prima causa esse malæ voluntatis, quatenus mala est. Deinde nulla in nobis fit voluntatis determinatio, quin Deus eam ab æterno sciverit; alioquin, si nesciverit, in Deo imperfectionem statuimus; sed qui Deus illam aliter sciverit, quam ex suis Decretis? Sunt igitur ejus Decreta nostrarum determinationum causa; et ita rursum sequi videtur, malam voluntatem vel non esse malum quid, vel Deum illius mali causam esse immediatam, et id operari. Neque hic Distinctio Theologorum, de differentia inter actum et malum actui adhærens, locum habere potest: nam Deus cum actum tum modum actûs decrevit, hoc est, Deus non solummodo decrevit, ut Adamus ederet, verum etiam, ut necessario contra mandatum ederet. Adeo ut iterum sequi videatur, vel rō edere Adami adversus præceptum non esse malum, vel Deum ipsum illud operari.

Hæc sunt, Vir Clarissime *, quæ in præsentia in Tractatu tuo percipere nequeo: extrema namque utrinque statuere durum est. Tale autem responsum a perspicaci tuo judicio et industria, quod mihi faciat satis, exspecto, et spero me sequentibus meis ostensurum, quantum tibi propterea debeam. Certo tibi, Vir Clar.*, persuadeas, me hæc nulla alia de causa, quam studio veritatis quærere: liber sum, nulli adstrictus professioni, honestis mercaturis me alo, et tempus, quod mihi reliquum est, hisce rebus impendo. Submisse quoque rogo, ut meæ difficultates tibi non sint ingrætæ; si ad hæc respondere animus est, id quod ardentissime cupio, scribe ad, etc. **

GUIL. DE BLYENBERGH.

Dordraci 12. Decemb. 1664.

* Ex. Belg.: *Waerde Heer*, id est *Domine carissime*.

** Ex. Belg. hæc addit: *onderwyle sal ick sijn en blyven*,

MIJN HEER

U E. Dienstwillige dienaar,

W. VAN BL.

E P I S T O L A XIX (OLIM XXXII).

Viro Doctissimo ac Prudentissimo

GUILIELMO DE BLYENBERGH

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Versio *.

Amice Ignote,

Epistolam tuam 12. Decembris datam, et in alia inclusam, scripta 24. ejusdem mensis, 26. Schiedami demum accepi; unde intensum tuum veritatis amorem, eamque solummodo omnium studiorum tuorum scopum esse, intelligebam: quod me, qui etiam in nihil aliud animum intendo, ut concluderem coëgit, non tantum petitionem, nempe ut ad tuas, quas jam mittis et imposterum mittes, Quæstiones pro viribus mei intellectus responderem, plene concedere, verum omnia quoque pro mea parte conferre, quæ ulteriori notitiæ sinceræque amicitiae inservire queunt. Quantum enim ad me attinet: Nullas ex omnibus rebus, quæ in potestate mea non sunt, pluris facio, quam cum Viris veritatem sincere amantibus fœdus inire amicitiae; quia credo, nos nihil omnino in mundo, quod nostræ potestatis non est, tranquillius, quam istiusmodi homines, posse amare; quoniam tam impossibile est amorem dissolvere, quem ii erga invicem habent, eo quod amore, quem unusquisque erga veritatis cognitionem habet, fundatus est, quam ipsam veritatem semel perceptam non amplecti. Est insuper summus ac gratissimus, qui in res **, quæ nostri arbitrii non sunt, dari potest; quandoquidem nulla res, præter veritatem, diversos sensus et animos penitus unire valet. Taceo maximas utilitates, quæ inde fluunt, ut rebus, quas procul dubio ipse nosti, diutius te non detineam, quod tamen huc usque feci, quo eo melius

* Ipsi Spinozæ tribuenda. Nam etsi exemplum vernaculum habere poterant veteres editores, tamen in margine Ed. Belg. Latina vocabula adscripta sunt. Nec in exemplo illo erat *Waarste Vrient* nec *Amice Ignote*, quæ in Operibus Posth. leguntur Cf. pag. 69.

** Ed. Pr.: *quæ in rebus.*

ostenderem, quam gratum mihi et imposterum futurum sit, occasionem nancisci ad meum tibi officium præstandum.

Ut autem præsentem captem, propius accedam, et ad Quæstionem tuam respondebo, quæ in eo vertitur cardine, nimirum, Quod clare videatur sequi, tam ex Dei Providentia, quæ ab ejus Voluntate non differt, quam ex Dei Concurfu, rerumque Creatione continua, vel nulla dari peccata nullumve malum, vel Deum ea peccata atque illud malum efficere. Verum non explicas, quid per malum intelligas, et quantum ex exemplo de determinata voluntate Adami perspicere licet, videris per malum intelligere ipsam voluntatem, quatenus tali modo determinata conciperetur, vel quatenus Dei mandato repugnaret, et propterea ais, magnam esse absurditatem (ut et ego, si se ita res haberet) alterutrum horum statuere, nempe, Deum ipsum res, quæ contra suam voluntatem sunt, operari, vel eas bonas fore, licet voluntati Dei repugnarent. Quoad me, non possum concedere, peccata et malum quid positivum esse, multo minus, aliquid esse aut fieri contra Dei voluntatem. Econtra dico, non solum peccata non esse quid positivum, verum etiam affirmo, nos non nisi improprie vel humano more loquendo dicere posse, nos erga Deum peccare, ut cum dicimus, homines Deum offendere.

Nam, primum quod spectat, novimus, quicquid est, in se consideratum sine respectu ad aliud quid, perfectionem includere, quæ sese eo usque in quacunque re extendit, quo se extendit ipsa rei essentia: nam essentia etiam nihil aliud est. Sumo, exempli gratia, consilium sive determinatam Adami voluntatem ad edendum de fructu prohibito: hoc consilium, sive illa determinata voluntas, in se solâ considerata tantum perfectionis includit, quantum realitatis exprimit; et hoc inde intelligi potest, nempe, quod in rebus nullam imperfectionem possimus concipere, nisi ad alias res attendamus, quæ plus habent realitatis; et propterea in Adami decreto, quando illud in se consideramus, nec cum aliis perfectioribus, perfectioremve statum ostendentibus, comparamus, nullam poterimus invenire imperfectionem; imo cum infinitis aliis comparare respectu illius longe perfectioribus, uti lapidibus, truncis, etc. licet. Et hoc quivis revera quoque concedit, nam quilibet res, quas in hominibus detestatur, cumque aver-

sione contemplatur, in animalibus cum admiratione intuetur, uti apum bella, atque columbarum zelotypiam, etc. quæ in hominibus spernuntur, et nihilominus ob ea animalia perfectiora judicamus. Hæc cum ita sint, clare sequitur, peccata, quandoquidem ea nil nisi imperfectionem indicant, non posse in aliquo consistere, quod realitatem exprimit, sicuti Adami decreto ejusque executione.

Præterea neque dicere valemus, Adami voluntatem cum Lege Dei pugnare, ac ideo illam esse malam, quia Deo displiceret: nam, præterquam quod magnam in Deo poneret imperfectionem, si quicquam contra ejus Voluntatem fieret, sique quid desideraret, cujus compos non fieret, ejusque natura tali modo determinata esset, ut, quemadmodum creaturæ, cum his Sympathiam, cum illis Antipathiam haberet; etiam omnino cum voluntate Divinæ naturæ pugnaret. Quia enim illa ab ejus intellectu non discrepat, impossibile æque est, aliquid fieri contra ejus Voluntatem, ac contra ejus Intellectum; hoc est, id, quod contra ejus Voluntatem fieret, talis deberet esse naturæ, ut ejus etiam Intellectui repugnaret, ut Quadratum Rotundum. Quandoquidem ergo voluntas decretumve Adami, in se spectatum, nec malum nec quoque, proprie loquendo, contra Dei Voluntatem erat; sequitur, Deum ejus causam posse, immo, juxta eam rationem, quam animadvertis, debere esse. Non vero quatenus malum erat: nam malum, quod in eo erat, non erat aliud, quam privationis status, quem propter illud opus Adamus amittere debebat; et certum est, Privationem non esse quid positivum, eamque respectu nostri, non vero Dei intellectus ita nominari. Hoc autem hinc oritur, quia cuncta ejusdem generis singularia, ea omnia, verbi gratia, quæ externam hominum figuram habent, una eademque Definitione exprimimus, et idcirco judicamus, ea omnia æque apta esse ad summam perfectionem, quam ex ejusmodi Definitione deducere possumus; quando autem unum invenimus, cujus opera cum ista pugnant perfectione, tunc id ea privatum esse judicamus, et a sua natura aberrare; quod haud faceremus, si id ad ejusmodi definitionem non retulissimus, talemque ei naturam affinxissemus. Quoniam vero Deus res nec abstracte novit, nec id genus generales format definitiones, nec plus realitatis rebus competit, quam iis Divinus intellectus et potentia

immisit et revera tribuit, manifesto sequitur, privationem istam solummodo respectu nostri intellectus, non vero respectu Dei dici posse.

Hicse, mihi ut videtur, Quæstio penitus soluta est. Ut vero viam magis planam reddam, omnemque scrupulum evellam, necesse habeo, ad has duas sequentes Quæstiones respondere. Nempe primo, quare S. Scriptura dicat, Deum flagitare, ut se improbi convertant, et etiam, quare Adamo prohibuerit ex arbore non edere, cum tamen contrarium conclusisset. Secundo, quod ex dictis meis sequi videatur, improbos superbia, avaritia, desperatione, etc. æque Deum colere, ac probos generositate, patientia, amore, etc., propterea quod Dei voluntatem exsequuntur.

Ad primum ut respondeam dico, Scripturam, quia plebi præcipue convenit et infervit, continuo humano more loqui: plebs etenim rebus sublimibus percipiendis inepta est. Et hæc est ratio, cur mihi persuadeam, ea omnia, quæ Deus Prophetis revelavit ad salutem esse necessaria, legum modo scribi; et hoc pacto integras Parabolas Prophetæ finxerunt. Nempe primo Deum, quia salutis et perditionis media revelarat, quorumque erat causa, instar Regis ac Legislatoris adumbrarunt; media, quæ nil nisi causæ sunt, Leges appellarunt, et ad modum Legum conscripserunt; salutem perditionemque, quæ nil nisi effectus sunt, qui necessario ex illis mediis fluunt, tanquam præmium et pœnam proposuerunt. Atque juxta hanc Parabolam magis quam juxta veritatem omnia sua verba ordinarunt, Deumque ad instar hominis passim expresserunt, modo iratum, modo misericordem, jam futura desiderantem, jam zelo et suspicione captum, quin ab ipso Diabolo deceptum; adeo ut Philosophi, et simul omnes, qui sunt supra Legem, hoc est, qui Virtutem non ut Legem sed ex amore, quia præstantissima est, sequuntur, ejusmodi verbis non debeant offendi.

Edictum ergo Adamo factum in hoc solummodo consistebat, nempe quod Deus Adamo revelavit, *non* edere ex illa arbore mortem operari, quemadmodum et nobis per naturalem intellectum revelat, venenum esse mortiferum. Si vero roges, in quem finem hoc ei revelaret? responsum do, ut eum tanto scientiâ perfectiorem redderet. Deum

ergo interrogare, quamobrem ipsi perfectiorem non dederit voluntatem, est æque absurdum, ac interrogare, cur circulo omnes globi proprietates non fuerit largitus, uti ex supra dictis perspicue sequitur, et ego Scholio Prop. 15. Partis primæ Princip. Cartes. more Geometrico demonstrat. demonstravi.

Secundam difficultatem quod attinet, verum quidem est, impios Dei voluntatem suo modo exprimere; ideo tamen cum probis nullatenus sunt comparandi: quo enim Res aliqua plus perfectionis habet, eo etiam magis de Deitate participat, Deique perfectionem exprimit magis. Quum ergo probi inæstimabiliter plus perfectionis quam improbi habeant, virtus eorum cum improborum virtute comparari nequit, eo quod improbi amore Divino, qui ex Dei profuit cognitione, et quo solo nos pro humano nostro intellectu Dei servi dicimur, carent. Imo, quia Deum non cognoscunt, non sunt nisi instrumentum in manu Artificis, quod inscium servit, et serviendo consumitur; probi contra conscii serviunt, et serviendo perfectiores evadunt.

Addimus ipsius auctoris verba Hollandica, quæ in diario anni 1705. publici juris fecit Franciscus Halma ex autographo hodie deperdito. Quod accurate ab illo descriptum esse, probatur Epistola XXVII simul expressâ cujusque archetypum habemus.

(Boekzaal der Geleerde Werrelt, Maart—April 1705, blz. 352 vv.)

Myn Heer, en seer aangename vrient.

U. E. brief van den 12. ingesloote in een ander van den 21 december; heb ik op den 26 dito, synde te schidam, eerst ontvangen, ust de welke versfont syn E. groote liefde tot de waarhyt, en dat zy alleen het doel van al syn geneegentheeden is, dat my, die ook niet anders beoogt, heeft doen besuyten niet alleen U.E. versoek, namelyk van op de vraagen, die hy nu sent, en in gevolg senden sal, nae myn verstant te willen antwoorden, volkoomentlyk toe te staan, maar ook van myn kant alles te doen dat tot naarder kennis, en oprechte vriendschap sal kunnen strekken. Want voor my van al die dingen,

die buyten myn maght syn, geen grooter aght als de eer te moogen hebben, van met luyde, die de waarhyt opreghtlyk beminnen, in verbont van vriendschap te treede, om dat ik geloof, dat wy niets ter werelt, dat buyten onse maght is, geruystigh konnen beminnen, dan sodanige menschen; doordien de liefde, die alsulke tot malkander draage, om dat sy gegront is op die, die ieder tot de kennis der waarhyt heeft, so onmog'lyk is te scheiden, als de waarhyt, eens gevat synde, niet te omhelse. daar by is sy de grootste, en aange-naamste, die tot dingen, die buyten onse maght syn, kan gegeven worden; over-[353]mits geen ding, behalve de waarhyt, kan verscheide sinnen en gemoederen teenemaal vereenigen. ik versweig de oovergrootte nuttigheeden die 'r uyt volgen, om U.E. niet langer op te houden met dingen die hy, ongetwyfelt, selfs wel weet; dat ik eevenwel dus var' gedaan heb, om des te beeter te toonen, hoe aangenaam my is, en in toekoomende syn sal, geleegenthyt te moogen hebben, van myn gereeden dienst te konnen betoonen. en, om de teegenwoordighe waar te neemen, sal ik toetreedde om op U.E. vraag te antwoorde, de welke hier op drayt, namelyk, dat schynt klaarlyk te volgen so wel uyt gots voorsienighyt, die van syn wil niets verschildt, als ook uyt gots meedewerking en der dingen geduurig herschepping, oft dat 'r geen sonden noch quaat is, oft dat got die sonden en dat quaat doet. Doch U.E. verklaart niet wat hy by quaat meent, en na ik uyt het voorbeeld van de bepaalde wil van Adam sien kan, so schynt het, dat U.E. by quaat verstaat de wil selve, voor soo veel men hem begrypt sodaanig bepaalt te syn, oft voor so veel die tegen gots verbot sryden sow; en derhalve leikt een groote ongerymthyt, (gelyk ik meede, indient so was, sow toestaan) een van dese twe vast te stellen, namentlyk, dat got dingen, die tegen syn wil waaren, sow selfs veroorsaake, oft dat sy goet soude syn, niet tegenstaande dat sy tegen gots wil waaren. maar voor my ik sow niet konnen toestaan, dat sonden, en quaat iet stelligs is, en veel min dat'r iet sow syn of beuren tegen gots wil, maar in tegendeel [354] zeg ik, niet alleen dat de sonde niet iet stelligs is, maar ook, datmen niet, dan on-eigentlyk, of menschelyker wys spreekende, seggen kan, dat men tegen got fondight, gelyk als wanneer men segt, dat de menschen

got vertoornen. *Want, belangende het eerste, men weet wel, dat al wat 'r is, in sich aangemerkt, sonder opzicht op genegen ander ding, volmaakthyt insluit, die sich, altyt even so ver strekt in ieder ding, als des zelfs weesen. want het ook niet anders is. by voorbeeld neem ik ook het besluyt, of bepaalde wil van Adam, om van de verbooede vrucht te eten; dat besluyt of bepaalde wil, in sich alleen aangemerkt, so veel volmaakthyt insluit als sy van weese uytdukt, en dit kant men hier uyt verstaan, namentlyk dat men in de dingen geen onvolmaakthyt kan begrypen, ten sy men op andere let, die meer weese hebben, en derhalve in 't besluyt van Adam, als men dat in sich selve aanmerkt, sonder het met andere, die volmaakter syn, of die volmaakter stant toonen, te vergeleike, geen onvolmaakthyt sal kunnen vinden. Ja men kan het vergelyke met oneindlyke andere dingen, die ten opzicht van dat veel onvolmaakter syn, gelyk steenen, blokken etc. en dit stemt elk een ook, inder daat, toe, want ieder de selfde dingen, die men in de menschen verfoeyt, en met teegenhyt aansiet, in de diere met verwondering, en vermaak aansiet, gelyk by voorbeeld het oorloge van de beien, de jaloershyt in de duiven, etc. welke dingen men in de menschen verfoeyt, en niet te min door de selve wy de beeste volmaakter oordeelen. dit so synde so [355] volgt klaarlyk, dat sonden, overmits die niet dan onvolmaakthyt beteikenen, niet kunnen bestaan in iet, dat weesen uyt drukt, gelyk het besluyt van Adam, of het uytvoeren van het selve.*

Vorders men kant ook niet seggen, dat de wil van Adam streidigh tegen gots wil was, en dat sy daar om quaat was, om dat se got onaangenaam soude syn. Want behalve dat het een groote onvolmaakthyt in got zou stellen dat 'r iet tegen syn wil sou geschieden, en dat hy iet wenschen sou dat hy niet en verkreeg, en dat syn natuur sodanigh bepaalt sou syn, dat hy gelyk de schepselen, met eenige dinge sympathie, met andere antipatie hebben sou; het sou ook teenemaal tegen de natuur van gots wil streidig syn. want overmits die van syn verstant niets verschilt, so is het so onmogelyk, iet tegen syn wil te geschieden, als tegen syn verstant: dat is, dat tegen syn wil geschieden sou, moft sodanigh van natuur syn, dat het tegen het verstant freed, gelyk een vierkantigh ront. dewyl dan de wil of besluyt van Adam,

in sich aangemerkt, geen kuaat en was, noch, eygentlyk gesproken, tegen gots wil; so volgt het, dat got oorzaak van die kon syn, ja, volgens die reden die U.E. aanmerkt, moft syn, maar niet voor so veel het quaat was, want het quaat dat 'r in was, niet dan een berooving van een volmaakter staat wàs, die Adam door dat werk moft verliezen, en tis seeker dat berooving niet iet stelligs is, en dat die maar gefyt wort ten opficht van ons verstant, en niet ten opficht van gots verstant. en dit komt hier van daan, namelyk om dat [356] wy al de bysondere van een geslacht, gelyk, by voorbeeld, al die uytterlyk de gedaante van menschen hebben, met een en deselve definitie uytdrukken, en derhalve die altemaal oordeelen wy eeve bequaam te syn tot de grootste volmaakthyt, die men uyt so een definitie kan deduceeren, en als men dan een vinden, wiens werke tegen die volmaakthyt strydigh zyn, die oordeelen wy dan van die berooft te syn, en als van syn natuur afdwaalen, dat wy niet doen en fow, indien wy hem onder so een definitie niet gebraght hadden, en so een natuur toegedicht; maar om dat got de dingen niet abstraktyk kent, nocht sodanige generale definities maakt; nocht de dingen geen meer weesen toebeoort, als het geen 't godlyk verstant, en macht hen toefchikt, en inderdaat geeft, so volgt klaarlyk, dat die berovingh ten opficht van ons verstant alleen, maar niet ten opficht van got kan gefyt worden. en hier meede, na myn denken, is de questie teenemaal gefolveert. doch om de baan ook klaar te maaken en alle aanstoot wegh te neemen, so dien ik noch op dese twe navolgende questien te aantwoorde, te weeten, 1. waarom dat de schriftuur syt dat got begeert, dat de godeloofse sich bekeeren, en ook waarom heeft hy Adam verboden, van de boom niet te eeten, daar hy het teegendeel beslooten had. 2. dat uyt myn seggen lykt te volgen, dat de godeloofse met haar hoovardei, gulfighyt, wanhoop, etc. got so wel dienen, als de vroomen met eedelmoeidighyt, gedult, liefde, etc. wyl sy ook gotswil uytvoeren. Doch, om op het eerste te aant- [357] woorde, so seg ik, dat de schriftuur, om datse voor 't gemeen volk voornaamlyk dient, geduurigh menschelyker wys spreekt, want het volk is niet bekuaam om hooge dingen te verstaan, en derhalven geloof ik, dat al de dingen, die got de propheeten geopenbaart heeft nootfaaklyk tot de salighyt te

syn, wettelyker wys geschreeven wierde, en also hebben die propheeten een heele parabel gedicht. te weete. voor eerst hebbense got, om dat hy de middelen tot de saalighyt, en verderving geoopenbaart hadde, en van welke hy oorzaak was, als een kooning, en wetgeever uytgebeelt. de middelen, die niet, dan oorfaaken syn, wetten genoemt, en wettelyker wys geschreeven; de saalighyt en verderving, die niet dan gevroghte syn, die nootsaaklyk uyt die middelen volgen, als loon en straf voorgestelt, en nae deese parabel meer, als nae de waarhyt hebben sy al haar woorden geschikt, en got deurgaans als en mens uytgebeelt. nu toornigh, dan barmhartigh. dan verlangende na het toekomende, dan met jaloershyt, en achterdocht bevangen, ja zelfs van den duyvel bedrooge; so dat de Philosophen, en met eene al die geene die boove de wet syn, dat is, die de dueght niet als een wet, maar uit liefde, om dat sy het besten is, volgt, sich aan sodaanige woorde niet en hoeve te keere. Het verbot aan Adam dan befont hier in alleen, namelyk, dat got Adam geoopenbaart heeft, dat het eete van die boom de doot veroorsaakte, gelyk hy ook ons door 't natuurlyk verstant oopenbaart, dat het vergift ons doodlyk is. en [358] indien U.E. vraagt tot wat einde hy hem dat openbaarde? ik aantwoort, om hem so veel volmaakter in kennis te maake. got dan te vraage waarom hy hem ook met eene geen volmaakter wil gegeven heeft? is ongerymt, eeve als te vraage, waarom hy de ront al de eygenschappe van de kloot niet gegeven en heeft, gelyk uyt het boven gesyt klaarlyk volgt, en ook in het byvoeg van de 15 prop. van 't eerste deel getoont heb. wat de tweede swaarighyt aangaat, 't is wel waar dat de godeloofse gots wil naar heur maat uyt drukke, maar daarom en syn sy niet te vergelyke by de vroomen. want hoe een ding meer volmaakthyt heeft, hoe het ook van godlikhyt meer heeft, en gots volmaakthyt meer uyt drukt. de vroomen dan onwardeerlyk meer volmaakthyt, als de godeloofse hebbende, so is haar deugt by die van de godeloofse niet te vergelyke. invoege dat de godlyke liefde, die uyt syn kennis spruyt, en waar door alleen wy, nae ons menslyk verstant, gesyt worden gots dienaare te weese de godeloofse ontbeere. ja, mits sy got niet en kennen, niet anders en syn, als een tuyg in de hant van de meester, dat omweetend dient, en al dienende

verfleeten wort, daar en tege de vroomen weetende dienen, en al dienende volmaakter worden.

Dit is myn Heer al wat ik nu weet by te brenge om U.E. op sijn vraag te antwoorde. nu wensch ik niet hooger, als dat het U.E. mocht voldoen. doch indien U.E. noch swaarigheit vint; so verfoek ik dat ik die ook mach weeten, om te sien, of ik die sow konnen [359] wegh neemen. U.E. hoeft van sijn kant niet te schroomen, maar so lang hem dunkt niet voldaan te sijn, so heb niet liever als de reeden daar van te weete, opdat eindelyk de waarhey mocht blyke. ik wenschte wel dat ik in de taal, waar mee ik op gebrocht ben, mocht schryven. ik sow mogelyk myn gedaghte beeter konnen uytdrukke, doch U.E. gelieft het so voor goet te neemen, en selfs de fouten verbeetren, en my te houwe voor*

*Op de Lange bogart
den 5 Januari 1665.*

*U. E. voegeneege Vrient
En Dienar
B. DE SPINOZA.*

Ik sal op dese boogart een drie a vier weeke noch blyven, en dan meen ik weer nae voorburgh te gaan. ik geloof dat ik voor die tyt antwoord van U.E sal krygen. indien de afsairen het niet toe en laate, so gelieft U.E. na voorburgh te schryve, met dit opschrift, te bestellen in de kerk laan ten huysen van meester daniël tydeman de schilder.

* Quoniam hæc ad quæstionem de auctoris fermone vernaculo solvendam faciunt, Latine ea reddimus: „Utinam mihi liceret ea lingua uti qua educatus sum; sic enim fieri posset ut mentem meam melius exprimerem; at nunc rogo Nobilitas tua hæc pro ratis accipere et perperam scripta sua manu corrigere dignetur.”

EPISTOLA XX (OLIM XXXIII).

Clarissimo Viro

B. D. S.

GUILIELMUS DE BLYENBERGH.

Responsio ad præcedentem.

Versio *.

Mi Domine, et Charissime Amice,

Ubi tua mihi primum tradebatur epistola, eaque a me cursim evolvebatur, non tantum statim respondere, sed et multa refutare animus erat. Verum quo eam magisolvebam, eo minorem objectionum materiam inveniebam, et quantum desiderium legendi me ceperat, tantam legendo percepi voluptatem. Antequam vero ad postulatum accedam, ut nimirum quasdam difficultates solves, imprimis sciendum est, me duas Generales habere Regulas, juxta quas semper studeo philosophari; prior Regula est clarus et distinctus mei intellectus conceptus, posterior est Verbum Dei revelatum, vel Dei voluntas. Juxta priorem amator veritatis, juxta utramque vero Christianus ut sim Philosophus conor; et siquando post longum accideret examen, ut naturalis mea cognitio vel videretur cum hoc Verbo pugnare, vel minus bene cum eo convenire, tantum hoc Verbum apud me habet auctoritatis, ut conceptus, quos claros esse mihi imaginor, mihi sint potius suspecti, quam ut eos supra et contra illam veritatem, quam in illo libro mihi præscriptam puto, collocarem. Et quid mirum? nam constanter credere volo, illud Verbum esse Dei Verbum; hoc est, id provenisse a summo et perfectissimo Deo, qui plures perfectiones includit, quam ego capere possum; et forte de se ipso suisque operibus plures voluit perfectiones prædicare, quam ego finito meo intellectu hodie, hodie inquam, percipere queo: fieri enim potest, ut memet operibus meis majoribus perfectionibus privarim; et ideo, si forte ea præditus essem perfectione, qua actionibus propriis privatus sum, percipere possem, omne id, quod in eo

* Ab amicis facta. Autographum, quod hodie apud Ecclesiam Teleiobaptistarum Amstelodamensem servatur, in veteri Editione Belgica expressum legitur.

Verbo nobis proponitur et docetur, cum fanissimis meæ Mentis conceptibus congruere. Verum, quia mihi ipsi suspectus sum, annon continuo errore memet meliore privaverim conditione, et, ut statuis Princ. Part. i. Prop. 15., nostra cognitio *, licet clarissima, adhuc imperfectionem includat; potius, etiam sine ratione, ad illud Verbum inclino, hoc nifus fundamento, quod a perfectissimo prodiit (hoc quippe jam præsuppono, quia ejus probatio hic non haberet locum, vel nimis longa foret), et propterea a me credi debet. Si jam solo ductu Regulæ meæ primæ, exclusa secunda, quasi eam non haberem aut ea non extaret, de tua Epistola judicarem, multa mihi essent concedenda, ut et concedo, subtilesque conceptus tui essent suspi-ciendi; secunda vero Regula longius a te me dissentire cogit. Verum, pro Epistolæ modo, ductu et hujus et illius regulæ aliquanto latius eos examinabo.

Primo, juxta primo positam Regulam, rogaveram, quia, secundum tuam positionem, creare et conservare unum idemque erant, et quia Deus non tantum res, sed motus quoque et rerum modos** in statu suo perseverare faciebat, hoc est, cum iis concurrebat; annon videretur sequi, *nullum esse malum*, aut, *ipsum Deum malum operari*; hac nixus regula, quod nihil contra Dei voluntatem potest fieri, alioquin involveret imperfectionem, aut res, quas Deus operatur (quibus etiam res, quas malas dicimus, comprehensæ videntur) etiam deberent malæ esse. Verum quia et hoc contradictionem includit, et, quocunque eam verterem modo, me a contradictione statuenda liberare non possem, propterea me ad te recipiebam, utpote optimum tuorum conceptuum interpretem. In responsione dicis, te persistere in prima sententia, nempe nihil contra Dei voluntatem vel fieri, vel posse fieri. Verum quum huic difficultati respondendum esset, annon igitur Deus nullum faciat malum, *negas peccatum quid positivum esse, addisque, non nisi valde improprie dici posse, nos in Deum peccare*; et Appendicis Parte I. Cap. 6. dicis, *Malum absolutum nullum dari, ut per se est manifestum: Nam quicquid existit, in se consideratum,*

* Ex. Belg. — Ed. Pr.: *cognitione*.

** Cf. supra pag. 63. ann.

*sine respectu ad aliud quid, perfectionem includit, quæ sese semper eo usque in quacunq̄ue re extendit, quo se extendit ipsa rei essentia, et propterea evidenter sequitur, peccata, quia ea nihil nisi imperfecti-
onem denotant, non posse in aliquo, quod essentiam exprimit, consistere.*

Si peccatum, malum, error, vel quocunq̄ue id appelles nomine, nihil aliud est, quam perfectiorem statum amittere, aut eo privari, utique sequi videtur, *tò existere non quidem malum aut imperfectionem esse, sed aliquod malum in re existente posse oriri.* Nam perfectum per æque perfectam actionem perfectiore statu non privabitur, sed quidem per id, quòd ad aliquod imperfectum, quia concessis nobis viribus abutimur, inclinamus. Hoc videris *non malum, sed bonum minus appellare, quia res in se considerata perfectionem includunt; deinde, quia rebus, ut ais, non plus essentia competit, quam divinus intellectus et potentia eis tribuit et revera confert; et propterea non plus etiam existentia in actionibus suis ostendere, quam essentia accipere, possunt.* Nam si nec plures nec pauciores possum edere operationes, quam quantum essentia accipi, nulla perfectioris status privatio fingi potest: si enim nihil contra Dei voluntatem fit, et si solummodo tantum fit, quantum essentia collatum est, qua via malum, quod melioris conditionis privationem nuncupas, excogitari potest? Quomodo quis per statutum adeo et dependens opus perfectiorem statum amittere potis est? Adeo ut mihi persuadeam, Virum Clarissimum * alterutrum debere statuere; vel aliquod esse malum, vel si minus, nullam esse posse melioris status privationem. Nam nullum esse malum, et meliori conditione orbari, contradictorium mihi videtur.

At dices, per perfectioris status privationem ad minus quidem bonum, sed non ad absolutum malum recidimus; sed (Append. Part. 1. Cap. 3.) me docuisti, non esse de verbis litigandum. Quare, an id absolutum nec ne dicendum sit, jam non disputo; sed solum, annon a meliori in pejorem statum delabi apud nos jure pejor status, aut status malus dicatur, et dici debeat. At regeres, malus ille status multum adhuc boni continet; ego vero interrogo, annon ille homo, qui per imprudentiam suam in causa fuit, quòd perfectiore

* *UE. i. e. Nobilitas tua.*

statu orbatus est, et per consequens nunc minor est quam antea fuit, malus vocari queat.

Ut autem antecedens ratiocinium, quia nonnullæ circa id superfunt tibi difficultates, declines, affirmas *malum quidem esse, et in Adamo fuisse, verum id non esse positivum quid, et respectu nostri, non autem Dei intellectus tale dici, nostrique respectu Privationem (sed tantum quatenus eo optima libertate, quæ ad nostram naturam spectat et in nostra potestate est, nosmet ipsos privamus), Dei vero respectu Negationem esse.* Hic autem examinemus, an illud, quod malum vocas, siquidem duntaxat nostri respectu malum foret, malum non esset; deinde an malum, ut tu vis, acceptum, Dei respectu tantum *Negatio* dici debeat.

Ad primum supra aliquo modo videor respondisse; et, quamvis concederem, minus alio ente perfectum esse in me nullum ponere posse malum, eo quod meliorem statum a creatore flagitare nequeo, et tantum efficere, ut meus status gradibus differat; non tamen ideo potero concedere et fateri, si jam imperfectior sum quam ante fui, eamque imperfectionem mea culpa mihi creavi, me eatenus tanto pejorem esse. Si, inquam, meipsum, antequam in imperfectionem unquam incideram, considero, et me cum aliis tunc, majore quam ego præditis* perfectione, comparo, minor illa perfectio non malum, sed secundum gradus minus bonum erit. Si vero me ipsum, postquam perfectiore statu excidi, eoque propriâ orbatus imprudentiâ, cum prima mea forma, qua ex manu mei Creatoris prodii, et perfectior eram, comparo, me esse deteriore quam antea judicare debeo: nam non creator, sed ego me ipsum eo redegî; vires enim mihi me ab errore præservandi, uti et tu fateris, suppetebant.

Quod secundum spectat, nempe an malum, quod statuis consistere in melioris status privatione, quem non tantum Adamus, sed et nos omnes subita et inordinata nimis actione amisimus, an illud, inquam, respectu Dei mera sit *Negatio*. Ut hoc vero sana mente examinemus, videndum nobis est, quomodo hominem constituas et a Deo ante omnem errorem dependentem facias, et quomodo post errorem eun-

* Ed. Pr.: *praditus*.

dem hominem constituas. Ante errorem eum describis, quod non plus ipsi essentiae competit, quam quantum ei Divinus intellectus et potentia tribuit et revera confert, hoc est (nisi a mente tua aberrem), quod homo nec plus nec minus perfectionis potest habere, quam quantum essentiae Deus in ipso posuit; hoc vero est hominem tali modo a Deo dependentem facere, quemadmodum elementa, lapides, herbas, etc. Si autem hæc tua sit sententia, quid sibi velint verba Princip. P. 1. Prop. 15. non percipio. *Cum autem voluntas, inquis, libera sit ad se determinandum, sequitur, nos potestatem habere facultatem assentiendi intra limites intellectus continendi, ac proinde efficiendi, ne in errorem incidamus.* Annon videtur contradictio, voluntatem tam liberam, ut se ab errore possit præservare, et unâ a Deo dependentem facere, ut nec plus nec minus perfectionis queat proferre, quam quantum essentiae Deus ipsi dedit? Ad secundum, nempe quomodo hominem constituis post errorem, dicis, hominem subita nimis actione, nimirum voluntatem non continendo intra intellectus limites, seipsum perfectiore conditione privare: verum mihi videtur, tibi et hic et in Principiis utraque hujus Privationis extrema propius fuisse explicanda, quid ante privationem possideret, quidque post amissionem perfecti istius status (ut eum appellas) sibi servaret. Dicitur quidem quid perdidimus, sed non quid retinuerimus (Princ. Part. 1. Prop. 15. *Tota igitur imperfectio erroris in sola optima libertatis privatione consistet, quæ error vocatur*). Examinemus utcumque hoc ea ratione, qua a te statuitur. Statuis non solum, tam diversos cogitandi modos in nobis dari, quorum alios volendi aliosque intelligendi nuncupamus, sed etiam inter eos talem esse ordinem, ut res non debeamus velle, antequam eas clare intelligamus; affirmas etiam, quod, si voluntatem nostram intra limites intellectus continemus, nunquam errabimus, et quod denique in nostra potestate est voluntatem intra limites intellectus continere. Cum hæc ferio mente agito, alterutrum ut verum sit, necessum est: vel omne id, quod ponitur, est fictum, vel Deus eundem ordinem nobis impressit. Si impressit, annon absurdum esset affirmare, id sine fine factum esse, Deumque, ut ullum ordinem observemus et sequamur, non exigere: nam illud in Deo contradictionem poneret. Et, si ordinem in nobis

positum debemus observare, quomodo adeo a Deo dependentes possumus et esse et manere? si enim nemo nec plus nec minus perfectionis habet, quam quantum essentiae accepit, et si hæc vis ex effectibus debeat cognosci, ille, qui voluntatem suam ultra limites intellectus extendit, non tantum virium a Deo accepit, alioquin eas in effectum deduceret; et per consequens is, qui errat, perfectionem non errandi a Deo non accepit, alias nunquam erraret. Nam secundum te tantum essentiae datum est, quantum perfectionis efficitur. Deinde, si Deus nobis tantum essentiae tribuit, ut eum observare queamus ordinem, ut tu nos eum posse servare affirmas, et si tantum perfectionis producimus, quantum essentiae nacti sumus, qui fit, ut eum transgrediamur, qui, ut eum possimus transgredi ordinem, utque voluntatem non semper intra limites intellectus contineamus? Tertio, si a Deo tantopere dependeo, ut supra te statuere ostendi, ut nec intra, nec extra limites intellectus voluntatem continere possim, nisi mihi Deus in antecessum tantum dederit essentiae, et sua voluntate prius alterutrum determinaverit; quomodo ergo mihi, si hoc penitus consideremus, voluntatis libertas usu venire potest? Nonne in Deo contradictionem ponere videtur, nobis præscribere ordinem nostram voluntatem intra limites nostri intellectus continendi, et non præbere tantum essentiae vel perfectionum, ut eum observemus. Et si, juxta tuam sententiam, tantum perfectionis nobis concessit, nunquam profecto errare possemus: quantum enim essentiae possidemus, tantum perfectionis producere oportet, semperque concessas vires in nostris operationibus ostendere: nostri autem errores sunt argumentum, nos ejusmodi potentiam a Deo ita dependentem (ut statuis) non possidere; adeo ut alterutrum verum esse debeat, vel nos non adeo a Deo dependere, vel nos in nobis potentiam non errandi non habere; at potentiam errandi habemus, prout statuis. Ergo a Deo non adeo dependemus.

Ex dictis jam clare patere videtur, impossibile esse, ut malum, aut meliori statu privari, respectu Dei esset Negatio. Quid enim significat privari, aut perfectiorem statum amittere? nonne est a majori ad minorem perfectionem, et per consequens a majori ad minorem essentiam transire, et a Deo in certa mensura perfectionis

et essentiae collocari? nonne est velle, nos alium, præter sui perfectam notitiam, non posse acquirere statum, nisi aliter decrevisset ac voluisset? Fierine potest, ut illa creatura ab omniscio et summe perfecto Ente producta, quod voluit, ut talem essentiae statum retineret; imo, cum qua Deus, ut eam in eo statu retineret, continuo concurrat; ut, inquam, in essentia declinaret, hoc est, in perfectione præter Dei notitiam minor fieret? Hæc res absurditatem involvere videtur. Annon absurdum est dicere, Adamum perfectiorem amisisse conditionem, et consequenter ineptum fuisse ad eum ordinem, quem Deus in anima ejus posuerat, Deumque nullam habere notitiam, qualis quantæque perfectionis Adamus jacturam fecerat? Potestne comprehendi, Deum Ens aliquod constituere ita dependens, ut non nisi ejusmodi opus produceret, et tum propter illud opus perfectiorem perderet statum (præterquam quod ejus absoluta esset causa), et tamen nullam ejus haberet notitiam? Concedo, inter actum et malum actui adhærens dari discrimen; sed vero *Malum respectu Dei esse Negationem* superat meum captum. Deum actum scire, eundem determinare, et cum eo concurrere, et tamen malum, quod in illo actu est, ejusque exitum non cognoscere, mihi in Deo impossibile videtur. Adverte mecum, Deum in actu meo progignendi cum uxore mea concurrere: est enim positivum quid, et per consequens claram ejus habet Deus scientiam; verum quatenus eo actu abutor, et cum alterius uxore contra datam fidem et jusjurandum meum rem habeo, illum actum malum comitatur. Quid jam hic respectu Dei esset Negativum? non quod actum progignendi faciam: quatenus etenim is positivus est, cum eodem Deus concurrat. Debet ergo istud malum, quod illum actum comitatur, tantummodo esse, quod ego contra proprium fœdus vel Dei mandatum cum aliena congregor, cum qua non licet. Jam vero, potestne capi, Deum nostras scire actiones, cum iis concurrere, et tamen ignorare, quacum illam actionem producimus, eo magis quod Deus etiam cum illius fœminæ actione, cum qua rem habebam, concurrat? Id de Deo sentire durum videtur. Attende occidendi actum; quatenus est actus positivus, cum eo Deus concurrat; sed vero istius actionis effectum, nempe alicujus Entis destructionem et Dei creaturæ dissolutionem, an ignoraret?

quasi proprium opus Deo foret incognitum. (Metuo ne mentem tuam bene percipiam: Conceptus quippe tui, quam ut tam foedum committas errorem, perpicaciores sunt.) Fortasse instabis, eos actus, prout eos pono, mere esse bonos, et nullum eos comitari malum; sed tum, quid malum nuncupes, capere nequeo, quod perfectioris conditionis privationem * sequitur; et tum Mundus in æterna et perpetua poneretur confusione, nosque bestiis similes redderemur. Vide quæso, quam utilitatem ea sententia mundo conferret.

Vulgarem hominis descriptionem rejicis, et unicuique homini tantum tribuis perfectionis, quantum Deus ipsi, ut operetur, largitus est. Sed ea ratione mihi videris statuere, impios Deum æque ac pios suis operibus colere. Quare? quia utrique perfectiora nequeunt producere opera, quam quantum utrifque essentiæ datum est, et suis demonstrant effectibus. Nec mihi Quæstioni satisfacere in secunda responsione videris, dicendo, *Quo res aliqua plus perfectionis habet, eo etiam magis de Deitate participat, Deique perfectionem exprimit magis. Quum ergo probi inæstimabiliter plus perfectionis quam improbi habeant, virtus eorum cum improborum virtute comparari nequit. Improbi, quia Deum non cognoscunt, non sunt nisi instrumentum in manu artificis, quod inscium servit et serviendo consumitur; Probi contra conscii serviunt, et serviendo perfectiores evadunt.* In utrifque tamen hoc verum est, eos amplius non posse operari; quanto etenim plus perfectionis hic præ illo efficit, tanto plus essentiæ unus præ alio accepit. Annon igitur exigua sua perfectione impii æque ac pii Deum colunt? Nam, secundum tuam sententiam, nihil amplius ab impiis Deus flagitat, alioquin plus essentiæ in eos contulisset; sed vero plus essentiæ non dedit, uti ex effectibus liquet; ergo amplius ab eis non petit. Et siquando unusquisque in specie, nec plus nec minus, quam Deus vult, facit, cur is, qui parum operatur, sed tamen tantum, quantum Deus ab ipso exigit, Deo æque ac probus non esset acceptus? Insuper, quemadmodum per malum, quod actum comitatur, nostrâ imprudentiâ, ex tua sententia, perfectiorem perdimus statum, ita et hic videris statuere, quod,

* Resp. p. 77. vl. 28. potius quam hujus p. extremos.

continendo voluntatem intra limites intellectûs, non tantum adeo perfecti manemus ac sumus, sed quod præterea serviendo perfectiores evadimus; quod contradictionem involvere mihi persuadeo, si modo tantopere a Deo dependemus, ut nec plus nec minus perfectionis queamus efficere, quam quantum essentiæ accepimus, hoc est, quam Deus voluit, ut tunc per imprudentiam peiores, aut per prudentiam meliores fiamus. Adeo ut nihil aliud statuere videris, quam, si homo talis sit, ac eum describis, impios suis operibus, æque ac pios suis, Deum colere; et hac ratione ita ut elementa, herbæ, lapides, etc. a Deo dependentes reddimur. Cui rei igitur inferviet noster intellectus? cui voluntatem intra limites intellectûs continendi potestas? qua de causa ordo ille nobis infixus est? Et vide, quæso, ab alia parte, qua re nos privemus, nempe anxia et serâ meditatione ad nos ipsos secundum regulam perfectionis Dei, et ordinem nobis impressum, perfectos reddendum: nosmet precatione, et ad Deum suspiriis, quibus tam sæpe extraordinariam confortationem accepisse percepimus, orbamus: nosmet tota Religione, ac omni illa spe et acquiescentia, quam ex precibus et Religione speramus, orbamus. Enimvero, si nullam mali habet Deus cognitionem, multo minus credibile est, eum malum puniturum. Quænam ergo supersunt rationes, quo minus facinora quævis (si modo iudicem effugio) avide perpetrem? cur non detestandis mediis divitias mihi acquiram? cur absque discrimine, et quo caro nos trahit, id quod lubet non perpetro? Dices, quia virtus propter se est amanda. Qui vero virtutem amare possum? mihi tantum essentiæ ac perfectionis non est tributum; et si tantum acquiescentiæ et ex hoc et ex illo habere licet, cur mihi vim, ut voluntatem intra limites intellectûs contineam, infero? cur id non facio, quo me affectus trahunt? cur non hominem, qui mihi alicubi obest, clam occido? etc. Ecce quam cunctis impiis et impietati demus occasionem: nos truncis, omnesque nostras actiones motibus horologiorum, similes reddimus.

Ex dictis valde durum mihi videtur, quod improprie tantum in Deum peccare possimus dici: cui enim rei data nobis voluntatem intra limites intellectûs continendi potentia infervit, si, ubi eam transgredimur, contra eum peccamus ordinem? Regeres forte, id

non esse peccatum in Deum, sed in nos ipsos: nam si proprie erga Deum peccare diceremur, etiam dicendum esset, aliquid contra Dei voluntatem fieri; quod juxta te est impossibile, ergo etiam peccatum. Interim alterutrum verum sit necesse est, Deum vel velle, vel nolle. Si vult, quomodo nostri respectu malum esse potest? Si non vult, id, ex tua opinione, non fieret. Quamvis autem hoc aliquam, ut tua fert sententia, involveret absurditatem, prædictas tamen absurditates admittere periculosissimum videtur. Quis novit, si anxie inquirerem, annon remedium posset inveniri his aliquo modo conciliandis.

Atque sic tuæ epistolæ examen juxta Regulam meam primam generalem finiam: antequam vero ad examen juxta secundam Regulam accedam, duo adhuc proponam, quæ epistolam tuam spectant, quæque scripsisti Princ. Part. I. Prop. 15. Prius est, quod affirmas, *nos potestatem volendi et judicandi intra limites intellectus retinere posse*: quod absolute concedere nequeo. Nam hoc si foret verum, certe ex innumerabilibus vel unus reperiretur homo, qui se ea præditum potestate ostenderet: etiam quis apud se experiri potest, se, quantas etiam impendat vires, eum scopum attingere non posse. Et si quis de hoc negotio dubitat, seipsum examinet, quoties invito intellectu passiones Rationem suam vincant, etiam tum quum summis obnititur viribus. At dices, quod hoc minus præstamus, non est, quia nobis impossibile est, sed quia sufficientem non adhibemus diligentiam; rehero, quod, si hoc possibile esset, saltem ex tot millibus vel unus inveniretur; sed ne unus omnium hominum existit, vel existit, qui auderet gloriari, se in errores haud incidisse. Quænam vero hujus rei certiora, quam ipsa exempla, possunt adduci argumenta? Si pauci essent, unus esset; jam vero quum nullus sit, nulla ejus quoque datur probatio. Instabis et dices, Si fieri potest, ut judicium suspendendo, et voluntatem intra terminos intellectus continendo, semel, ne errem, efficere queo; quare, ubi eandem adhibeo diligentiam, semper id efficere non possem? Respondeo, me videre non posse, nos hodie tantum virium habere, ut in eo semper perseveremus; semel unâ horâ, quando omnes intendo nervos, iter duorum milliarium conficere potis sum, verum semper id præstare non possum; ita me summo studio ab errore semel præservare possum, sed vires

ad id semper præstandum deficiunt. Clarum mihi videtur, primum hominem, e manu perfecti illius artificis prodeuntem, iis præditum fuisse viribus; sed (ut in hoc tecum sentio) eum, illis viribus non satis utendo, vel abutendo, statum suum amisisse perfectum ad præstandum, quod antea sui erat arbitrii. Hæcque multis rationibus, ni nimius essem, firmarem. Et hoc in negotio omnem Sacræ Scripturæ essentiam, quæ propterea apud nos in honore esse debet, sitam esse opinor, quoniam nos id, quod tam clare intellectus noster naturalis confirmat, docet: nempe, lapsum ex nostra prima perfectione nostra imprudentia factum esse. Quid igitur istius lapsus emendatione magis necessarium? Atque hominem lapsum ad Deum reducere Sacræ Scripturæ unicus quoque est scopus.

Posterius est, Princip. Part. I. Prop. 15. quod affirmas, *Res clare et distincte intelligere, repugnare Naturæ hominis*, unde tandem concludis, *longe melius esse rebus, quamvis confusis, assentiri, et libertatem exercere, quam semper indifferentem, hoc est in infimo gradu libertatis, manere*. Quam ut concedam conclusionem, impedit in me obscuritas: nam suspensum iudicium nos in eo statu, in quo a Creatore sumus creati, conservat; verum rebus confuse, est rebus non intellectis assentiri, et ita æque facile vero ac falso assentiri. Et si (ut D. Des Cartes alicubi docet) eum ordinem in assentiendo non usurpamus, quem Deus inter nostrum intellectum nostramque voluntatem constituit, nempe ut non nisi clare perceptis assentiamur: quamvis tunc casu in veritatem incidamus, tamen, quia verum non eo, quo Deus voluit, ordine amplectimur, peccamus; et per consequens, ut assensus cohibitio nos in statu, in quo a Deo constituti sumus, conservat, ita confusus assensus nostrum statum pejorem reddit: erroris quippe ponit fundamentum, quo perfectum deinceps amittimus statum. Sed te dicentem audio: Nonne præstat, ut nos perfectiores reddamus, rebus licet confusis assentiendo, quam ut non assentiendo semper in infimo perfectionis et libertatis gradu maneamus? At, præterquam quod hoc negaverimus, et aliquo modo ostenderit, nos nosmet non meliores, sed deteriores reddidisse; nobis etiam impossibile, et quasi contradictio videtur, Deum cognitionem rerum ab ipso determinatarum longius extendere, ac eam, quam nobis dedit;

imo, Deum tunc absolutam nostrorum errorum causam involvere. Nec huic contrarium est, quod nos Deum, ut plura in nos conferret quam contulit, non possumus accusare; quia ad id non tenebatur. Verum quidem est, Deum non teneri, ut plura quam dedit daret; sed summa Dei etiam infert perfectio, ut creatura ab ipso procedens nullam contradictionem involveret, prout tum videretur sequi. Nullibi namque in creata Natura, præterquam in nostro intellectu, deprehendimus scientiam. In quem alium finem ille nobis concessus esset, nisi ut Dei opera contempleremur et cognosceremus? Et quidnam evidentius sequi videtur, quam quod harmonia inter res cognoscendas nostrumque intellectum dari debet?

Si tuam Epistolam circa ea, quæ modo diximus, ad meam secundam Regulam generalem examinarem, magis quam in prima discreparemus. Mihi namque videtur (aberranti commonstra viam), te Sacræ Scripturæ eam infallibilem veritatem et divinitatem non adscribere, quam ego in ea esse mihi persuadeo. Verum quidem est, quod te credere ais, Deum res Sacræ Scripturæ Prophetis revelasse, sed modo adeo imperfecto, ut, si factum est, prout tu statuis, in Deo contradictionem involveret. Si enim Deus suum Verbum ac voluntatem hominibus manifestavit, certum in finem, idque clare iis manifestavit. Si jam Prophetæ ex illo verbo, quod acceperant, Parabolam finxissent, id Deus vel voluisset vel noluisse. Si voluisset, ut exin Parabolam fingerent, hoc est, ut ab ejus mente aberrarent, Deus istius erroris esset causa, aliquidque, quod contrariaretur sibi, vellet. Si noluisse, impossibile erat, ut Prophetæ inde Parabolam effingerent. Præterea credibile est, si supponitur, Deum Verbum suum Prophetis dedisse, quod ita eis dedit, ut illud accipiendo non erraverint: nam Deus in Verbo suo revelando certum finem habere debebat; at sibi finem, ut homines in errorem duceret, proponere nequit; id enim in Deo esset contradictio. Etiam homo contra Dei voluntatem errare non poterat; nam id, secundum te, fieri nequit. Præter hæc omnia, de illo summe perfecto Deo credi non potest, eum permittere, ut suo Verbo, Prophetis dato ad illud populo explicandum, alius a Prophetis tribueretur sensus, quam Deus voluit: Si enim statuimus, Deum Prophetis suum concessisse Verbum, simul asserimus, Deum

modo extraordinario Prophetis apparuisse, vel cum iis loquutum fuisse. Si jam Prophetæ de hoc tradito Verbo Parabolam fingunt, hoc est, alium ei sensum tribuunt, quam, ut tribuerent, voluit, Deus hanc rem eos edocuiisset. Est etiam tam respectu Prophetarum impossibile, quam respectu Dei contradictio, Prophetas alium sensum potuisse habere, quam eos habere voluit Deus.

Deum suum ita revelasse Verbum, uti tu vis, parum probas, nempe eum salutem et perditionem tantum revelasse, certa eum in finem decrevisse media, atque salutem ac perditionem non nisi decretorum mediorum effectus esse. Nam profecto, si Prophetæ Dei Verbum isthoc sensu acceperant, quas rationes, ad alium illi adscribendum sensum, habuissent? Sed et nullam adducis probationem, qua nos, ut hanc tuam supra Prophetarum sententiam poneremus, convinceres. Si vero existimas, hanc esse probationem, quod alioquin illud Verbum multas imperfectiones et contrarietates includeret, dico, hoc duntaxat dici, non vero probari. Et quis novit, si uterque sensus produceretur, uter minores includeret imperfectiones? Denique Enti summe profecto bene perspectum erat, quid populus caperet, quæque optima esset methodus, juxta quam populus institui deberet.

Quantum ad secundum primæ tuæ Quæstionis membrum attinet, quæris ex te ipso, quare Deus Adamo, ne ex arbore ederet, cum tamen contrarium decrevisset, edixit; respondes vero, edictum Adamo factum in hoc solo consistere, quod nimirum Deus Adamo revelavit *non edere* ex arbore mortis esse causam, quemadmodum nobis per naturalem Rationem venenum mortiferum esse revelat. Si statuitur, Deum aliquid Adamo interdixisse, quænam rationes sunt, quo magis crederem modum prohibitionis, quem tu adfers, quam quem adducunt Prophetæ, quibus Deus ipse modum prohibitionis revelavit? Dices, mea prohibendi ratio magis naturalis est, et ideo magis veritati Deoque conveniens. Sed hoc omne nego. Nec capio, quod Deus per naturalem intellectum nobis, venenum lethale esse, revelavit; nec rationes video, quibus unquam scirem, aliquid esse venenatum, nisi malos veneni effectus in aliis vidissem et audivissem. Quod homines, quia venenum non noscunt, inficii edant et moriantur, quotidiana nos docet experientia. Dices, si homines scirent, id venenum esse, etiam, malum id

esse, eos non lateret; sed respondeo, neminem veneni habere notitiam, aut posse habere, nisi qui vidit, aut audivit, aliquem ejus usu damnatum sibi dedisse; et si ponimus, nos ad hunc usque diem nunquam audivisse vel vidisse, aliquem ejus usu sibi nocuisse, non tantum nunc quoque ignoraremus, sed et sine metu in proprium damnum id usurparemus, quemadmodum tales veritates indies docemur.

Quid magis in hac vita candidum atque erectum animum, quam illius perfectæ Deitatis contemplatio, delectat? Nam, quemadmodum circa perfectissimum versatur, ita etiam perfectissimum, quod in finitum nostrum intellectum cadere potest, involvere debet. Nec mihi in vita quicquam est, quod cum ea mutarem delectatione. In hac, cœlesti instigatus appetitu, multum temporis insumere possum; sed et simul tristitia affici, quando intueor tam multa finito meo intellectui deesse: verum tristitiam sedo spe ea, quam possideo, quæ mihi vitâ charior est, quod posthac existam et permanebo, et eam Deitatem majori perfectione quam nunc intueor. Ubi brevem prætervolantemque considero vitam, in qua singulis momentis mortem exspecto; si deberem credere me finem habiturum, sanctaque illa et præstantissima cariturum contemplatione, certe omnium creaturarum, quibus cognitio finis sui deest, miserrimus essem. Quippe metus mortis ante obitum miserum me redderet, et post eum plane nihil, et per consequens miser, essem, quia divina illa contemplatione privatus essem. Huc vero me tuæ videntur ducere opiniones, quod ubi hic esse desino, etiam in æternum desinam, cum econtra illud Verbum et Dei voluntas consolentur interno suo in anima mea testimonio, quod post hanc vitam in statu perfectiore me aliquando, contemplando summe perfectam Deitatem, oblectabo. Profecto, licet spes ista aliquando falsa esse deprehenderetur, me tamen, dum spero, beatum reddit. Unicum hoc est, quod precibus, suspiriis, et feriis votis a Deo peto et petam (utinam ad id plus conferre liceret!), quamdiu spiritus hos reget artus, ut ipsi placeat, me sua bonitate tam beatum reddere, ut, quando hoc corpus dissolvitur, Ens intellectuale ad perfectissimam illam Deitatem contemplandum maneam, et si hoc tantum nanciscor, mihi, quomodo hic credatur, quid invicem persuadeatur, an aliquid naturali intellectu fundetur, et percipi ab eo possit, nec ne, perinde

est. Hoc, hoc solummodo est votum meum, meum desiderium, continuæque preces, ut Deus hanc certitudinem in anima mea confirmet, et, si eam possideo (ah me miserimum, si eo destituar!), præ desiderio anima mea exclamet: Quemadmodum cervus anhelat aquarum rivos, ita te, o Deus vivens, anima mea desiderat; ah! quando veniet dies, quod tecum ero, et te adspiciam. Si hoc tantum obtineo, omne animæ meæ studium et desiderium possideo. Quia vero nostrum opus Deo displicet, spem istam, ex tua sententia, non video: nec intelligo, Deum (siquidem de eo humano more loqui liceat), si nullam ex opere nostro et laudatione capit voluptatem, nos produxisse et conservasse. Si vero a tua sententia aberro, tuam explicationem expeto. Verum me, et forte te, solito diutius moratus sum; quia vero mihi chartam deesse video, finiam. Horum solutionem videre aveo. Forte hic illic aliquam ex Epistola tua eduxi conclusionem, quæ tortassis tua non erit opinio; sed super ea re explicationem tuam audire cupio.

Nuper occupatus fui in quibusdam Dei attributis perpendendis, in quo me tua non parum juvit Appendix. Mentem tuam solummodo fufius explicui, quæ mihi non nisi demonstrationes exhibere videtur; et ideo demiror in Præfatione affirmari *, te illa non sentire, sed obligatum fuisse, ut ita tuum, uti promiseras, Cartesii Philosophiam discipulum doceres; et te longe aliam, tam de Deo quam de anima, speciatim de animæ voluntate, fovere opinionem; video quoque in illa Præfatione dici, te hæc Cogitata Metaphysica brevi prolixiora editurum; quæ duo avidè desidero, nam de iis aliquid singulare spero. Mea autem non fert consuetudo, aliquem laudibus extollere.

Scripti hæc sincero animo, et amicitia non fucata, prout in Epistola tua petiisti, utque veritas detegeretur. Excusa nimiam, præter intentionem, prolixitatem. Si ad has responderis, me tibi summopere devincies. Non recuso, si eâ linguâ, in qua educatus sum **,

* Ex. Belg.: *dat L. Meyer in de Voorreden seyt.* Quare Meyerum hanc Epistolam Latine vertisse verisimile est.

** Errat interpres; nam verba *in die taal waer mede opgebracht ben*, petita sunt ex epistola Spinozæ (cf. supra pag. 74), hujusque linguam vernaculam spectant.

scribere animus est, vel alia, modo Latina aut Gallica fit; hoc vero responsum, ut eadem * exares lingua, peto, quia mentem tuam in ea bene, quod forte in lingua Latina non fieret, percipiebam. Ita me tibi devincies, egoque ero ac permanebo,

Mi Domine, Tibi addiſſimus atque Officioſiſſimus

G. DE BLYENBERGH.

Dordraci 16. Januarii 1665.

In reſponſione tua prolixius, quid per Negationem in Deo intelligas, erudiri exopto.

Epistolæ Inſcriptio:

Mijn heer

dⁿ heer Benediſſus de Spinoſa

op den langen Boogaert Buyten

Schiedam

vr

EPISTOLA XXI (OLIM XXXIV).

Viro Doctiſſimo ac Ornatifſimo

GUILIELMO DE BLYENBERGH

B. D. S.

Reſponſio ad præcedentem.

Verſio **.

Mi Domine et Amice,

Quum primam tuam Epistolam legebam, existimabam nostras opiniones fere concordare; sed vero ex secunda, quæ 21. hujus mensis mihi tradita est, longe aliter se rem habere intelligo, videoque nos non tantum diffentire de iis, quæ longe ex primis principiis sunt petenda, sed etiam de eisdem ipsis principiis: adeo ut vix credam fore, ut nos Epistolis invicem erudire possimus. Video namque, nullam demonstrationem, licet pro Demonstrationis Legibus solidissimam,

* *Ut hac eadem potius, nempe Hollandica.*

** Ab ipso auctore facta, quamque ideo in margine Editionis Belg. laudant.

apud te valere, nisi conveniat cum ea explicatione, quàm vel ipse, vel alii Theologi, tibi haud ignoti, Sacræ Scripturæ tribuunt. Verum si deprehendas, Deum per Sacram Scripturam clarius et efficacius loqui, quam per lumen naturalis intellectûs, quod nobis etiam concessit, ac assiduo Sapientiâ suâ Divinâ firmiter et incorrupte conservat, validas habes rationes, ut intellectum flectas ad opiniones, quas Sacræ Scripturæ tribuis, quin ipse haud aliter facere possem. Quod vero me spectat, quia plane et sine ambagibus profiteor, me S. Scripturam non intelligere, licet aliquot annos in ea insumperim, et quia me haud fugit, quando solidam nactus sum demonstrationem, me non posse in tales cogitationes incidere, ut unquam de ea dubitare queam; omnino in eo, quod mihi intellectus monstrat, acquiesco sine ulla suspicione, me ea in re deceptum esse, nec Sacram Scripturam, quamvis eam non investigem, ei contradicere posse; quia veritas veritati non repugnat, ut jam ante in Appendice mea (caput indicare nequeo, nec enim liber hic ruri penes me est) clare indicavi; et si fructum, quem jam ex intellectu naturali cepi, vel semel falsum esse deprehenderem, me fortunatum * redderet, quoniam fruor, et vitam non mœrore et gemitu, sed tranquillitate, lætitia, et hilaritate transigere studeo, et subinde gradum unum adscendo. Agnosco interim (id quod summam mihi præbet satisfactionem et mentis tranquillitatem) cuncta potentiâ Entis summe perfecti ac ejus immutabili ita fieri decreto.

Ad tuam vero ut redeam Epistolam, dico, me tibi summas ex animo agere gratias, quod mihi tuam in tempore Philosophandi rationem aperuisti; sed quod tu talia, qualia vis ex mea epistola educere, mihi affingas, pro eo nullas tibi gratias ago. Quam, quæso, materiam mea præbuit epistola has mihi affingendi opiniones, homines nempe bestiis esse similes, homines bestiarum more mori et interire, nostra Deo displicere opera, etc. (licet in postremo hoc summopere dissentiamus, quia aliter te non percipio, quam quod intelligis,

* Saiffet: *infortunatum*. Ed. Belg.: *En indien het geen, dat ik alreê van het naturelijk verstant heb, eens valsch bevonden wierd, zo maakt het my echter gelukkig terwijl ik 't geniet.*

Deum nostris operibus delectari, tanquam qui finem suum affecutus est, eo quod res voto successit). Quantum ad me, ego profecto clare dixi, probos Deum colere, et assidue colendo perfectiores evadere, Deum amare; hocine est eos bestiis similes reddere, aut eos instar bestiarum perire, vel denique eorum opera Deo non placere? Si meas literas majore cum attentione legisses, clare perspexisses, nostrum dissensum in hoc solo positum esse: scilicet an Deus, hoc est absolute, nulla ei humana attributa adscribendo, perfectiones, quas probi accipiunt, eis communicet (ut ego intelligo), anve ut iudex; quod ultimum tu statuis, et ea de causa defendis, impios, quia juxta Dei decretum quicquid possunt faciunt, Deo æque ac pios servire. Sed vero secundum mea dicta id nullatenus sequitur: quia Deum tanquam iudicem non introduco, et ideo ego opera ex operis qualitate, non vero ex potentia operatoris æstimo, et merces, quæ opus consequitur, tam necessario id consequitur, quam ex natura trianguli sequitur, tres ejus angulos duobus rectis æquales esse debere. Et hoc unusquisque intelliget, qui tantum ad id, quod summa nostra beatitudo in amore erga Deum consistit, attendit, quodque ille amor necessario ex Dei cognitione, quæ nobis tantopere commendatur, fluit. Hoc autem generaliter facillime demonstrari potest, si modo ad naturam Decreti Dei attendatur, quemadmodum in mea Appendice explicui; verum fateor, eos omnes, qui Divinam Naturam cum humana confundunt, valde ad id intelligendum ineptos esse.

Hiscæ literis finem hic imponere animus erat, ne tibi amplius essem molestus iis rebus, quæ tantummodo (uti clarum est ex valde devoto additamento fini tuæ epistolæ affixo) pro joco et risu inserviunt, nulli autem usui sunt. Ne vero petitionem tuam omni modo rejiciam, ulterius ad explicationem vocum Negationis et Privationis, et breviter ad id, quod necessarium est ad sensum præcedentis meæ Epistolæ dilucidius enucleandum, progrediar.

Dico igitur primo, Privationem non esse privandi actum, sed tantum simplicem et meram carentiam, quæ in se nihil est: est quippe Ens Rationis tantum, vel modus cogitandi, quem formamus, quum res invicem comparamus. Dicimus, exempli gratia, cæcum visu

privatum esse, quia eum facile ut videntem imaginamur, sive imaginatio hæc hinc oriatur, quod cum aliis, qui vident, sive quod præsentem suum statum cum præterito, quum videbat, comparamus; et cum hunc virum ea ratione consideramus, nempe comparando suam naturam cum natura aliorum, vel cum præterita sua; tunc affirmamus, visum ad suam naturam pertinere, et propterea dicimus, eum eo privatum esse. Verum quum Dei decretum ejusque natura consideratur, non magis de illo homine, quam de Lapide possumus affirmare, eum visu orbatum esse, quia illo tempore non magis sine contradictione illi homini visus, quam lapidi competit; *quoniam ad hominem illum nil amplius pertinet, et suum est, quam id, quod Divinus intellectus et voluntas ei tribuit.* Et propterea Deus non magis est causa $\tau\omicron\upsilon$ illius non videre, quam $\tau\omicron\upsilon$ non videre lapidis: id quod mera est Negatio. *Ita etiam, cum ad naturam hominis, qui appetitu libidinis ducitur, attendimus, præsentemque appetitum cum eo, qui in probis est, vel cum eo, quem ipse alias habuit, comparamus; affirmamus, eum hominem meliore appetitu privatum esse, quia tunc isti virtutis appetitum competere judicamus; quod facere non possumus, si ad naturam Divini decreti et intellectus attendimus: nam eo respectu melior ille appetitus non magis ad naturam istius hominis eo tempore, quam ad Naturam Diaboli vel lapidis pertinet*,* et idcirco eo respectu melior appetitus non est Privatio, sed Negatio. Adeo ut Privatio nihil aliud sit, quam aliquid de re negare, quod judicamus ad suam naturam pertinere, et Negatio nil aliud, quam aliquid de re negare, quia ad suam naturam non pertinet. Et hinc liquet, quare Adami appetitus rerum terrenarum nostri, non vero intellectus Dei respectu tantum malus esset. *Licet enim Deus præter-*

* E Blyenberghii responsione apparet, hæc ita scripta fuisse: ... *als men op de nateur van een man die begeerte tot wellust krijcht, let, en wy syn tegenwoordige begeerten, met die van de vroomen of met die geenem die hy selfs op een ander tyt gehad heeft, vergelycken, soo sechtmen die man van een beter berooft te syn, om dat wy als dan de begeerte tot de deucht hem oordeele toe te behooren, dat wy niet doen en kunnen, indien wy op de nateur van Godts besluyt en verstant letten. Want ten opsicht van dat, hoort die beter begeerten tot de nateur van die man, dies tyts, niet meer als tot de nateur van de duyvel of van een steen, etc.*

itum et presentem Adami statum sciret, non idcirco Adamum præterito statu privatum esse intelligebat, hoc est, præteritum ad suam naturam pertinere *. Nam tunc Deus aliquid contra suam voluntatem, hoc est contra proprium suum intellectum, intelligeret. Hoc si bene percepisses, simulque, me illam Libertatem, quam Cartesius Menti adscribit, non concedere, quemadmodum L. M. in Præfatione meo nomine testatus est, vel minimam in meis verbis non invenires contradictionem. Sed video, me melius multo facturum fuisse, si in prima mea Epistola Cartesii verbis respondissem, dicendo, nos non posse scire, quomodo nostra libertas, et quicquid ab ea dependet, cum Dei providentia et libertate congruat (sicuti in Appendice diversis locis feci); adeo ut ex Dei Creatione nullam in libertate nostra queamus invenire contradictionem, quia capere haud possumus, quomodo Deus res creavit, et (quod idem est) quomodo eas conservat. Verum putabam, te Præfationem legisse, meque, si ex animi sententia non responderem, in amicitiae officium, quam animitus offerebam, peccaturum fuisse. Sed hæc susque deque fero.

Quia tamen video, te Cartesii Mentem hæctenus non bene percepisse, peto, ut hæc duo attendas.

Primo, neque me, neque Cartesium unquam dixisse, quod ad nostram naturam pertinet, ut nostram voluntatem intra limites intellectus contineamus; sed tantum, quod Deus nobis intellectum determinatum, et voluntatem indeterminatam dedit, ita tamen, ut ignoremus, in quem finem nos creavit; porro, quod istiusmodi indeterminata vel perfecta voluntas nos non solum perfectiores reddit, sed quoque, ut tibi in sequentibus dicam, quod ea nobis sit valde necessaria.

Secundo, quod nostra Libertas nec in quadam contingentia, nec in quadam indifferentia sita est, sed in modo affirmandi et negandi; adeo ut, quo rem aliquam minus indifferenter affirmamus aut negamus, eo liberiores simus. Verbi causa, si Dei natura nobis est cognita, tam necessario ex natura nostra *τὸ* affirmare sequitur, Deum

* *Want hoewel God de voorgaende en tegenwoordigen stant van Adam kenden, daerom verstont God niet, dat Adam van de voorgaende berooft was, dat is, dat de voorgaende tot syn tegenwoordige natuur behoorde, etc.*

existere, quam ex natura trianguli ejus tres angulos duobus rectis æquari fuit; et tamen nunquam magis liberi sumus, quam quum rem tali modo affirmamus. Quia vero hæc necessitas nihil aliud est, quam Dei Decretum, veluti in mea Appendice clare ostendi; hinc quodammodo intelligere licet, quo pacto rem libere agamus, ejusque causa sumus, non obstante, quod eam necessario et ex Dei decreto agamus. Hoc, inquam, aliquo modo possumus intelligere, cum quid affirmamus, quod clare et distincte percipimus; ubi vero quicquam, quod clare ac distincte non capimus, asserimus, hoc est, cum patimur, ut voluntas extra nostri intellectus limites exspatiatur, tum illam necessitatem Deique Decreta non ita percipere possumus, sed nostram quidem libertatem, quam nostra voluntas semper includit (quo respectu opera nostra solummodo bona vel mala appellantur). Et si tunc conamur libertatem nostram cum Dei Decreto et continua Creatione conciliare, confundimus id, quod clare et distincte intelligimus, cum eo, quod non percipimus, et propterea frustra id conamur. Sufficit ergo nobis, quod scimus nos liberos esse, et nos tales esse posse non obstante Dei decreto, nosque mali causam esse, eo quod nullus actus, nisi respectu nostræ libertatis, tantum malus nominari potest. Hæc sunt, quæ Cartesium spectant, ut demonstrationem, ejus dicta ab ea parte nullam pati contradictionem.

Jam ad ea, quæ me attinent, me convertam, ac primo breviter referam utilitatem, quæ ex mea opinione nascitur, quæ præcipue in eo est sita, quod scilicet noster intellectus Deo Mentem et Corpus extra omnem Superstitionem offert. Nec preces nobis valde utiles esse nego: nam meus intellectus est nimis parvus ad omnia media determinandum, quæ Deus habet, quibus homines ad sui amorem, hoc est ad salutem, perducatur; adeo ut tantum absit hanc opinionem noxiam futuram esse, ut econtra iis, qui nullis præjudiciis nec puerili superstitione præoccupati sunt, unicum sit medium ad summum beatitudinis gradum perveniendi.

Quod vero ais, me homines, eos a Deo tam dependentes faciendo, ideo elementis, herbis, et lapidibus similes reddere, id sufficienter ostendit, te meam opinionem perversissime intelligere, et res, quæ intellectum spectant, cum imaginatione confundere. Si enim puro

intellectu percepisses, quid sit a Deo dependere, certe non cogitares, res, quatenus a Deo dependent, mortuas, corporeas, et imperfectas esse (quis unquam de Ente summe perfecto tam viliter ausus fuit loqui); econtra caperes, ea de causa, et quatenus a Deo dependent, perfectas esse. Adeo ut hanc dependentiam atque necessariam operationem quam optime per Dei decretum intelligamus, quando non ad truncos et herbas, sed ad maxime intelligibiles et res creatas perfectissimas attendimus, ut ex illo, quod secundo de Cartesii mente jam ante memoravimus, clare apparet, quod attendere debuisses.

Nec reticere possum, me id summopere mirari, quod dicis: si Deus delictum non puniret (hoc est, tanquam iudex tali poena, quam ipsum delictum non inferret; id enim solum nostra est quaestio), quaenam ratio impedit, quo minus quaeris scelera avide perpetrem? Certe qui illud tantum (quod de te non spero) formidine poenae omittit, is nulla ratione ex amore operatur, et quam minime Virtutem amplectitur. Quantum ad me, ea omitto, vel omittere studeo, quia expresse cum mea singulari natura pugnant, meque a Dei amore et cognitione aberrare facerent.

Porro, si ad naturam humanam paulum attendisses, et naturam Dei decreti, prout in Appendice explicui, percepisses, tandemque scivisses, quomodo res esset deducenda, antequam ad conclusionem perveniat; non adeo temere dixisses, hanc opinionem nos truncis, etc. similes reddere; nec tam multas absurditates, quam imaginariis, mihi affinxisses.

De duabus illis rebus, quas ais, priusquam ad secundam tuam Regulam pergis, te percipere haud valere, respondeo primo, Cartesium sufficere ad conclusionem tuam faciendam; quod nempe, si modo attendis ad naturam tuam, experiris, te posse iudicium tuum suspendere. Si vero dicas, te in te ipso non experiri, nos tantum virium hodie in Rationem * obtinere, ut hoc semper continuare possimus, id idem Cartesio esset, ac nos hodie non posse videre, nos, quamdiu existimus, futuros semper res cogitantes, vel naturam rei cogitantis retenturos, quod profecto contradictionem involvit.

* Ed. Belg. has voces in *Rationem* omittit. Kirchmann: in *Ratione tua*.

Ad secundum cum Cartesio dico, si Voluntatem nostram extra limites intellectûs nostri valde limitati extendere non possemus, nos miserimos futuros, neque in nostra potestate fore vel frustum panis comedere, vel passum progredi, vel subsistere: omnia enim incerta atque periculis sunt plena.

Transeo nunc ad secundam tuam Regulam, asseroque, me quidem credere, quod ego eam Veritatem, quam tu in Scriptura esse credis, illi non tribuam, et tamen credo, quod ego illi tantum, si non plus, adscribam authoritatis; quodque longe cautius quam alii caveam, ne illi pueriles quasdam et absurdas sententias affingam, quod nemo præstare potest, nisi is, qui Philosophiam bene intelligit, vel Divinas habet revelationes; adeo ut me valde parum moveant explicationes, quas Vulgares Theologi de Scriptura adferunt, præsertim si istius sint farinæ, ut Scripturam semper juxta litteram sensumque externum fumant; et nunquam, præter Socinianos, crassum adeo vidi Theologum, qui non percipit, Sacram Scripturam creberrime more humano de Deo loqui, ac suum sensum Parabolis exprimere; et quod ad contradictionem, quam frustra (mea quidem opinione) conaris ostendere, credo te per Parabolam omnino aliud quid, quam vulgo fit, intelligere: nam quis unquam audivit, eum, qui suos conceptus parabolis exprimit, a suo sensu aberrare. Quum Micha Regi Aghabo diceret, se Deum in folio suo sedentem vidisse, ac exercitus cœlestes a dextra et sinistra stantes, Deumque ex illis quærere, quisnam Aghabum deciperet, illud ipsum certe erat Parabola, qua Propheta præcipuum, quod ea occasione (quæ non erat, ut sublimia Theologiæ dogmata doceret) Dei nomine debebat manifestare, sufficienter exprimebat; adeo ut nullo modo a sensu suo aberraret. Sic etiam cæteri Prophetæ Dei Verbum jussu Dei ea ratione populo manifestarunt, tanquam optimo medio, non vero tanquam illo, quod Deus petebat, populum ad scopum Scripturæ primarium ducendi, qui juxta ipsius Christi dictum in hoc consistit, nimirum in amore Dei supra omnia, et proximi tanquam sui ipsius. Sublimes speculationes, credo, Scripturam minime tangunt. Me quod spectat, nulla Dei æterna attributa ex Sacra Scriptura didici, nec discere potui.

Quantum vero quintum * attinet argumentum (scilicet Prophetas Dei Verbum tali ratione manifestum fecisse, quoniam veritas veritati non est contraria), nihil reliqui est, quam ut (quemadmodum quisvis, qui Demonstrandi Methodum percipit, judicabit) demonstrarem, Scripturam, prout est, esse Dei verum Verbum revelatum. Cujus Mathematicam Demonstrationem, nisi Divina Revelatione, habere nequeo. Et ideo dixi, *credo*, sed non, *more mathematico scio, omnia, quae Deus Prophetis, etc.*, quia firmiter credo, non vero Mathematice scio, Prophetas Dei intimos Consiliarios et Legatos fuisse fidos; adeo ut in iis, quæ ego affirmavi, nulla omnino sit contradictio; cum e contrario ab altera parte haud paucæ inveniantur.

Reliquum tuæ Epistolæ, nempe ubi dicis: *Denique Ens summe perfectum noverat, etc.* et deinde quod contra exemplum de veneno adfers, ac ultimo, quod Appendicem, et id, quod sequitur, spectat, dico hanc præsentem Quæstionem non respicere.

Præfationem L. M. quod attinet, in ipsa certe simul ostenditur, quid Cartesio adhuc probandum esset, ut solidam de Libero Arbitrio demonstrationem formaret, additurque, me contrariam fovere sententiam, et quomodo eam foveam: quam forte suo tempore indicabo, nunc vero animus non est.

De opere vero super Cartesium nec cogitavi, nec ulteriorem ejus gessi curam, postquam sermone Belgico prodiit; et quidem non sine ratione, quam hic recensere longum foret. Adeo ut nihil dicendum restet, quam me, etc.

[Schiedami, 28 Jan. 1665.]

* Ed. Belg. vocem numeralem omittit.

EPISTOLA XXII (OLIM XXXV).

Clarissimo Viro

B. D. S.

GUILIELMUS DE BLYENBERGH.

Responsio ad præcedentem.

Versio *.

Mi Domine, et chare Amice,

Epistolam tuam, 28. Januarii scriptam, suo tempore accepi; aliæ occupationes præter studia impediverunt, quo minus ad tuam citius responderim; et quoniam hic illic acribus tua referta est reprehensionibus, quid de ea judicarem, vix sciebam: nam in prima, 5. Januarii exarata, tam liberaliter amicitiam tuam ex animo mihi obtuleras, hac addita obtestatione, meam non solum illo tempore scriptam, sed et subsequentes valde gratas fore; quin amice flagitabas, ut libere, si quas insuper movere possem difficultates, objicerem, uti in mea, 16. Januarii data, prolixius paulo præstiti. Ad eam amicam et erudientem, juxta postulatam et promissum tuum, expectabam responsum; sed econtra talem, quæ nimiam non redolet amicitiam, accepi; nempe *quod nullæ demonstrationes, licet validissimæ, apud me valent; quod mentem Cartesii non percipio; quod res spirituales nimium cum terrenis confundo, etc., ita ut invicem epistolis diutius erudire non possimus.* Ad quæ amice respondeo, me firmiter credere, te supra dicta melius me intelligere, et assuetum magis esse res corporeas a spiritualibus discernere: in Metaphysica enim, quam ego inchoo, summum ascendisti gradum, et ideo, ut erudirer, favorem tuum captabam; nunquam vero existimabam, me objectionibus libere factis offensionis causam præbiturum. Summas tibi ex animo ago gratias, quod tantum laborem in duabus epistolis exarandis, præcipue in secunda, suscepisti; ex posteriore, quam ex priore, tuam mentem clarius percepi, et nihilominus ei assensum præbere nequeo, nisi difficultates, quas adhuc in ea invenio, tollantur; nec hoc offensionis causam dare

* Ab amicis facta. Autographon, quod una cum Ep. XX. Amstelodami servatur, in Ed. Belg. repetitum est.

potest. Nam illud vitium in intellectu nostro arguit, si veritati sine fundamento necessario assentimur: Licet tui veri essent conceptus, iis assensum præbere non licet, quamdiu in me quædam obscuritatis vel dubitationis rationes superfunt, quamvis dubitationes non ex re proposita, sed ex mei intellectûs imperfectione orientur. Et quia hoc abunde tibi notum est, ægre ferre non debes, si rursus quasdam formem objectiones: cogor ita facere, quamdiu rem clare percipere nequeo; nam hoc in alium non fit finem, quam ad veritatem inveniendam, non vero ad tuam mentem præter intentionem tuam detorquendam; et propterea ad hæc pauca amicam peto responsionem. Dicis, *nihil ad essentiam rei amplius pertinere, quam id, quod divina voluntas potentiaque ei concedit et revera tribuit; et cum ad naturam hominis, qui appetitu libidinis ducitur, attendimus, præsentemque appetitum cum eo, qui in probis est, vel cum eo, quem ipse alias habuit, comparamus, affirmamus eum hominem meliore appetitu privatam esse, quia tunc isti virtutis appetitum competere judicamus; quod facere non possumus, si ad naturam divini decreti et intellectûs attendimus: nam eo respectu melior ille appetitus non magis ad naturam istius hominis eo tempore, quam ad naturam Diaboli aut lapidis pertinet, etc. Licet enim Deus præteritum et præsentem Adami statum sciret, non idcirco Adamum præterito statu privatam esse intelligebat, hoc est, præteritum ad suam præsentem naturam pertinere, etc.* Ex quibus verbis clare sequi videtur, juxta tuam sententiam nihil aliud ad essentiam pertinere, quam quod eo momento, quo percipitur, res habet; hoc est, si me voluptatis desiderium tenet, illud desiderium ad meam illo tempore pertinet essentiam, et si me non tenet, illud *non-desiderium* ad meam eo, quo non desidero, tempore essentiam pertinet; unde infallibiliter consequitur, me tum respectu Dei æque perfectionem in meis operibus includere (solummodo gradu differentibus), quando voluptatum cupiditate, quam quando ea non teneor; quando omnis generis scelera perpetro, quam quando virtutem et justitiam exerceo. Ad meam enim essentiam eo tempore tantum duntaxat, quantum operor, pertinet: nec enim plus nec minus, secundum tuam positionem, operari possum, quam quantum revera accepi perfectionis, quia voluptatum scelerumque cupiditas ad meam

eo tempore, quo facio, pertinet essentiam, et eo tempore illam, non vero majorem, a Divina potentia accipio. Exigit ergo divina potentia ejusmodi duntaxat opera. Et ita ex tua positione clare videtur sequi, Deum scelera una eademque ratione velle, qua ea vult, quæ tu nomine virtutis insignis. Ponamus jam, quod Deus, ut Deus, non vero ut iudex, piis et impiis talem et tantum essentia largitur, quantum vult, ut illi efficiant; quænam rationes dantur, ut unius opus non eodem modo quam alterius velit? Nam, quoniam unicuique ad opus suum qualitatem concedit, sequitur utique, quod, quibus minus largitus est, eadem ratione tantum ab ipsis petit, quantum ab illis, quibus plus dedit; et per consequens Deus sui ipsius respectu majorem minoremve nostrorum operum perfectionem, voluptatum et virtutum cupiditatem, eodem modo exigit. Adeo ut, qui scelera patrat, necessario eadem patrare debeat, quia nihil aliud ad suam eo tempore essentiam spectat; uti is, qui virtutem exercet, ideo virtutem exercet, quia Dei potentia voluit, ut ad suam eo tempore essentiam id pertineret. Rursum mihi videtur, Deum æque et eodem modo scelera, quam virtutem, velle; quatenus autem utraque vult, tam hujus quam illius est causa, ipsique eatenus grata esse debent. Quod de Deo concipere durum est.

Dicis, ut video, probos Deum colere; verum ex tuis scriptis nihil aliud percipio, quam quod Deo servire tantum sit talia efficere opera, quæ Deus, ut operaremur, voluit; idem adscribis impiis et libidinosis; quænam ergo est differentia, respectu Dei, inter proborum et improborum cultum? Ais etiam, probos Deo servire, et serviendo continuo perfectiores evadere; sed non percipio, quid per *τὸ perfectiores evadere* intelligas, nec quid significet *τὸ continuo perfectiores evadere*. Nam et pii suam essentiam et conservationem, aut continuam creationem, a Deo, ut Deo, non vero ut iudice, nanciscuntur, voluntatemque ejus juxta Dei decretum utrique eodem modo exequentur. Quænam ergo differentia, respectu Dei, inter utrosque potest esse? Nam *τὸ perfectiores continuo evadere* non ex opere, sed ex Dei voluntate fluit; adeo ut, si pii per opera sua imperfectiores fiunt, illud non fluat ex operibus, sed ex sola Dei voluntate; et utrique voluntatem Dei tantum exequentur; nequit ergo in his

duobus, ratione Dei, dari discrimen. Quænam sunt ergo rationes, ut hi per opus suum continuo perfectiores, illi vero deteriores evadant?

Sed vero discrimen operis horum supra alterorum opus in hoc ponere videris, quod hoc opus plus perfectionis quam illud includit. In his tuum vel meum certo confido latere errorem: nam nullam in tuis scriptis reperire licet Regulam, secundum quam res magis minusve perfecta dicitur, quam quando plus minusve habet essentialis. Si hæc sit perfectionis regula, sunt igitur scelera, Dei respectu, ei æque ac opera proborum grata: nam Deus ea ut Deus, hoc est sui respectu, eodem modo vult, quia utraque ex Dei fluunt decreto. Si hæc sit sola perfectionis regula, errores non nisi improprie tales dici possunt, sed revera nulli errores, nulla dantur scelera, et quicquid est, illam tantummodo et talem, quam Deus dedit, essentialiter complectitur, quæ semper, utcumque ea se habeat, perfectionem involvit. Me hoc clare non posse percipere, fateor, et tu quærenti, an occidere Deo æque placeat ac eleemosynas largiri? an furtum committere, Dei respectu, æque bonum sit ac justum esse? condona. Si neges, quænam sunt rationes? si affirmes, quæ apud me existunt rationes, quibus moverer, ut hoc opus, quod tu virtutem appellas, magis quam aliud operarer? quænam lex magis hoc, quam illud, prohibet? Si ipsam nomines virtutis legem, fatendum mihi certe est, me nullam apud te reperire, juxta quam virtus moderanda, et ex qua cognoscenda sit. Quicquid enim est, a Dei voluntate inseparabiliter dependet, et per consequens et hoc et illud ex æquo virtuosum est. Et, quid tibi virtus vel lex virtutis sit, non capio; ideo etiam, quod asseris, nos ex amore virtutis debere operari, non intelligo. Dicis quidem, te scelera et vitia omittere, quia ea cum singulari tua natura pugnant, et te ab divina cognitione et amore seducunt; verum nullam horum in omnibus tuis scriptis invenio vel regulam vel probationem. Quin excusa me, si contrarium ex illis sequi dicam. Omittis ea, quæ vitia appello, quia cum singulari tua natura pugnant, non autem quia vitia complectuntur; omittis ea, quemadmodum cibus, a quo natura nostra abhorret, relinquitur. Certe qui mala omittet, eo quod sua natura ab eis abhorret, parum de virtute gloriari poterit.

Hic jam rursus quæstio moveri potest, an, si daretur animus, cum cujus singulari natura non pugnaret, sed conveniret, voluptates sceleraque patrare, an, inquam, ratio virtutis sit, quæ ipsum ad virtutem præstandam malumque omittendum moveret? Sed qui fieri potest, ut quis cupiditatem voluptatis amitteret, quum ejus cupiditas eo tempore de sua sit essentia, ipsamque jam modo acceperit, neque dimittere possit?

Hanc etiam consequentiam in tuis scriptis non video, quod nimirum eæ actiones, quas scelerum nomine insignio, te a Dei cognitione et ejus amore seducerent. Nam voluntatem Dei tantum exequutus es, neque amplius præstare poteras, quia ad tuam isto tempore essentiam constituendam a Divina voluntate ac potentia nihil amplius datum erat. Quomodo sic determinatum ac dependens opus te a Divino amore aberrare facit? aberrare est confusum et independens esse, et hoc secundum te est impossibile. Nam sive hoc sive illud, sive plus sive minus perfectionis edimus, illud ad esse nostrum pro illo tempore immediate a Deo accipimus: quomodo ergo possumus aberrare? vel ego, per errorem quid intelligatur, non capio. Attamen in hoc, in hoc, inquam, solo causa vel mei vel tui erroris latere debet.

Hic multa alia dicerem, et quærerem, Primo, An substantiæ intellectuales alio modo quam vitæ expertes a Deo dependeant? licet enim entia intellectualia plus essentiæ quam vita carentia involvant, annon utraque Deo Deique decreto ad suum motum in genere, et ad talem motum in specie, conservandum opus habent, et per consequens, quatenus dependent, annon una eademque ratione dependent? Secundo, Quia, quam ei D. des Cartes assignavit, libertatem animæ non concedis, quænam sit differentia inter dependentiam intellectualem et anima carentium Substantiarum? et, si nullam volendi habent libertatem, quomodo tu eas a Deo dependere concipias? et quo pacto anima a Deo dependeat? Tertio, Siquidem nostra anima eâ non sit prædita libertate, anne nostra actio proprie Dei actio, et nostra voluntas proprie Dei sit voluntas? Plura alia quærere possem, sed tam multa a te petere non ausim: solummodo ad præcedentia responsum tuum brevi expecto, an forte hoc medio adhibito sententiam tuam melius intelligam, ut postea de hac re coram tecum

pluribus agerem. Ubi enim tuum nactus fuero responsum, Leydam profectus, si gratum sit, in transitu te salutabo. His nixus, dico ex animo, tibi salute dicta, me manere

Tibi addictissimum atque Officiosissimum

G. DE BLYENBERGH.

* Dordraci 19. Febr. 1665.

P. S. Nimia festinatione hanc inferere quæstionem oblitus sum: an quod alias nobis eveniret, prudentia nostra non impedire queamus.

EPISTOLA XXIII (OLIM XXXVI).

Viro Doctissimo ac Ornatissimo

GUILIELMO DE BLYENBERGH

B. D. S.

Responso ad præcedentem.

Verfio **.

Mi Domine et Amice,

Duas abs te hac septimana accepi Epistolas; posterior, 9. Martii exarata, tantum ei inserviebat, ut me de priore, 19. Februarii scripta, et mihi Schiedamo missa, certiozem redderet. In hac priore te de eo queri video, quod dixerim, *nullam apud te demonstrationem locum habere posse, etc.*, quasi illud mearum rationum respectu, quia statim tibi non fecerunt satis, locutus fuerim, quod a mente mea longe abest: respiciebam propria tua verba, quæ sic habent: *Et si quando post diutinam investigationem accideret, ut naturalis mea scientia videretur cum hoc Verbo vel pugnare, vel non satis bene, etc., illud*

* Autographon hæc habet: *Indien UE. niet onder couvert aen myn schryft, soo gelieft te schryven aen Willem van Blyenbergh pontgaerder by de groote kerck, dord' 19. Feb'. 1665.*

** Versionem fecit ipse auctor, quare ejus verba in margine Ed. Belg. passim laudantur.

Verbum tanta apud me est auctoritatis, ut conceptus, quos existimo clare percipere, mihi potius suspecti sint, etc. Adeo ut tua tantum verba breviter repetierim, nec propterea credo, me ulla in re iræ causam præbuisse; eo magis quod ea tanquam rationem adducebam, quibus magnum nostrum diffensum ostenderem.

Porro, quia in calce secundæ Epistolæ scripseras, te tantummodo sperare et optare, ut in fide ac spe perseveres, atque reliqua, quæ nobis invicem de intellectu naturali persuademus, tibi esse indifferentia; animoolvebam, uti et jam revolveo, meas nulli usui futuras, mihi-que ea de causa consultum magis esse, ut studia (quæ alioqui tamdiu intermittere cogor) non negligerem propter res, quæ nullum fructum possunt largiri. Nec hoc primæ Epistolæ meæ contrariatur: quia ibi te ut merum Philosophum, qui (sicuti haud pauci, qui se Christianos autumant, concedunt) nullum alium veritatis Lydium habet lapidem præter naturalem intellectum, non vero Theologiam, considerabam. Sed de hac re me aliter edocuiisti, simulque ostendisti, quod fundamentum, cui nostram amicitiam superædificare animus erat, non ut arbitrabar esset jactum.

Denique, reliqua quod attinet, ea plerumque tali modo inter disputandum contingunt, ut propterea humanitatis limites non transgrediamur, et hac de causa in secunda tua Epistola, nec non in hac, his similia, tanquam non animadversa, prætermittam. Hæc de tua offensione, ut me ei nullam dedisse causam ostenderem, multo minus me ferre haud posse, ut mihi quifquam obloquatur. Nunc, quo ad tuas objectiones rursus respondeam, me converto.

Statuo ergo primo, Deum absolute et revera causam esse omnium, quæ essentiam habent, quæcunque etiam illa sint. Si jam poteris demonstrare, Malum, Errorem, Scelera, etc. quicquam esse, quod essentiam exprimit, tibi penitus concedam, Deum scelerum, mali, erroris, etc. causam esse. Videor mihi sufficienter ostendisse, id, quod formam mali, erroris, sceleris ponit, non in aliquo, quod essentiam exprimit, consistere, ideoque dici non posse, Deum ejus esse causam. Neronis, verbi gratia, matricidium, quatenus aliquid positivum comprehendebat, scelus non erat: nam facinus externum fecit, simulque intentionem ad trucidandam Matrem Orestes habuit, et

tamen, faltem uti Nero, ita non accusatur. Quodnam ergo Neronis scelus? Non aliud, quam quod hoc facinore ostenderet se ingratum, immifericordem, ac inobedientem esse. Certum autem est, nihil horum aliquid essentia exprimere, et idcirco Deum eorum etiam non fuisse causam, licet causa actûs et intentionis Neronis fuerit.

Porro velim hic notari, nos, dum Philosophice loquimur, non debere Phrasibus Theologiae uti: Nam, quia Theologia Deum passim, nec temere, ut hominem perfectum repræsentat, propterea opportunum est, ut in Theologia dicatur, Deum quicquam cupere, Deum tædio operibus improborum affici, et proborum delectari; in Philosophia vero, ubi clare percipimus, quod Deo illa attributa, quæ hominem perfectum reddunt, tam ægre possunt tribui et assignari, quam si ea, quæ elephantum asinumve perficiunt, homini tribueremus; ibi hæc et his similia verba nullum obtinent locum, nec ibi sine nostrorum conceptuum summa confusione ea usurpare licet. Quare Philosophice loquendo dici nequit, Deum a quoquam quicquam petere, neque, ei tædiosum aut gratum quid esse; hæc quippe omnia humana sunt attributa, quæ in Deo locum non habent.

Notari tandem voluissim, quod, quamvis opera proborum (hoc est, eorum, qui claram Dei habent ideam, ad quam cuncta eorum opera, ut et cogitationes determinantur) et improborum (hoc est, eorum, qui Dei ideam haud possident, sed tantum rerum terrenarum ideas, ad quas eorum opera cogitationesque determinantur), et denique omnium eorum, quæ sunt, ex Dei æternis legibus et Decretis necessario prosuant, continuoque a Deo dependeant; attamen non solum gradibus, sed et essentia ab invicem differunt. Licet etenim mus æque ac angelus, et æque Tristitia ac Lætitia, a Deo dependeant, nequit tamen mus species angeli, et Tristitia species Lætitiæ esse. Hisce opinor me tuis Objectionibus (si eas probe intellexi; quippe interdum dubius hæreo, num conclusiones, quas inde deducis, non differant ab ipsa Propositione, quam demonstrare suscipis) respondisse.

Verum illud clarius patebit, si ad Quæstiones propositas ex his fundamentis respondeam. Prima est, an occidere Deo adeo acceptum sit, ac elemosynas elargiri? altera est, an furari Dei respectu

æque bonum sit, ac justum esse? tertia denique est, an, si daretur animus, cum cujus singulari natura non pugnaret, sed conveniret, libidinibus obtemperare et scelera perpetrare, an in eo, inquam, ratio Virtutis daretur, quæ ipsi, ut bonum faceret et malum omitteret, persuaderet?

Ad primam hoc do responsum, me (Philosophice loquendo), quid his verbis, *Deo acceptum esse*, velis, nescire. Si roges, an Deus hunc non odio habeat, illum vero diligit? an Deum alius contumelia affecerit, alius favore profecutus fuerit? respondeo, quod non. Si vero Quæstio est, numne homines, qui occidunt, et eleemosynas distribuunt, æque probi et perfecti sint? Rursus negando respondeo.

Ad secundam rehero: si *bonum respectu Dei* inferat, justum aliquid boni Deo præstare, et furem aliquid mali, respondeo, neque justum neque furem in Deo delectationem aut tædium posse causari; si vero quæretur, an utrumque illud opus, quatenus aliquid reale et a Deo causatum est, æque sit perfectum? dico, si ad opera tantum animum advertamus, et ad talem modum, posse fieri, ut utrumque æque sit perfectum. Si igitur interrogas, numne fur et justus æque sint perfecti beatique? respondeo, non. Per justum namque eum intelligo, qui constanter cupit, ut unusquisque, quod suum est, possideat; quam Cupiditatem ego in mea Ethica (necdum edita) in piis ex clara, quam de seipsis et Deo habent, cognitione necessario originem ducere, demonstro. Et, quoniam ejus generis cupiditatem fur non habet, necessario Dei et sui ipsius cognitione, hoc est, primario, quod nos homines reddit, destituitur. Si tamen ulterius quæras, quid te queat movere, ut magis hoc opus, quod Virtutem nuncupo, quam aliud facias? dico, me non posse scire, qua via, ex infinitis, Deus utatur, ut te ad hoc opus determinet. Possit esse, ut Deus tibi clare sui ideam imprefferit, ut mundum oblivioni propter sui amorem traderes, reliquosque homines sicut te ipsum amares; et perspicuum est, hujusmodi animi Constitutionem cum cæteris omnibus, quæ malæ vocantur, pugnare, et ea de causa in uno subjecto non posse esse. Porro fundamenta Ethices explicandi, et etiam cuncta mea dicta demonstrandi, non est hic locus, quia tantum in eo sum, ut ad Quæstiones tuas responsum dem, et eas a me avertam arceamque.

Quantum denique tertiam Quæstionem attinet, ea contradictionem supponit, mihique æque videbatur, ac si quis rogaret: Si melius cum alicujus natura conveniret, ut seipsum suspenderet, an rationes darentur, ut se non suspenderet? Verum, ejusmodi dari naturam, fit possibile; tunc affirmo (etiãsi liberum arbitrium concederem, si ve non concederem), si quis videt, se commodius in cruce posse vivere, quam mensæ suæ accumbentem, eum stultissime agere, si se ipsum non suspenderet; et is, qui clare videret, se scelera patrando revera perfectiore et meliore vita vel essentia, quam virtutem sectando, posse frui, is etiã stultus foret, si illa non faceret. Nam scelera respectu istiusmodi naturæ humanæ perversæ virtus essent.

Ad aliam Quæstionem, quam calci Epistolæ addidisti, quia unâ horâ vel centum ejus generis quærere possemus, nec tamen unquam ad conclusionem unius perveniremus, et ipse responcionem non adeo urges, non respondebo; hoc tempore tantum dicam, etc.

Addimus epistolam Hollandicam ex autographo, quod m. Januario anni 1860 in auctione librorum MSS. J. J. van Voorst, deinde penes Feuillet de Conches Parisiensem fuit, nunc est Caroli Meinert Dessaviensis.

Mijnheer en Vrient,

Dese week heb ik twe brieven van U.E. ontfangen, den eenen van den 9 maart, die maar diende om my van de anderen van 19 februari, die mij van schiedam gefonden is, te verwittigen. in dese laatste sie ik, dat U.E. klaagt over hetgeen ik geseit heb, dat geen demonstratie by hem plaats kan hebben, etc. als of ik dat sou geseit hebben ten opzigt van myn reden, om datse ten eerste niet voldaan en hebben, dat var' van myn meening is. maar ik had mijn oogmerk op syn aygen woorden, die aldus luyden. en wanneer na een lang onderzoek moght gebeuren, dat myn natuurlyk kennis of schein te streiden met dit woort, of niet al te wel etc. so heeft dit woort so veel aansien by my, dat de begrippen, die ik meen klaar te sien liever

suspecteert etc. so dat ik int kort sleghts gerepenteert heb U.E. aygen seggen. en daarom niet geloof, dat ik daar me' de minste reede van offensie gaf. te meer om dat ik dat toen als reeden broght, om ons groot verskil te toonen. vorders dewyl U.E. aan't eint van syn tweeden brief gesyt had, dat syn wens alleen in syn geloof, en hoop te volharden, en dat de rest, dat wy malkander wys maaken aangaande het natuurlyk verstant hem indifferent is; so docht ik, gelyk ik noch denk, dat myn schryven tot geen nut en kan strekken, en derhalve my raatsamer was, myn studie, (die ik anders so lang moet laten) niet te versuymen om saaken, die geen nut kunnen geeven. en dit sryt niet tegen myn eerste brief, dewyl ik daar U.E. aanmerkte als een puur phisiooph, die (gelyk veel, die sijn Christenen aghten, toestaan) geen andere toetsteen van de waarhyt heeft als het natuurlyk verstant, en niet de theologie. waarvan U.E. my anders onderrichte, toonende met eene, hoe de gront, waarop ik onse vrientschap meende te bowen, niet en lach gelyk ik docht. eindelyk wat de rest belangt, dat valt so gemeenlyk onder het disputeeren, sonder daarom de paalen van beleefthyt te buyten te gaan. en om dese reeden heb ik ook diergelyken in U.E. tweeden brief, en sal ook in dese ongemerkt laten gaan. dit is aangaande U.E. misnoeging, om te toonen dat ik er geen reeden toe gegeven heb, en veel min om van my te denken dat ik geen tegensprooken en kan leyen. ik sal nu tot de objectien keeren, om die weer te aantwoorde. vooreerst dan seg ik dat got absoluytlyk effectivelyk oorzaak is van al, dat wesen heeft, het sy ook wat het sy. kan U.E. nu toonen dat quaat, dooling, schellemstukken, etc. iet is dat wesen uyt drukt, so sal ik hem volkomentlyk toestaan, dat got oorzaak van schellemstukken, quaat, dooling, etc. is. voor my, my dunkt, dat ik genoeghsaam getoont heb, dat, datgeenen, dat de gedaante van quaat, dooling, schellemstukken het, niet bestaat in iet dat wesen uydrukt. en derhalven kant men niet seggen, dat got er oorzaak van is. by voorbeeld, de moedermoort van Nero, voor so veel die iet stelligs begreep, en was geen schellemstuk. want de wyterlyke daat, en met eenen de intentien om de moeder te vermoorde heeft Orestes ook gehad, en evenwel wort hy, ten minste als Nero, niet beschuldigt. wat was dan de schellemstuk van Nero? niet anders, als dat hy met dat werk getoont

heeft, dat hy ondankbaar, onbarmhartig, ongehoorzaam was. en 't is seker, dat geen van dese dingen eenig wesen uyt drukken, en derhalven is er got ook geen oorzaak van geweest, maar wel van de daat, en intentie van Nero. vorders wou ik hier aangemerkt hebben, dat wy, terwyl we filosofoohs spreken, niet moesten gebruyken de manieren van spreken van de theologie, want dewyl de theologie heeft doorgans, en dat niet sonder reeden, got als een volmaakt mens uyt gebeelt, daarom komt et wel in de theologie te pas, dat men seyt, dat got iet begeert, dat got verdriet scheidt in de werke van de godekooft, en vermaak in die van de vroomen; maar in de filosofie daar men klaar verstaat dat men got die attributa, die een mens volmaakt maken, so quaalik kan toepassen, als dat men die, die een olyphant of een esel volmaakt maaken, een mens sou willen toepassen: daar hebben dese, en diergelyke. woorden geen plaats, en men kan se daar niet gebruiken sonder onse conceptie seer te verwarren. derhalve, filosofiekwys sprekende en kan men niet seggen dat got van iet iet begeert, noch dat hem iet verdrietigh of aangenaam is; want dat syn altemaal menselyke attributa, die in got geen plaats en hebben. eindelijk wou ik aangemerkt hebben, dat schoon de werken van de vroomen (dat is, van die, die gots denkbeeld klaarlyk hebben, na welk al haar werke, en gedachten gedetermineert worden) en van de godekooft, (dat is, van die, die gots denkbeeld niet en hebben, maar alleen verwarde denkbeelde van de aartse dingen, na de welke al haar werken en gedachten gedetermineert worden) en eindlyk van al wat er is, uyt gots ewige wetten, en besluyt nootzaaklyk volgen, en van got geduurigh afhangen; niet te min verschillen se van malkander niet alleen gradibus, maar ook essentieelyk. want schoon 't een muys van got so wel afhangt, als een engel, en de droefheit als de blyfchap, daarom kan niet een muys een soort van engelen wesen, noch de droefhyt een soort van blyfchap. en hier mede meen ik op U objectien (so ik die wel verstaan heb, want ik twyfel somtyts of de conclusien, die gy uyt trekt, niet en verschillen van het voorstel dat U.E. te bewyse neemt) geaantwoort te hebben. doch het sal beeter bleiken, als ik volgens dese gronden aantwoort op de vraagens, die U.E. my voorstelt. als 1. of doot slaan got so aangenaam is als aalmoeft geven? 2. of steelen ten

aspeeten gots so goet is als rechtvaardigh te wesen? 3. indien 'er een gemoet was tegen wien bysonderen natuur het niet en street, maar met deselve oover een kwam om welluften, en schellemsbukken te pleegen, of daar een reden van deugt is, die hem soude moeten beweegen, om goet te doen en quaat te laten? op de eerste dan seg ik, dat ik niet weet (philosoophlyk spreekende) wat U.E. meent by aangenaam in got. indien de vraag is of got de een niet en haat en den anderen lief heeft? of de een got niet spyt gedaan heeft, en de ander een faueur? ik aantwoort neen. en indien de vraag is, of die mannen, die doot slaat, en die aalmoesen geeft, niet eeven goet, of volmaakt syn? ik seg weer van neen. wat de tweede belangt, daarop seg ik, indien goet ten opslight van got te seggen is, dat de rechtvaardige got eenig goet doet, en de dief eenig quaat, ik antwoort, dat de rechtvaardige, noch de dief vermaak, noch verdriet in got konnen veroorsaaken, maar indien de vraag is, of die twee werken, voor so veel se iet saaklyk syn, en van got veroorzaakt, niet eeven volmaakt syn? dan seg ik, indien men op de werken alleen, en op so een wys let, dat het wel wesen kan, dat se bayegaar eeven volmaakt syn. indien ghy dan vraaght of dan den dief, en den rechtvaardigh, niet eeven volmaakt en saligh syn? daarop aantwoort ik van neen. want by een rechtvaardig versta ik een, die vast begeert, dat elk het syne besit, welke begeerte ik in myn Ethica (die ik noch niet uytgegeven heb) toon nootfaaklyk in de vroomen te ontstaen uyt een klare kennis, die sy van haar sefels, en van got hebben. en mits den dief sodanige begeerte niet en heeft, so ontbeert hy nootfaaklyk de kennis van got, en van sijn selve, dat is, het voornaamste, dat ons menschen maakt. indien gy noch eevenwel vraagt wat u kan moveeren het werk, dat ik deugt noemt meerder te doen als het ander? daartoe seg ik, dat ik niet kan weeten wat wegh van oneindlike, die 'r syn, got gebruykt, om u tot sodanige werke te determinereen. het kan syn, dat got syn denkbeelt in U.E. klaar geprent heeft. en door syn liefde u de werelt doen vergeeten, en den rest van de menschen doen beminnen gelyk u selfs; en 't is klaar dat so een constitutie van gemoet, tegen al de andere die men quaat noemt sryt, en derhalve en konnense in een subjeet niet wesen. vorders is hier de plaats niet om de gronden

van de *Ethica* te verklaaren, noch ook om al het geen ik seg te bewyfe, dewyl ik maar befigh ben om slechts op U.E. objectien te antwoorde, en die van my af te keeren. wat eindelijk de 3. vraag belangt, die supponcert een contradictie, en 't lyk my even als of my iemand vraagde, indien 't met de natuur van iemand beter over een kwam, dat hy sich ophing, of er reeden souden syn dat hy sich niet ophing? doch laat het moogelyk syn, dat 'er so een natuur gegeeven wert. dan seg ik, (alwaar't ik de vryen wil toftont of niet) dat, indien iemand fiet, dat hy aan de galgh beeter kan leeven, als aan syn tafel, hy seer geklyk doen sou, dat hy sich niet en ging ophangen; en die klaar sag, dat hy, met schellemsstukken te pleegen, in der daat volmaakter, en beeter leeven, of weesen genieten sou, als met de deugt te volgen, die sou ook een gek syn indien hy se niet en pleeg. want de schellemsstukken souden deugt syn ten opsight van so een verkeerde menselyke natuur. wat de anderen vraagen belangt, die U.E. aan't eint van syn brief gevoegt heeft, mits men so wel hondert op een uur sou kunnen vraagen, sonder dat men oyt tot beslyt van eenig ding kwaam, en U.E. selfs op de antwoort niet veel en dringt, so sal ik se onbeaantwoort laate blyve. en voor deef' tyt maar seggen dat ik U.E. tegen die tyt, die hy my apunteert, verwaghten sal, en dat hy my seer welckom wesen sal. toch ik wou wel, dat het in't kort moght wesen, om dat ik alre dreigt voor een week of twee na *Amsterdam* te gaan. ik bleif ondertussen na harteleike groetenisse

U. E. V. E. D.

B. DE SPINOZA.

Voorburgh den 13 maart 1665.

EPISTOLA XXIV (OLIM XXXVII).

Viro Clarissimo

B. D. S.

GUILIELMUS DE BLYENBERGH.

Responſo ad præcedentem.

Verſio *.

Mi Domine et amice,

Ubi tua honorabar præſentia, ut in ea perfeverarem non tempus, multo minus memoria permittebat, ut quæ colloquentes tractavimus ei mandarem; licet ego quam primum a te diſceſſeram, omnes memoriæ vires, quo audita retinerem, colligerem. In proximum ergo profeſtus locum tuas opiniones chartæ mandare conabar; ſed experiebar tunc, me revera ne quartam quidem tractatorum partem retinuiſſe; adeo ut tibi ſim excuſandus, ſi adhuc ſemel, tantum quærendo de iis, in quibus mentem tuam vel non bene perceperim, vel non bene retinuerim, tibi moleſtus ſim. Optem, ut hunc laborem aliquo beneficio tibi compenſare facultas daretur.

Primum erat, quomodo, ubi Principia, et Cogitata tua Metaphyſica lego, quæ tua, quæque Cartefii ſit ſententia, internofcere poſſim?

Secundum, an proprie detur error, et in quo conſiſtat?

Tertium, qua ratione ſtatuas, voluntatem non eſſe liberam.

Quartum, quid his verbis, quæ L. M. in Præfatione tuo nomine ſcripſit, intelligas, nempe, *Cum contrà author noſter admittat quidem in Rerum Natura eſſe ſubſtantiam cogitantem, attamen neget illam conſtituere eſſentiam Mentis humanæ, ſed ſtatuat, eodem modo, quo extenſio nullis limitibus determinata eſt, cogitationem etiam nullis limitibus determinari; adeoque, quemadmodum Corpus humanum non eſt absolute, ſed tantum certo modo ſecundum leges naturæ extenſæ per motum et quietem determinata extenſio, ſic etiam Mentem ſive animam humanam non eſſe absolute, ſed tantum ſecundum leges naturæ cogi-*

* Ab amicis facta. Autographon, quod hodie una cum Ep. XX et XXII Amſtelodami ſervatur, in Ed. Belg. expreſſum eſt.

tantis per ideas certo modo determinatam cogitationem; qua necessario dari concluditur, ubi Corpus humanum existere incipit. Unde sequi videtur, sicut Corpus humanum ex millenis compositum est corporibus, ita etiam humanam Mentem ex millenis constare cogitationibus; et, quemadmodum humanum Corpus in millena resolvitur, unde componebatur, corpora, sic etiam Mentem nostram, ubi corpus deserit, in tam multiplices, ex quibus constabat, cogitationes resolvi; et, sicuti resolutæ humani nostri Corporis partes non amplius unitæ manent, sed alia corpora inter ea se insinuant, ita sequi quoque videtur, Mentem nostram dissolutam, illas innumeras cogitationes, quibus constabat, non amplius combinatas, sed divisas esse; et, quemadmodum corpora soluta corpora quidem manent, sed non humana, ita a morte quoque nostram substantiam cogitantem quidem resolvi, ut cogitationes vel substantiæ cogitantes maneant, non vero ita, ut essentia erat earum, quum Mens humana dicebantur. Unde mihi videtur, ac si statueres, substantiam hominis cogitantem mutari, et instar corporum resolvi, quin imo quasdam ita, ut de impiis (ni me fallat memoria) affirmabas, omnino perire, nullamque sibi retinere cogitationem reliquam. Et sicut D. des Cartes, ut L. M. habet, Mentem esse substantiam absolute cogitantem tantum præsupponit, ita et Tu et L. M. præsupponitis maximam partem uti mihi videntur: quare tuam hoc in negotio mentem clare non percipio.

Quintum est, quod, tam in colloquio quam in postrema tua Epistola, 13. Martii scripta, statuis, ex clara Dei et nostri cognitione oriri Constantiam, qua, ut quilibet suum sibi habeat, cupimus: Verum hic explicandum restat, qua ratione Dei et nostri cognitio in nobis constantem voluntatem producat, ut unusquisque, quod suum est, possideat; hoc est, qua via id ex Dei cognitione fluat, vel nos obstringat, ut virtutem amemus, et ea negligamus opera, quæ vitia dicimus; et unde procedat (quandoquidem occidere et furari, juxta te, æque quid positivum, ac eleëmofynas dare, comprehendant), cur cædem committere non tantum perfectionis, beatitudinis, et acquiescentiæ, quantum eleëmofynas distribuere, involvat. Dices forte, ut in postrema, quæ 13. Martii consignata est, hanc quæstionem ad Ethicam spectare, eamque inibi a te moveri; verum quum

sine hujus Quæstionis, ut et præcedentium, elucidatione ego tuam nequeam percipere mentem, quin semper absurditates supersint, quas conciliare non possum, amice rogo ut latius mihi ad eas respondeas; præsertim ut præcipuas quasdam Definitiones, Postulata, et Axiomata, quibus tua Ethica, et hæc imprimis Quæstio innitur, proponas et explanes. Forte, quia labor deterret, te excusabis; verum ut meæ satisfacias petitioni faltem hac vice flagito, eo quod absque ultimæ Quæstionis solutione mentem tuam nunquam recte sim percepturus. Optem, ut laborem tuum aliquo beneficio compensare liceret. Tempus duarum triumve septimanarum præscribere non audeo; tantum ut ante iter tuum Amstelædamense ad has responsum des, requiro. Hoc ubi præstiteris, me tibi summopere devincies, egoque ostendam me esse et permanere,

MI DOMINE,

Tuum ad quævis officia paratissimum

G. DE BLYENBERGH.

Dordraci 27. Martii, 1665.

Epistolæ inscriptio.

*Mijn heer
d' heer Benedictus de
Spinosa, present*

*Tot
Voorburgh
p' couerto*

EPISTOLA XXV (OLIM XII).

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

Vir Clarissime, mihi que Amicissime,

Gaudebam magnopere, cum ex nuperis Domini Serrarii literis intelligerem, te vivere et valere, et Oldenburgii tui memorem esse; sed

simul graviter fortunam meam (si fas est tali vocabulo uti) accusabam, qua factum est, ut per tot mensium spatium, commercio illo suavissimo, quo antehac tecum utebar, privatus fuerim. Tum occupationum turba, tum calamitatum domesticarum immanitas culpandæ sunt; meum quippe erga te studium amplissimum fidaque amicitia firmo semper stabunt talo, et inconcussa perennabunt. Dominus Boyleus et ego non raro de te, tua Eruditione, et profundis meditationibus confabulamur. Vellemus ingenii tui fœtus excludi, et doctorum amplexibus commendari, teque hac in re expectationi nostræ facturum satis confidimus. Non est quod Domini Boylei diatriba de Nitro, deque Firmitate et Fluiditate apud vos imprimatur: hic quippe Latino sermone jam excusa est, nec nisi commoditas deest exemplaria ad vos transvehendi. Rogo igitur, ne permittas, ut quis typographus vestras tale quid aggrediatur. Idem Boyleus Tractatum insignem de Coloribus in lucem emisit, et Anglice et Latine, simul et Historiam Experimentalem de Frigore, Thermometris, etc., ubi multa præclara, multa nova. Nil nisi bellum hoc infaustum obstat, quo minus libri ad vos transmittantur. Prodiit etiam Tractatus quidam insignis de sexaginta observationibus Microscopicis, ubi multa audacter, sed Philosophice (juxta tamen principia Mechanica) differuntur. Spero, Bibliopolas nostros viam inventuros, horum omnium exemplaria ad Vos expediendi. Ego, quid tu nuper egeris, vel sub manu habeas, accipere a manu tua propria aveo, qui sum

Tui Studiofissimus et Amantissimus

HENR. OLDENBURG.

Londini die 28. April. 1665.

EPISTOLA XXVI (OLIM XIII).

Viro Nobilissimo ac Doctissimo

HENRICO OLDENBURGIO

B. D. S.

*Responso ad præcedentem.**Amice integerrime,*

Paucis ante diebus amicus quidam epistolam tuam 28. Aprilis, quam a Bibliopola Amstelædamensi, qui eam sine dubio a. D. Ser. * acceperat, sibi traditam aiebat. Gavifus sum summopere, quod tandem ex te ipso intelligere licuit, te bene valere, tuumque erga me animum benevolum eundem atque olim esse. Ego sane, quotiescunque data fuit occasio, D. Ser. et Christian. Hugenium Z. D. **, qui etiam te novisse mihi dixerat, de te tuaque valetudine rogare non desii. Ab eodem D. Hugenio etiam intellexi, eruditissimum D. Boyleum vivere, et in lucem emisisse Tractatum illum insignem de Coloribus Anglice, quem ille mihi commodato daret, si linguam Anglicam callerem. Gaudeo igitur ex te scire, hunc Tractatum, simul cum illo altero de Frigore et Thermometris, de quo nondum audiveram, Latina civitate donatos, et publici juris factos. Liber de observationibus microscopis etiam penes D. Hugenium est, sed ni fallor Anglice. Mira quidem mihi de hisce microscopiis narravit, et simul de Telescopiis quibusdam in Italia elaboratis, quibus Eclipses in Jove ab interpositione Satellitum observare potuerunt, ac etiam umbram quandam in Saturno, tanquam ab annulo factam. Quorum occasione non fatis possum mirari Cartesii præcipitantiam, qui ait, causam, cur Planetæ juxta Saturnum (ejus enim ansas Planetas esse putavit, forte quia eas Saturnum tangere nunquam observavit) non moventur, posse esse, quod Saturnus circa proprium axem non gyret, cum hoc cum suis principiis parum conveniat, tum quia ex suis principiis facillime anfarum causam explicare potuerat, nisi præjudicio laboraret, etc.

* Domino Serrario.

** Zeelhemii Dominum.

EPISTOLA XXVII (OLIM XXXVIII).

Humanissimo Ornatiſſimoque Viro

GUILIELMO DE BLYENBERGH

B. D. S.

Reſponſio ad Epistolam XXIV.

Verſio.

Mi Domine et Amice,

Ubi tua, 27. Martii ad me data, mihi tradebatur, ut Amſtelædamum proficiſcerer, in prociñtu ſtabam. Quare, ubi dimidium ejus perlegeram, doni relinquebam, donec rediiſſem, ut tum reſponderem; quoniam putabam, eam nihil niſi Quæſtiones, ad primam ſpectantes controverſiam, comprehendere. Ego vero poſtea eam perlegens longe aliud ejus argumentum eſſe deprehendebam, in eaque non modo probationem eorum, quæ in Præfatione mearum Demonſtrationum Geometricarum in Cartefii Principia curavi ſcribi; eo tantum fine, ut meam ſententiam cuilibet indicarem, non vero probarem et hominibus perſuaderem; ſed etiam magnam Ethices partem, quæ, ut cuiſvis notum, Metaphyſicâ et Phyſicâ fundari debet, deſiderari. Qua de cauſa, ut tuis facerem ſatis quæſtionibus, a me impetrare non potui, ſed occaſionem exſpectare volui, quo amiciffime coram, ut poſtulato deſiſtas, a te peterem, meæ negationis rationem darem, et denique oſtenderem, eas ad primæ noſtræ controverſiæ ſolutionem non facere, ſed econtra maximam partem a ſolutione iſtius litis pendere. Tantum ergo abeſt, ut mea opinio, rerum neceſſitatem ſpectans, ſine iis non poſſit percipi; quia hæc revera percipi nequeunt, antequam ea in anteceſſum intelligatur. Antequam vero offerebatur occaſio, hac hebdomada alterum adhuc mihi tradebatur epiſtolium, quod aliquam diſplicentiam, ex nimia mora, præ ſe ferre videtur. Et ideo hæc pauca ad te ſcribere neceſſitas me coëgit, ut de propoſito et decreto meo certioſorem, ut jam reddidi, te redderem. Spero te, negotio perpenſo, ultro a tua petitione deſtiturum, et tamen animum in me propenſum ſervaturum. Ego a mea parte pro viribus meis in omnibus demonſtrabo, me eſſe, etc.

Ejusdem Epistolæ verba Hollandica ex autographo Bibl. Univ. Lugd. Bat. repetita hæc sunt.

Myn Heer, en Vrient.

Toen ik U.E. brief van den 27. maart ontfing, was op myn vertrek na Amsterdam, en derhalve ik die maar half gelezen i'huys liet om tegen myn wederkomst te beantwoorde, denkende dat se niet anders begreep als dingen noopende de eerste questien, maar die daar na lesende, bevontse van een heel anderen inhoud; en niet alleen het bewys van die dingen versoekende, die alleen om ieder van myn gevoelen, en meening te waarschowwen, maar niet omse te bewyse, noch om te verklaaren, heb in de voorreeden laten setten, maar ook van een groot deel van de Ethica, die, gelyk een ieder weet, op de metaphisica, en phisica gegront moet werden. en derhalve heb niet kunnen resolveren daar op te voldoen, maar gelegenthyt gewenst, om mondeling op het vriendlykst te moogen versoeken van u verzoek te willen afftaan, en dan sou ik met eenen reden van myn wygering geven, en eindlyk toonen, dat die dingen tot de solutie van U.E. eerste questie niet en doen, maar in tegendeel de meeste van die questie af te hangen. so dat het var is, dat myn meening aangaande de noodsaaklikhyt der dingen sonder de solutie van dese nieuwe vraagens niet sou kunnen verstaan werden, dewyl de solutie van dese, en wat 'er toe behoort, niet kan gevat werden sonder dat men die noodsaaklikhyt ter degen verstaat. want gelyk U.E. weet der dingen noodsaaklikhyt raak de methaphisica, en de kennis van die moet altyt voor af gaan. doch eer ik die gewenste gelegenthyt heb kunnen krygen, heb ik dese week weer een brief onder cubert van myn hospes ontfangen, die eenige misnoeging, door het lang waghden veroorzaakt, schynt te toonen, en daarom my genootsaakt heeft dese wynigen regels te schryven, om myn resolutie, en voorneem in't kort te seggen, gelyk ik nu al gedaan heb. Wil hoope, dat U.E. de saak ooverwoogen hebbende sal van syn verzoek williglyk afftaan, en niet te min syn goede genegenthyt mywaart behowe. van myn kant in al wat ik kan of mag sal toonen dat ik ben

U. E. toegenegen V. E. Dr.
B. DE SPINOZA.

Voorburg den 3. Juni 1665.

E P I S T O L A XXVIII.

VIRO ANONYMO (BRESSERO UT VIDETUR *)

B. D. S.

Ex autographo quod Amstelodami servatur.

Nescio an mej prorsus oblitus sis, multa tamen concurrunt, quæ suspicionem afferunt. primo cum profecturus tibi valedicere volebam, et te a te ipso invitatus domi sine dubio offendere putabam, Hagam petiisse intellexi, revertor Voorburgum nullus dubitans, quin hic faltem in transitu nos inviferes. at tu, si Diis placet, infalutato amico domum reversus es. tres denique septimanas expectavi, nec hoc temporis litteras tuas videre contigit. Si igitur opinionem hanc meam a te amotam vis, tuis litteris facile amovebis, quibus etiam indicare poteris modum instituendi commercium nostrum epistolicum, de quo semel in tuis ædibus locuti sumus. Velim interim te enixe rogatum habere, imo jam per nostram amicitiam te oro, rogoque, ut ferium opus vero studio navare velis. atque intellectus, animæque cultui meliorem vitæ partem sacrare digneris. jam inquam dum tempus est, et antequam de tempore, imo de te lapsò conqueraris. porro ut de commercio nostro instituendo aliquid dicam, quo liberius mihi scribere audeas, scias me antehac suspicatum fuisse, et fere pro certo habeo, te tuo ingenio aliquomodo et magis quam par est diffidere, et vereri, ne aliquid roges, aut proponas, quod virum doctum non redoleat. verum te coram laudare, et tuas dotes narrare, non decet. si tamen vereris, ne ego tuas epistolas aliis communicem, quibus postea ludibrio sis, de hac re fidem tibi dehinc do, me eas religiose servaturum, nec ulli mortalium nisi tua venia communicaturum. his conditionibus commercium nostrum aggredi potes, nisi forte de mea fide dubitas, quod minime credo. tuam circa hæc tamen sententiam ex primis tuis litteris scire expecto. et simul aliquid conservæ rosarum rubrarum, ut promiferas, quamvis jam longe melius me habeam. postquam inde profectus sum venam semel aperui, nec tamen febris cessavit (quamvis aliquomodo agilior eram etiam ante venæ sectio-

* Cf. Ep. XXXVII.

nem, ut opinor, propter aëris mutationem.) fed tertiana bis, aut ter laboravi, quam tamen bona diæta, tandem expuli, misique in maximam malam crucem, nescio vero quo ivit, curo tamen ne huc redeat. quod ad 3^{am} partem nostræ philosophiæ attinet ejus aliquam brevi vel tibi, si translator esse vis, vel amico de Vries mittam. et quamvis decreveram nihil mittere antequam eam abfolverem; tamen, quia præter sententiam longior evadet, nolo vos nimis diu detinere. mittam usque ad 80. propositionem circiter. de rebus anglicanis multa audio, nihil tamen certi. populus omnia mala suspicari non cessat, nec ullus rationem aliquam invenire scit cur classi non immittantur habenzæ. et res quidem nondum videtur esse in vado. Vereor ne nostrates nimis velint esse docti et providi. res tamen ipsa tandem indicabit quid in animo gestient, quidve moliantur, quod dii vortant bene. quid nostri ibi sentiunt, quidque certi sciunt audire desidero, fed magis, et supra omnia ut mej etca.

[Voorburgi m. Junio 1665.]

 EPISTOLA XXIX.

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

Ex autographo quod Amstelodami servatur.

Vir Praestantissime, colendissimeque Amice,

Ex postremis tuis, 4. Sept. ad me exaratis literis *, elucet, tibi nostra non obiter cordi esse. Devinxisti non me modo, fed prænobilem Boylium nostrum, qui tibi, mecum, eo nomine maximas gratias agit, omni officiorum genere, quæ quidem ab ipso proficisci possunt, humanitatem et affectum tuum datâ occasione compenfaturus. idem quoque de memetipso firmiter tibi poteris persuadere. Sed

* Quas hodie non habemus.

virum illum quod spectat nimis officiosum, qui non obstante illa versione Tractatus de Coloribus, quæ hic jam expedita est, adornare nihilominus aliam voluit, sentiet fortassis, se malè sibi præpostero illo studio consuluisse. Quid enim de ipsius fiet translatione, si Author Latinam illam, hic in Anglia paratam, quamplurimis Experimentis, quæ in Anglico non reperiantur, fecerit auctiorem? Necessè est, nostram, brevi nunc diffeminandam, suæ omninò tunc præferri, et multo pluris apud quosvis fanos æstimari. Sed abundet suo sensu, si velit; nos nostra, prout maximè consultum visum fuerit, curabimus.

Kircheri *Mundus Subterraneus* nondum in mundo nostro Anglico comparuit, ob pestem, omnia fere commercia prohibentem. Accedit Bellum atrocissimum, quod nonnisi malorum Iliada secum trahit, et humanitatem omnem tantum non è mundo exterminat. Interim tamen, licet Societas nostra Philosophica nullos, periculoso hoc tempore, cœtus agat publicos: hi tamen illive ejus Socii, tales se esse non obliviscuntur. Hinc alij Experimentis Hydrostaticis, alii Anatomicis, alij Mechanicis, alii aliis, privatim incumbunt. Dnus Boyleus originem Formarum et Qualitatum, prout ea hætenus in Scholis et à pædagogis tractata fuit, sub examen vocavit, et tractatum de eo, (haud dubiè insignem) prælo brevi subjiendum concinnavit. Video, Te non tam philosophari, quam, si ita loqui fas est, Theologizare; de Angelis quippe, prophetia, miraculis, cogitata tua consignas. sed forsan id agis Philosophicè: ut ut fuerit, certus sum, opus esse te dignum, et mihi imprimis desideratissimum. Cum difficillima hæc tempora commerciorum obtent libertati, id faltem rogo, ut consilium et scopum tuum in isthoc tuo scripto mihi in proximis tuis significare non graveris.

Quotidie nova hic exspectamus de secundo prælio navali, nisi forte Classis vestra se rursus in portum abduxerit. Virtus, de qua disceptari inter vos innuis, ferina est, non humana. Si enim juxta rationis ductum agerent homines, non ita se invicem dilaniarent, ut est in propatulo. Sed quid queror? Vitia erunt, donec homines; sed nec illa perpetua, et interventu meliorum pensantur.

Dum hæc scribo, traditur epistola ab insigni illo Astronomo Dan-

tiscano, Dno Johanne Hevelio, ad me scripta; in qua, inter alia mihi significat, Cometographiam ipsius, duodecim libris constantem, jam per integrum annum sub prælo sudasse, et paginas jam 400. sive 9. libros priores absolutos esse. Indicat præterea, se mihi aliquot Exemplaria transmisisse Prodromi sui Cometici, in quo priorem binorum nuperorum Cometarum fuscè descripserit; sed ea nondum ad manus meas pervenerunt. Statuit insuper, de posteriori quoque Cometa librum alium edere, et doctorum judicio subjicere.

Quid, amabo, vestrates judicant de Pendulis Hugenianis, imprimis de illorum genere, quæ adeo exactam temporis mensuram exhibere dicuntur, ut Longitudinibus in mari inveniendis possint inservire? Quid etiam fit de ejus Dioptrica, et Tractatu de Motu, quem utrumque diu jam expectavimus. Certus sum, eum non otiari; scire tantum cuperem, quid promoveat. Tu optime valeas, et amare pergas

Tui studiosissimum

H. O.

[Londini m. Sept. 1665.]

Epistolæ Inscriptio.

A Monsieur

Monfr Benediçus Spinosa

*In de baggyne-straet
ten huyseyan Mr Daniel
de Schilder in Adam en
Eya.*

à la

H a y e.

EPISTOLA XXX.

Viro Nobilissimo ac Doctissimo

HENRICO OLDENBURGIO

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Fragmentum ex Oldenburgii epistola m. Oct. 1665. ad Boyleum data recuperatum.

. . . . Gaudeo, philosophos vestrates vivere, fui suæque reipublicæ memores. Quid nuper fecerint expectabo, quando bellatores sanguine fuerint faturi, et, ad vires nonnihil instaurandas, quieverint. Si celebris ille irrisor hac ætate viveret, risu sane periret. Me tamen hæ turbæ nec ad risum, nec etiam ad lacrymandum, sed potius ad philosophandum, et humanam naturam melius observandam, incitant. Nam nec naturam irridere, mihi fas existimo, multo minus ipsam deplorare, dum cogito, homines, ut reliqua, partem tantum esse Naturæ, meque ignorare, quomodo unaquæque pars Naturæ cum suo toto conveniat, et quomodo cum reliquis cohæreat; et ex solo hujus cognitionis defectu reperio, quod quædam Naturæ, quæ ita ex parte et non nisi mutilate percipio, et quæ cum nostra mente philosophica minime conveniunt, mihi antehac vana, inordinata, absurdum videbantur: jam vero unumquemque ex suo ingenio vivere sino, et qui volunt, profecto suo bono moriantur, dummodo mihi pro vero vivere liceat. Compono jam tractatum, de meo circa Scripturam sensu: ad id vero faciendum me movent, 1. Præjudicia theologorum; scio enim ea maxime impedire, quo minus homines animum ad philosophiam applicare possint; ea igitur patefacere atque amoliri a mentibus prudentiorum satago; 2. Opinio, quam vulgus de me habet, qui me atheismi insimulare non cessat: eam quoque averruncare, quoad fieri potest, cogor; 3. Libertas philosophandi dicendique quæ sentimus; quam asserere omnibus modis cupio, quæque hic ob nimiam concionatorum autoritatem et petulantiam utcunque supprimitur. Nondum audio, Cartesianum aliquem ex Cartes. hypothefi, nuperorum cometarum phænomena explicare: et dubito, an ex illa rite explicare possint

[Voorburgi m. Sept. vel Oct. 1665.]

EPISTOLA XXXI (OLIM XIV).

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

*Responsio ad præcedentem.**Vir præstantissime, Amice colende,*

Facis, ut Virum cordatum et Philosophum decet, quod Viros bonos amas; nec est, quod dubites, quin illi te redament, et merita tua, prout par est, æstiment. Dominus Boylius una mecum salutem plurimam tibi nunciat, utque strenue et ἀκριβῶς philosophari pergas, te hortatur. Imprimis, si quid tibi lucis affulserit in ardua illa indagine, quæ in eo versatur, ut cognoscamus, quomodo unaquæque pars Naturæ cum suo toto conveniat, et qua ratione cum reliquis cohæreat, ut illud nobis communicates, peramanter rogamus. Causas, quas memoras, tanquam incitamenta ad Tractatum de Scriptura concinnandum, omnino probo, inque votis efflictim habeo, me usurpare jam oculis posse, quæ in argumentum istud es commentatus. Dominus Serrarius forte fasciculum aliquem brevi ad me transmittet, cui, si visum ita fuerit, committere tuto poteris, quæ ea de re jam composuisti, et reciprocam officiorum nostrorum promptitudinem polliceri.

Kircheri *Mundum Subterraneum* quadantenus evolvi, et quamvis ratiocinia ejus et theoriæ non commendent ingenium, Observationes tamen et Experimenta, nobis ibi tradita, collaudant diligentiam Auctoris, ejusque de Republica Philosophica bene merendi voluntatem. Vides igitur, me plusculum illi tribuere, quam pietatem, facileque dignoscis eorum animum, qui Benedictam hanc aquam illi adspargunt. Quando verba facis de Tractatu Hugeniano de Motu, innuis, Cartesii Regulas motûs falsas fere omnes esse. Non jam ad manum est libellus, quem antehac edidisti de Cartesii Principiis Geometricæ Demonstratis: non subit animum, num ibi falsitatem istam ostenderis, an vero Cartesium, in aliorum gratiam, κατὰ πόδα fueris secutus. Utinam tandem proprii ingenii fœtum excluderes, et orbi

Philosophico fovendum et educandum committeres! Memini te alicubi indigitasse, multa ex iis, quæ Cartesius ipse captum humanum superare ajebat, quin et multo sublimiora et subtiliora, evidenter posse ab hominibus intelligi et clarissime explicari. Quid hæres, mi Amice, quid metuis? Tenta, aggredere, perfice tanti momenti provinciam, et videbis totum vere Philosophantium Chorum tibi patrocinari. Fidem meam obstringere audeo, quod non facerem, si liberare me eam posse dubitarem. Nullatenus crediderim, in animo tibi esse, quicquam contra Existentiam et Providentiam Dei moliri; et fulcris hifce incoluminibus, firmo talo stat Religio, facileque etiam quævis Contemplationes Philosophicæ vel defenduntur vel excusantur. Rumpe igitur moras, nec scindi tibi penulam patiaris.

Brevi putem te accepturum, quid de Cometis nuperis sit statuendum. Disceptant inter se de factis Observationibus Hevelius Dan-
tiscanus, et Auzoutus Gallus, ambo Viri docti et Mathematici. Dispicitur hoc tempore controversia, et quando judicata lis fuerit, mihi, credo, res tota communicabitur, et a me tibi. Hoc asserere jam possum, omnes, qui quidem mihi cogniti sunt, Astronomos judicare, non unum, sed duos Cometas fuisse, nec in quenquam hætenus incidi, qui ex Hypothesi Cartesiana ipsorum Phænomena conatus fuerit explicare.

Rogo, si quid porro acceperis de studiis et laboribus Domini Hugenii, deque successu pendulorum, ut et de ipsius transmigratione in Galliam, mihi quamprimum significare non graveris. Adjungas ea, rogo, quæ apud Vos forte dicuntur de Tractatu pacis, de Suecici exercitus, in Germaniam transvecti, consiliis, deque Episcopi Monasteriensis progressu. Totam credo Europam sequenti æstate bellis involutum iri, et omnia videntur ad mutationem inusitatam vergere. Serviamus nos summo Numini casta mente, et Philosophiam veram, solidam, et utilem excolamus. Nonnulli ex Philosophis nostris, Regem Oxonium secuti, non raros ibi cœtus agitant, et de promovendis studiis Physicis consulunt. Inter alia in Sonorum naturam inquirere nuper cœperunt. Experimenta, credo, facient, ut explorent, qua proportione augenda sint pondera ad extendendam chordam absque ulla vi alia, ut intendatur eadem ad Notam ejusmodi acutiorem,

quæ facit assignatam consonantiam cum sono priori. De his plura alias. Optime Vale, et vive memor

Tui Studiofissimi

HENR. OLDENBURG.

Londini 12. Octob. 1665.

E P I S T O L A XXXII (OLIM XV).

Nobilissimo ac Doctissimo Viro

HENRICO OLDENBURGIO

B. D. S.

Responso ad præcedentem.

Vir Nobilissime,

Quod me ad Philosophandum tu et Nobilissimus *a)* D. Boylius benigne hortamini, maximas habeo gratias *b)*; ego quidem pro tenuitate mei ingenii, quantum queo *c)*, pergo, non dubitans interim de vestro auxilio et benevolentia. Ubi quæris, quid *d)* sentiam circa quæstionem, quæ in eo versatur, *ut cognoscamus, quomodo unaquæque pars Naturæ cum suo toto conveniat, et qua ratione cum reliquis cohæreat*, puto te rogare rationes, quibus persuademur *e)*, unamquamque Naturæ partem cum suo toto convenire, et cum reliquis cohærerere. Nam *f)* cognoscere, quomodo revera cohæreant, et unaquæque pars cum suo toto conveniat *g)*, id me ignorare dixi in antecedenti mea Epistola; quia ad hoc cognoscendum *h)* requireretur, totam Naturam omnesque ejus partes cognoscere. Conabor *i)* igitur rationem ostendere, quæ me id *k)* affirmare cogit; attamen *l)* prius monere velim, me Naturæ non tribuere pulchritudinem, deformitatem, ordi-

a) Autographon, quod Societatis Regiæ Londinensis est: *clarissimus.*

b) *maximam h. gratiam.*

c) *quantum quantum possum.*

d) *add. ego.*

e) *rationem, cur nobis persuademus.*

f) *add. absolute.*

g) *cohæreant, id me.*

h) *quin ad hoc requir.*

i) *rationem igitur,*

quæ....., quam paucis potero, explicare conabor.

k) *hoc.*

l) *sed.*

nem, neque confusionem. Nam res non, nisi respective ad nostram imaginationem, possunt dici pulchræ aut deformes, ordinatæ aut confusæ.

Per partium igitur cohærentiam nihil aliud intelligo, quam quod leges sive natura unius partis ita sese *a*) accommodant legibus sive *b*) naturæ alterius, ut quam minime sibi contrarientur. Circa totum et partes considero *c*) res eatenus, ut partes alicujus totius *d*), quatenus earum natura invicem *e*) se accommodat, ut *f*), quoad fieri potest, inter se consentiant, quatenus vero *g*) inter se discrepant, eatenus unaquæque *h*) ideam ab aliis *i*) distinctam in nostra Mente format, ac proinde *k*) ut totum, non ut pars *l*), consideratur. Ex. gr. cum motus particularum lymphæ, chyli, etc. invicem pro ratione magnitudinis et figuræ ita se accommodant, ut plane inter se consentiant, unumque *m*) fluidum simul omnes constituent *n*), eatenus tantum chylus, lympa, etc. ut partes sanguinis *o*) considerantur: quatenus vero concipimus, particulas lymphaticas ratione figuræ et motus a particulis chyli discrepare, eatenus eas *p*) ut totum, non *q*) ut partem, consideramus.

Fingamus *r*) jam, si placet, vermiculum in *s*) sanguine vivere, qui visu ad discernendas particulas sanguinis, lymphæ *t*), etc. valeret, et Ratione ad observandum, quomodo unaquæque particula ex alterius occurfu vel resilit, vel partem sui motus *v*) communicat, etc. Ille quidem in hoc sanguine, ut nos in hac parte universi *x*), viveret, et unamquamque sanguinis particulam ut totum, non vero ut partem consideraret, nec scire posset, quomodo partes omnes ab universali natura sanguinis moderantur, et invicem, prout universalis natura sanguinis exigit, se accommodare *y*) coguntur, ut certa ratione inter se consentiant. Nam si fingamus, nullas dari causas extra

a) sc. *b*) omitt. legibus sive. *c*) add. quod. *d*) add. considerantur.
e) natura unius natura alterius ita. *f*) ut omnes. *g*) nam quatenus.
h) add. pars sine reliquis. *i*) omitt. ab aliis. *k*) add. unaquæque
eatenus. *l*) omitt. non ut pars. *m*) omnes unum. *n*) fluidum
consti., et eatenus. *o*) partes hujus fluidi. *p*) eas eatenus. *q*) non vero.
r) Concipiamus. *s*) in hoc fluido, nempe in sang. *t*) particulas
lymphæ, chyli. *v*) add. alteri. *x*) unty. parte. *y*) accommodari.

fanguinem *a*), quæ novos motus fanguini communicarent *b*), nec ullum dari spatium extra fanguinem *c*), nec alia corpora, in quæ particulæ fanguinis suum motum transferre possent, certum est, fanguinem in suo statu semper mansurum, et ejus particulas nullas alias variationes passuras, quam eas, quæ possunt concipi *d*) ex data ratione motûs fanguinis ad lympham, chylum *d*), etc., et sic fanguis semper ut totum, non vero ut pars, considerari deberet. Verum, quia *e*) plurimæ aliæ causæ dantur, quæ leges naturæ fanguinis certo modo moderantur *f*), et vicissim illæ a sanguine, hinc fit, ut alii motus aliæque variationes in sanguine oriantur *g*), quæ consequuntur non a sola ratione motûs *h*) ejus partium ad invicem, sed a ratione motûs *i*) fanguinis et causarum externarum simul ad invicem: hoc modo *k*) fanguis rationem partis, non vero totius habet. De toto et parte modo dixi *l*).

Jam, cum omnia Naturæ corpora eodem modo possint et debeant concipi, ac nos hic fanguinem concepimus: omnia enim corpora ab aliis circumcinguntur, et ab invicem determinantur ad existendum et operandum certâ ac determinatâ ratione, servatâ semper in omnibus simul, hoc est, in toto universo *m*) eadem ratione motûs ad quietem; hinc sequitur, omne corpus, quatenus certo modo modificatum existit, ut partem totius universi considerari debere *n*), cum suo toto convenire, et cum reliquis cohærere; et quoniam natura universi non est, ut natura fanguinis, limitata *o*), sed absolute infinita, ideo *p*) ab hac infinitæ potentiæ natura ejus partes infinitis modis moderantur, et infinitas variationes pati coguntur *p*). Verum *q*) ratione substantiæ unamquamque partem arctiorem unionem cum suo toto habere concipio. Nam *r*) ut antehac in prima mea Epistola, quam Rhenoburgi adhuc habitans tibi scripsi, conatus sum demon-

a) extra s. dari causas. *b*) communicent. *c*) e. s. dari spatium.
d-d) consequi ex sola natura fanguinis, hoc est ex ratione motus lymphæ, chyli.
e) quoniam. *f*) a quibus moderatur. *g*) omitt. oriantur.
h) omitt. motûs. *i*) totius fanguinis. *k*) et hac ratione.
l) omitt. hanc sententiam. *m*) simul eadem. *n*) partem esse tot. un.
o) limitata ut nat. s. *p-p*) ideo ejus partium variationes, quæ ab hac infinita potentia consequi possunt, infinita debent esse. *q*) Porro.
r-a) cum de subst. natura (ut antehac Rh. adh. hab. con. sum demonstr.) fit.

strare, cum de natura substantiæ sit *a*) esse infinitam *b*), sequitur *c*), ad naturam substantiæ corporeæ unamquamque partem *c*) pertinere, nec sine ea *d*) esse aut concipi posse.

e) Vides igitur, qua ratione, et rationem cur, sentiam Corpus humanum partem esse Naturæ *e*): quod autem ad Mentem humanam attinet, eam etiam partem Naturæ *f*) esse censeo; nempe quia statuo, dari etiam *g*) in Natura potentiam infinitam cogitandi, quæ, quatenus infinita, in se continet *h*) totam Naturam objective *i*), et cujus *k*) cogitationes *l*) procedunt eodem modo ac *m*) Natura, ejus nimirum ideatum.

Deinde Mentem humanam hanc eandem potentiam statuo *n*), non quatenus infinitam, et totam Naturam percipientem, sed *o*) finitam, nempe quatenus tantum humanum Corpus percipit *p*), et hac ratione Mentem humanam partem cujusdam infiniti intellectûs statuo *q*).

Verum hæc omnia *r*), et quæ huic rei annexa sunt, hic accurate explicare et demonstrare, res esset nimis prolixa, nec puto te id impræsentiarum *s*) a me expectare. Imo dubito, an mentem tuam fatis perceperim, atque *t*) aliud responderim ac *v*) rogaveris, quod ex te scire desidero.

Quod deinde *x*) scribis, me innuisse Cartesii Regulas motûs falsas fere omnes esse *y*), si recte memini, D. *z*) Hugenium id sentire dixi, *aa*) nec ullam aliam falsam esse affirmavi, quam Regulam sextam Cartesii, circa quam D. Hugenium etiam errare me putare dixi; qua occasione petii, ut mihi communicares *bb*) experimentum, quod secundum eam hypothesin experti estis in vestra Regia Societate *cc*);

r-a) cum de subst. natura (ut antehac Rh. adh. hab. con. sum demonstr.) sit.
b) infinita, hinc. *c-c*) unamq. partem totius subst. corp. ad totam substantiam.
d) sine reliqua substantia. *e-e*) hac igitur de causa corpus hum. partem univ. statuo. *f*) mentem ejus quod attinet partem etiam univ. fi.
g) omitt. etiam. *h*) cont. in se. *i*) obj. tot. Nat. *k*) hujus vero.
l) cog. eodem... procedunt. *m*) ac ipsa. *n*) omitt. statuo.
o) sed quatenus. *p*) add. esse statuo. *q*) concipio esse.
r) omitt. omnia. *s*) in præf. id. *t*) et an. *v*) quam.
x) omitt. quod deinde. *y*) verum si. *z*) omitt. D.
aa) circa tamen reg. Cartesio sextam dixi, et Hugenium et Cartesium errare.
bb) communicare dignaveris. *cc*) sec. eam hyp. ibi factum est.

sed tibi id *a*) non licere judico, quia de hoc *b*) nihil respondes.

Dictus Hugenius totus occupatus fuit, et adhuc est, in expoliendis vitris dioptricis; in quem finem fabricam adornavit *c*), in qua et patinas tornare potest *d*), satis quidem nitidam; quid autem *e*) ea promoverit adhuc nescio *f*), nec *g*), ut verum fateor, *h*) valde scire desidero. Nam me experientia satis docuit, in patinis sphaericis *i*) libera manu tutius et melius *k*) expoliri, quam quavis *l*) machina. De pendulorum fuceffu, et tempore transmirationis *m*) in Galliam nondum aliquid *n*) certi possum scribere *o*).

Episcopus Monasteriensis, postquam male conciliatus Frisiam, ut hircus Æsopi puteum ingressus est, nihil promovit, imo nisi bruma nimis tempeffive incipiat, non nisi cum magno damno Frisiam relinquet. Non dubium est, eum suasibus unius aut alterius proditoris facinus hoc ausum fuisse incipere. Sed hæc omnia nimis antiqua sunt, ut pro novis scribantur; nec spatio unius aut alterius septimanæ aliquid contigit novi, quod scriptione dignum sit. De pace cum Anglis nulla apparet spes; rumor tamen nuper spargebatur, propter conjecturam quandam legati Hollandici in Galliam missi, et etiam, quia Ultra-Islandenses *, qui summis viribus principem Arausionensem introducere conantur, idque, ut multi putant, Hollandis magis ut incommodent, quam ut sibi profint, viam quandam somniaverant, nempe ut dictum principem tanquam mediatorem in Angliam mitterent. Verum res plane aliter se habet. Hollandi de pace in præsentiarum nec per somnium cogitant, nisi res eo forte veniat, ut pacem pecunia emant. De Sueci consiliis adhuc dubitatur; putant plerique eum Mens petere, alii Hollandos. Sed hæc non nisi ex conjectura.

Hanc epistolam præterita septimana scripseram, sed eam mittere non potui, quia aura Hagam proficisci vetabat. Hoc incommodi habet habitare in pago. Nam raro suo tempore epistolam accipio; nam, nisi detur ex accidenti occasio eam mittendi suo tempore, septimana

a) id tibi. *b*) de ea re. *c*) machinam continnavit.
d) omitt. in ... potest. *e*) quantum. *f*) promovit, nondum scio.
g) omitt. nec. *h*) non admodum. *i*) add. vitra. *k*) tut. et
melius libera manu. *l*) add. alla. *m*) transmigrandi. *n*) nihil.
o) scribere possum. * Autogr.: quin ultra Islandenses. Intellige: Transsylvani.

una aut altera transit antequam eam accipiam. Deinde, ut eam suo tempore mittere possim, non raro oritur difficultas. Cum igitur videas, me tibi non tam prompte ac debeo respondere, id non ex eo venire putes, quod tui obliviscar. Interim tempus urget hanc claudere; de reliquis alia occasione; jam nihil aliud dicere possum, quam te rogare ut Nobilissimo D^o. Boylio salutem plurimam ex me dicas, et ut mei memor vivas, qui sum

omni affectu tuus

B. DE SPINOZA.

Voorburgi, 20. novembri 1665.

Cupio scire an omnes astronomi judicant duos fuisse cometas ex eorum motu, an vero ad fervendam hypothesin Keplerianam. Vale.

EPISTOLA XXXIII (OLIM XVI).

Viro Clarissimo

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

Responsio ad præcedentem.

Vir Præstantissime, Amice plurimum colende,

Perplacent, quæ de partium Naturæ cum toto consensu nexuque philosopharis; quanquam non fatis assequar, quomodo possimus ordinem et symmetriam a Natura, ut tu facere videris, profligare; imprimis cum ipse agnoscas, omnia ejus corpora ab aliis ambiri, et ab invicem certa et constanti ratione, tum ad existendum tum ad operandum, determinari, eadem semper in omnibus simul motûs ad quietem ratione servatâ: quæ ipsissima veri ordinis ratio formalis esse videtur. At nec hic forte te fatis capio; non magis quam in eo, quod de Regulis Cartesii antehac scripsêras. Utinam subire laborem velles me edocendi, qua in re tam Cartesium quam Hugenium in regulis motûs errasse judices. Pergratum mihi sane hoc officio defungendo præstitèris, quod quidem pro viribus demereri studerem.

Præfens non fui, quando D. Hugenius Experimenta, Hypothefin fuam comprobantia, hic Londini fecit. Intelligo interim, quendam inter alia pilam unius libræ, penduli in modum suspendiffe, quæ delapfa percufferit aliam, eodem modo fufpenfam, fed libræ dimidiæ, ex angulo quadraginta graduum, et Hugenium prædixiffe, paucula facta Computatione Algebraica, quis foret effectus, et hunc ipfum prædictioni ad amiffim respondiffe. Abest Vir quidam insignis, qui multa talia Experimenta propofuerat, quæ folviffe dicitur Hugenius. Quamprimum dabitur ipfum, qui abest, convenire, uberius et enucleatius forfan hanc rem tibi expofero. Tu interim superiori petito meo ne refrageris, iterum atque iterum rogo; et fi quid præterea de Hugenii fuffectu in poliendis Vitris Telescopicis cognoveris, impertiri quoque ne graveris. Spero, Societatem noftram Regiam, peste jam insigniter per Dei gratiam defæviente, brevi Londinum reverfuram, cœtusque fuos hebdomadicos inftauraturam: quæ ibi tranfigentur fcitu digna, eorum communicationem certo tibi poteris polliceri.

Mentionem antehac feceram de Observatis Anatomicis. Scripfit ad me non ita pridem Dom. Boyleus (qui te perhumaniter falutat), eximios Anatomicos Oxonii fe certum reddidiffe, quod Afperam Arteriam, tum quarundam Ovium, tum Boum, gramine refertam invenerint; et quod ante paucas feptimanas dicti Anatomici invitati fuerint ad videndum Bovem, qui per duos trefve dies collum fere continuo obftipum erectumque tenuerat, et ex morbo, quem poffeffores plane non cognoverint, mortuus fuerit: in quo, diffectis partibus, ad collum et jugulum fpectantibus, ipfi repererint cum admiratione, Afperam ejus arteriam in ipfo trunco penitus gramine refertam fuiiffe, ac fi quis illud vi intro adegiffet. Id quod juftam fufferit inquirendi caufam, tum qua ratione tanta graminis quantitas illuc pervenerit, tum, cum ibi effet, quomodo ejusmodi animal tamdiu fupervivere poterit? Præterea idem Amicus mihi fignificavit, curiofum quendam Medicum, itidem Oxoniensem, Lac in fanguine humano inveniffe. Narrat enim, puellam, fumpto largiori jentaculo hora feptima matutina, fanguinem miffiffe in pede hora ejusdem diei undecima: et primum fanguinem immiffum fuiiffe Scutellæ, eumque, paucis exinde temporis fpatio elapfo, alborem induiffe; poftremum vero fanguinem in vafcu-

lum minus, quod acetabulum, ni fallor, vocant (Anglice *a Sawcer*) influxisse, eumque protinus in placentæ lactææ formam abiisse; interjectis quinque aut sex horis Medicum reversum sanguinem utrumque inspexisse, eumque, qui in Scutella erat, dimidium fuisse sanguinem, dimidium vero chyliformem, qui chylus sanguini, ut serum lacti, innataverit: at eum, qui erat in *acetabulo*, totum fuisse chylum, sine ulla sanguinis specie; cumque utrumque super igne seorsim calefaceret, ambos liquores induruisse; puellam vero bene valuisse, nec sanguinem misisse, nisi quod nunquam passa fuisset menstrua, quamquam colore florido vigeret.

Sed transeo ad Politica. In omnium ore hic est rumor de Israëliitarum, per plusquam bis mille annos disperforum, reditu in Patriam. Pauci id hoc loco credunt, at multi optant. Tu, quid hac de re audias statuasque, amico tuo significabis. Me quod attinet, quamdiu Nova hæc a Viris fide dignis non perscribuntur ex Urbe Constantinopolitana, cui hujus rei maxime omnium interest, fidem iis adhibere non possum. Scire aveo, quid Judæi Amstelædamenses ea de re inaudiverint, et quomodo tanto nuncio afficiantur, qui, verus si fuerit, rerum omnium in Mundo Catastrophen induturus sane videtur.

Quid Suecus nunc moliat, et Brandiburgicus, si potes, explica; et crede me esse

Tui Studiofissimum

HENR. OLDENBURG.

Londini die 8. Decemb. 1665.

P. S. Quid de nuperis Cometis nostri Philosophi statuant, brevi tibi indicabo, Deo volente.

EPISTOLA XXXIV (OLIM XXXIX).

Viro Amplissimo ac Prudentissimo

CHRISTIANO HUGENIO *

B. D. S.

*Verſo **.**Amplissime Vir,*

Demonstrationem Unitatis Dei, hinc nimirum, quod ejus natura necessariam involvit existentiam, quam postulabas, et ego in me recipiebam, ante hoc tempus ob quasdam occupationes mittere non potui. Ut ergo eo deveniam, præsupponam,

* Hugenum vitrorum optidorum studiosissimum cum nostro commercium quoddam habuisse, cum e pagg. 117. et 131. tum ex ipsius epistolis ad fratrem Constantinum juniorem datis apparet. Quarum hos locos ex autographis Lugduni Batavorum exstantibus adjungimus.

(*Paris 3. sept. 1667.*) Je voudrois scavoir quelle grandeur d'ouverture Spinosa et M. Hudde determinent pour les 40. pieds.

(*Ib. 14. oct. 1667.*) Mandez moy je vous prie si vostre petite lentille est assez polie pour n'avoir besoin de la frotter sur le papier avec le Tripoli, car alors la maniere seroit fort bonne. Je me souviens toujours de celles que le Juif de Voorburg avoit dans ses microscopes qui avoient un poli admirable, quoy qu'il ne s'estendit pas par tout le verre.

(*Ib. 4. nov. 1667.*) Le Juif de Voorburg achevoit ses petites lentilles par le moyen de l'instrument et cela les rendoit tres excellentes, je ne scay pourquoy vous n'en faites pas de mesme. S'il continue au travail des grands verres vous me ferez plaisir de m'apprendre comment il y reussit.

(*Ib. 2. dec. 1667.*) Il faut laisser faire nostre Juif avec ses ouvertures, et l'experience le doit refuter bien mieus que la theorie, parce qu'en effect la determination des ouvertures a son premier fondement dans l'experience.

(*Ib. 6. avril 1668.*) Si les objectifs de l'Israelite ne sont pas bons dans ses lunettes de 3. et de 6. pieds, il est bien eloigné encore d'en faire avec ces grandes ouvertures qu'il avoit concertees avec M. Hudde.

(*Ib. 11. mai 1668.*) Il est vray que l'experience confirme ce que dit Spinosa que les petits objectifs au microscope representent plus distinctement les objets que les grands, avec des ouvertures proportionnelles et sans doute la raison s'en peut donner, quoyque le Sr. Spinosa ni moy ne la scachions pas encore.

Constantini vero epistolas his annis ad Christianum datas non invenimus.

** Verſionem epistolarum XXXIV—XXXVI ab ipſo Spinoza factam esse docet Interpres Belgicus ejus vocabula passim afferendo.

I°. Veram uniuscujusque rei definitionem nihil aliud, quam rei definitæ simplicem naturam includere. Et hinc sequitur,

II°. Nullam definitionem aliquam multitudinem, vel certum aliquem individuorum numerum, involvere vel exprimere; quandoquidem nil aliud, quam rei naturam, prout ea in se est, involvit et exprimit. Ex. gr. Definitio trianguli nihil aliud includit, quam simplicem naturam trianguli; at non certum aliquem triangulorum numerum; quemadmodum Mentis definitio, quod ea sit res cogitans, vel Dei definitio, quod is sit Ens perfectum, nihil aliud, quam Mentis et Dei naturam includit, at non certum Mentium vel Deorum numerum.

III°. Uniuscujusque rei existentis causam positivam, per quam existit, necessario dari debere.

IV°. Hanc causam vel in natura, et in ipsius rei definitione (quia scilicet ad ipsius naturam existentia pertinet, vel eam necessario includit) vel extra rem ponendam esse.

Ex his præsuppositis sequitur, quod, si in Natura certus aliquis individuorum numerus existat, una pluresve causæ dari debeant, quæ illum iuste, nec majorem nec minorem, Individuorum numerum producere potuerunt. Si, exempli gratia, in rerum Natura viginti homines existant (quos, omnis confusionis vitandæ causa, simul, ac primos in Natura esse supponam), non satis est, causam humanæ naturæ in genere investigare, ut rationem, cur viginti existant, reddamus; sed etiam ratio investiganda est, cur nec plures, nec pauciores, quam viginti homines existant: Nam (juxta tertiam hypothesin) de quovis homine ratio et causa, cur existat, reddenda est. At hæc causa (juxta secundam et tertiam hypothesin) nequit in ipsius hominis natura contineri: vera enim hominis definitio numerum viginti hominum non involvit. Ideoque (juxta quartam hypothesin), causa existentia horum viginti hominum, et consequenter uniuscujusque sigillatim, extra eos dari debet. Proinde absolute concludendum est, ea omnia, quæ concipiuntur numero multiplicia existere, necessario ab externis causis, non vero propriæ suæ naturæ vi produci. Quoniam vero (secundum hypothesin) necessaria existentia ad Dei Naturam pertinet, ejus vera definitio necessariam quoque

existentiam ut includat, necessum est: et propterea ex vera ejus definitione necessaria ejus existentia concludenda est. At ex vera ejus definitione (ut jam ante ex secunda et tertia hypothesi demonstravi) necessaria multorum Deorum existentia non potest concludi. Sequitur ergo unicus Dei solummodo existentia. Q. E. D.

Hæc, Amplissime Vir, mihi hoc tempore optima visa fuit Methodus ad propositum demonstrandum. Hoc ipsum antehac aliter demonstravi, distinctionem Essentiæ et Existentiæ adhibendo; quia vero ad id, quod mihi indicasti, attendo, hanc tibi libentius mittere volui. Spero tibi faciet fatis, tuumque super ea judicium prætolabor, et interea temporis manebo, etc.

Voorburgl, 7. Januar. 1666.

E P I S T O L A XXXV (OLIM XL).

Viro Amplissimo ac Prudentissimo

C H R I S T I A N O H U G E N I O

B. D. S.

Versio.

Amplissime Vir,

Quod in tua epistola, 10. Febr. ad me data, aliquo modo mihi erat obscurum, in ultima, 30. Martii scripta, optime enucleasti. Quoniam igitur, quæ proprie tua sit sententia, novi, statum Quæstionis talem, qualem eum concipis, ponam: an scilicet non nisi unum sit Ens, quod sua sufficientia vel vi subsistit; quod non tantum affirmo, sed etiam demonstrare in me suscipio, hinc nimirum, quod ejus natura necessariam involvit existentiam; licet hoc ipsum facillime ex Dei intellectu (quemadmodum ego in Propositione II. Demonstrationum mearum Geometricarum in Cartesii Principia præstiti) aut ex aliis Dei attributis demonstrare licet. Rem ergo ut aggrediamur, in antecessum breviter ostendam, quas proprietates Ens, necessariam includens existentiam, habere debet: nimirum

I°. Id esse æternum: si enim determinata duratio ei attribueretur, Ens istud, extra determinatam durationem, ut non existens, vel ut necessarium non involvens existentiam, conciperetur; quod definitioni suæ repugnat.

II°. Id simplex, non vero ex partibus compositum esse. Partes namque componentes natura et cognitione priores sint oportet, quam id, quod compositum est; quod in eo, quod sua natura æternum est, locum non habet.

III°. Id non determinatum, sed solum infinitum posse concipi. Quippe si istius Entis natura determinata esset, et etiam determinata conciperetur, illa natura, extra eos terminos, ut non existens conciperetur; quod cum definitione sua quoque pugnat.

IV°. Id indivisibile esse. Si enim esset divisibile, in partes vel ejusdem, vel diversæ naturæ dividi posset; si hoc, destrui, et ita non existere posset, quod definitioni adversum est. Et si illud, pars quælibet necessariam per se existentiam includeret, et hoc pacto unum sine alio existere, et per consequens concipi, et propterea illa natura ut finita comprehendi posset, quod, per antecedens, definitioni adversatur. Hinc videre est, quod, si ejusmodi Enti aliquam velimus adscribere imperfectionem, statim in contradictionem incidamus. Nam sive imperfectio, quam tali vellemus assignare naturæ, in quodam defectu, aut terminis quibusdam, quos istiusmodi natura possideret, vel in aliqua mutatione, quas * virium defectu a causis externis pati posset, sita esset; eo semper redigemur, eam naturam, quæ necessariam involvit existentiam, non existere, vel haud necessario existere; et idcirco concludo,

V°. Id omne, quod necessariam includit existentiam, nullam in se habere posse imperfectionem, sed meram debere exprimere perfectionem.

VI°. Porro, quoniam non nisi ex perfectione provenire potest, ut aliquod Ens sua sufficientia et vi existat, sequitur, si supponamus, Ens, quod non omnes exprimit perfectiones, sua natura existere, etiam nos debere supponere, illud quoque Ens existere, quod omnes comprehendit in se perfectiones. Si enim minori potentia præditum

* Camerer: *quam*.

sua sufficientia, quanto magis aliud majori potentia præditum existit.

Ut denique ad rem accedamus, affirmo non nisi unicum posse Ens esse, cujus existentia ad suam naturam pertinet, illud nimirum Ens tantum, quod omnes in se habet perfectiones, quodque Deum nominabo. Quippe si aliquod ponatur Ens, ad cujus naturam existentia pertinet, illud Ens nullam in se continere imperfectionem, sed omnem exprimere debet perfectionem (per notam 5.). Et propterea natura illius Entis ad Deum (quem, per notam 6., etiam existere statuere debemus) pertinere debet, quia omnes perfectiones, nullas vero imperfectiones in se habet. Nec extra Deum existere potest: nam, si vel extra Deum existeret, una eademque natura, quæ necessariam involvit existentiam, duplex existeret; quod, juxta antecedentem demonstrationem, est absurdum. Ergo nihil extra Deum, sed solus Deus est, qui necessariam involvit existentiam. Quod erat Demonstrandum.

Hæc sunt, Amplissime Vir, quæ hoc tempore ad hanc rem demonstrandam in medium proferre scio. Optem, ut tibi demonstrare liceat, me esse, etc.

Voorburgi, die 10. Aprilis 1666.

EPISTOLA XXXVI (OLIM XLI).

Viro Amplissimo ac Prudentissimo

CHRISTIANO HUGENIO

B. D. S.

Verfio.

Amplissime Vir,

Ad tuam (in causa fuit impedimentum aliquod) nono decimo Maji datam citius respondere non licuit. Quia vero te tuum super demonstratione mea, tibi missa, suspendere judicium, quantum ad maximam partem, deprehendi (propter obscuritatem, credo, quam in ea reperis), sensum ejus clarius hic explicare conabor,

Primo ergo quatuor proprietates, quas Ens sua sufficientia aut vi existens habere debet, enumeravi. Has quatuor, reliquasque his similes in nota quinta ad unam redigi. Deinde, ut omnia ad demonstrationem necessaria ex solo supposito deducere, in sexta ex data hypothesi Dei existentiam demonstrare conatus sum; et inde denique, nihil amplius, ut notum, nisi simplicem verborum sensum, præsupponendo, quod petebatur, conclusi.

Hoc breviter meum propositum, hic scopus fuit. Jam uniuscujusque membri sensum sigillatim explanabo, ac primum a præmissis ordiar proprietatibus.

In prima nullam invenis difficultatem: nec aliud quid, sicut et secunda, est, quam Axioma. Per simplex enim nihil, nisi quod non est compositum, intelligo, sive ex partibus natura differentibus, aut ex aliis natura convenientibus componatur. Demonstratio certe universalis est.

Sensum tertiæ (quantum ad hoc, quòd, si Ens sit cogitatio, id in cogitatione, si vero sit Extensio, in extensione, non determinatum, sed solummodo indeterminatum concipi potest) optime percepisti; quamvis te conclusionem percipere neges; quæ tamen hoc nititur, quod sit contradictio, aliquid, cujus definitio existentiam includit, aut (quod idem est) existentiam affirmat, sub negatione existentiae concipere. Et, quoniam determinatum nihil positivi, sed tantum privationem existentiae ejusdem naturæ, quæ determinata concipitur, denotat, sequitur, id, cujus definitio existentiam affirmat, non determinatum posse concipi. Ex. gr. si terminus *extensionis* necessariam includit existentiam, æque extensionem sine existentia, ac extensionem sine extensione impossibile erit concipere. Hoc si ita statuatur, determinatam extensionem concipere impossibile quoque erit. Si enim ea determinata conciperetur, propria suâ naturâ esset determinanda, nempe extensione; et hæc extensio, qua determinaretur, deberet sub existentiae negatione concipi; id quod, juxta hypothesin, manifesta est contradictio.

In quarta nihil aliud volui ostendere quam, tale Ens nec in partes ejusdem, nec in partes diversæ naturæ posse dividi, sive eæ, quæ diversæ sunt naturæ, necessariam existentiam, sive minus involvunt.

Si enim, inquebam, posterius hoc locum obtineret, posset destrui, quoniam rem destruere est illam in ejusmodi partes resolvere, ut nulla earum omnium naturam totius exprimat; si vero prius locum haberet, cum tribus jam declaratis pugnaret proprietatibus.

In quinta solummodo præsupposui, perfectionem in τῶ *esse*, et imperfectionem in privatione τῶν *esse* consistere. Dico *privationem*; quamvis enim ex. gr. extensio de se cogitationem neget, nulla tamen hoc ipsum in ea est imperfectio. Hoc vero, si nimirum extensione destitueretur, in ea imperfectionem argueret; ut revera fieret, si esset determinata, similiter si duratione, situ, etc. careret.

Sextam absolute concedis; et tamen dicis, tuam difficultatem (quare scilicet non plura entia, per se existentia, naturam autem differentia, possent esse; quemadmodum cogitatio et extensio diversa sunt, ac forte propria sufficientiam subsistere possunt) totam superesse. Hinc non aliud judicare valeo, quam te eam longe alio, ac ego, sensu capere. Confido me perspicere, quo eam sensu intelligas; ego tamen, ne tempus perdam, meum tantum declarabo sensum. Dico ergo, quantum ad sextam attinet, si ponamus aliquid, quod in suo genere solummodo indeterminatum et perfectum est, sua sufficientia existere, quod etiam existentia entis absolute indeterminati ac perfecti concedenda erit; quod Ens ego Deum nuncupabo. Si ex. gr. statuere volumus, extensionem aut cogitationem (quæ quælibet in suo genere, hoc est, in certo genere entis, perfectæ esse queunt) sua sufficientia existere; etiam existentia Dei, qui absolute perfectus est, hoc est entis absolute indeterminati, erit concedenda. Hic loci, quod modo dixi, notari vellem, quantum vocabulum *imperfectio* spectat; nimirum illud significare rei alicui quicquam deesse, quod tamen ad suam naturam pertinet. Ex. gr. Extensio solummodo respectu durationis, situs, quantitatis imperfecta dici potest; nimirum quia non durat longius, quia suum non retinet situm, vel quia major non evadit; Nunquam vero, quia non cogitat, imperfecta dicitur, quandoquidem ejus natura nihil tale exigit, quæ in extensione sola consistit, hoc est, in certo entis genere: quo respectu tantum determinata aut indeterminata, imperfecta aut perfecta dicenda est. Et, quandoquidem Dei natura in certo entis genere non consistit, sed in Ente, quod

in eadem sunt ratione, in qua est refractione, hoc est (ut hic supponitur) ut 3 ad 2; et si quando tunc tenorem sequimur æquationis, venit pro $NR = \sqrt{(zz - xx)} - \sqrt{(1 - xx)}$. Et si iterum, ut ante, ponimus $x = 0$, erit $NR = 1$, hoc est, æqualis semidiametro. Si vero $x = \frac{1}{2}$, erit $NR = \frac{3}{4} + \frac{1}{4}$. Id quod ostendit, hunc focus alio minorem esse, licet tubus opticus per integram semidiametrum sit minor; adeo ut, si Telescopium æque longum fabricaremus, ac est D I, faciendo semidiametrum = $1\frac{1}{2}$, et B F, eadem manente apertura, focus multo minor sit futurus. Ratio insuper, cur convexo-concava vitra minus placeant, est, quod, præterquam quod duplicem laborem et sumptum exigunt, radii, quandoquidem non omnes ad unum idemque tendunt punctum, nunquam in superficiem concavam perpendiculariter incidant. Verum, quum non dubitem, quin hæc jam olim perpenderit, ac magis accurate ad calculos revocaveris, et denique rem ipsam determinaveris, ideo tuum iudicium consiliumque hac de re exquiro, etc.

[Voorburgi, m. fere Junio 1666.]

EPISTOLA XXXVII (OLIM XLII).

*Doctissimo Expertissimoque Viro **

J. B. [BRESSERO, ut videtur]

B. D. S.

*Doctissime Vir, Amice singularis **,*

Ad ultimas tuas literas, dudum a me acceptas, antehac respondere non potui; ita variis occupationibus et sollicitudinibus impeditus fui, ut vix tandem me expedire potuerim; nolo tamen, quandoquidem animum aliquantisper recipere licet, meo officio deesse, sed tibi quamprimum maximas agere gratias volo pro amore atque officio

* Vetus exemplum MS. imperfectum, quod Amstelodami una cum Spinozæ autographis servatur: *Amico e multis uni Dom. N. N. B. de Spinoza χαίρειν.*

** *Amice charissime et colende.*

erga me tuo, quod sæpius opere, jam vero literis etiam fatis superque testatus es, etc. Transeo ad tuam quæstionem *, quæ sic se habet, nempe ** *an aliqua detur aut dari possit Methodus talis, qua inoffenso pede in præstantissimarum rerum cogitatione sine tædio pergere possimus? an vero, quemadmodum corpora nostra, sic etiam mentes casibus obnoxia sint, et fortuna magis quam arte cogitationes nostræ regantur?* Quibus me satisfacturum puto, si ostendam, quod necessario debeat dari Methodus, qua nostras claras et distinctas perceptiones dirigere et concatenare possumus, et quod intellectus non sit, veluti corpus, casibus obnoxius. Quod quidem ex hoc solo constat, quod una clara et distincta perceptio, aut plures simul, possunt absolute esse causa alterius claræ et distinctæ perceptionis. Imo omnes claræ et distinctæ perceptiones, quas formamus, non possunt oriri nisi ab aliis claris et distinctis perceptionibus, quæ in nobis sunt, nec ullam aliam causam extra nos agnoscunt. Unde sequitur, quas claras et distinctas perceptiones formamus, a sola nostra natura, ejusque certis et fixis legibus, pendere, hoc est ab absoluta nostra potentia, non vero a fortuna, hoc est a causis, quamvis certis etiam et fixis legibus agentibus, nobis tamen ignotis, et a nostra natura et potentia alienis. Quod ad reliquas perceptiones attinet, eas a fortuna quam maxime pendere fateor. Ex his igitur clare apparet, qualis esse debeat vera Methodus, et in quo potissimum consistat, nempe in sola puri intellectus cognitione, ejusque naturæ et legum *.* , quæ ut acquiratur, necesse est ante omnia distinguere inter intellectum et imaginationem, sive inter veras ideas et reliquas, nempe fictas, falsas, dubias, et absolute omnes, quæ a sola memoria dependent. Ad hæc intelligendum, saltem quoad Methodus exigit, non est opus, naturam mentis per primam ejus causam cognoscere, sed sufficit, mentis sive perceptionum historiolum concinnare modo illo, quo Verulamius docet. Et his paucis puto me veram Methodum explicuisse et demonstrasse, simulque Viam ostendisse, qua ad eam perveniamus. Superest tamen te monere, ad hæc omnia assiduum meditationem, et

* *Ad tuam itaque q. transeo.*

** *videlicet.*

. *naturæ legum.*

animum propositumque constantissimum requiri, quæ ut habeantur, apprime necesse est, certum vivendi modum et rationem statuere, et certum aliquem finem præscribere; sed de his impræsentiarum fatis.

Vale et ama, qui te animitus diligit

BENED. DE SPINOSA *.

Voorburgi, 10. Jun. 1666.

EPISTOLA XXXVIII (OLIM XLIII).

Ornatissimo Viro

JOHANNI VANDER MEER **

B. D. S.

Verfio ***.

Ornatissime Vir,

Dum hic solitarius in agro vitam ago, Quæstionem, quam mihi aliquando propofuisti, mecum volvi, eamque simplicem valde deprehendi. Universalis Demonstratio hoc nititur fundamento: quod is justus sit lusor, qui suam lucrandi aut perdendi sortem, seu expectationem, cum adversarii forte æqualem ponit. Hæc æqualitas consistit in forte, et in pecunia, quam adversarii deponunt ac periclitantur; hoc est, si fors utrimque est æqualis, quilibet etiam æquales nummos deponere et periclitari debet: si vero fors sit inæqualis, unus eo plus pecuniæ deponere debet, quo sua fors major est, tuncque expectatio utrimque æqualis, et consequenter lusus æquus erit. Si enim, exempli gratia, A, cum B ludens, duas lucrandi expectationes, et perdendi unicam tantum, et e contra B solum uni-

* Hæc ultima in solo ex. MS. sunt. Cæterum ea verba quorum ordo tantum mutatus est indicare superfedemus.

** Mercatori, quem Amstelodami habitasse e Schulleri verbis in epistola ad Leibnitium data apparere videtur.

*** Ab amico facta.

cam lucrandi expectationem, et duas habet amittendi, clare apparet, quod A tantum pro unaquaque forte debet periclitari, quantum B pro sua periclitatur, hoc est, A debet duplum ipsius B periclitari.

Hoc ut adhuc clarius ostendamus, supponemus, tres, A, B, C, æquali expectatione inter se ludere, et unumquemque æqualem pecuniæ summam deponere: manifestum est, quod, quia quivis æquales nummos deponit, unusquisque etiam non nisi tertiam partem periclitetur, ut duas tertias lucretur, quodque, quia quilibet contra duos ludit, quivis unam tantum lucrandi expectationem, ac duas amittendi habet. Si statuamus, tertium horum, ante lusum inchoatum, nempe C, lusione velle desistere, manifestum est, eum id duntaxat, quod deposuit, hoc est tertiam partem, debere recipere; et B, si expectationem ipsius C velit emere, et illius in locum succedere, tantum debere deponere, quantum C recepit. Huic negotio nequit sese A opponere: etenim ipsi perinde est, an cum una contra duas fortes duorum diverforum lusorum, an cum uno lusore aleam subeat. Hinc, quum hæc ita se habeant, sequitur, quod, si quis manum suam exerat, ut, si alter de duobus numeris unum conjiciat, eumque conjectura assequatur, certam nummorum summam lucretur; vel, si e contrario aberret, æqualem summam perdat; quod, inquam, expectatio utrimque æqualis est, nimirum tam ei, qui manum extendit, ut alter divinet, quam cui divinandi datur potestas. Porro si manum extendat, ut alter prima vice unum ex tribus numeris divinet, et cum dividendo certam pecuniæ summam vincat, vel sin minus, dimidium istius pecuniæ perdat, fors et expectatio utrimque est æqualis; similiter expectatio quoque æqualis est, si is, qui manum exerit, alii bis conjiciendi copiam dat, ut si conjecturâ assequatur, certam summam sibi habeat, vel, si hallucinetur, duplo mulctetur. Sors et expectatio æqualis quoque est, si ipsi concedit, ut de quatuor numeris ter conjecturam faciat ad quandam summam lucrandum, vel econtra perdendum ter, si errorem committat; vel quater ex quinque numeris, quo unum lucretur, aut quatuor perdat, et sic deinceps. Unde sequitur, ei, qui dextram extendit, perinde esse, ut aliquis pro se toties, quoties vult, ex multis unum divinet numerum, si modo pro illis vicibus, quas conjicere suscipit, tantum ponit et periclitatur,

quantum numerus vicium per numerorum summam divisus facit. Si, verbi causa, 5 sint numeri, et cuidam semel tantum est divinandum, is $\frac{1}{5}$ contra $\frac{4}{5}$ alterius solum; si bis conjecturam faciet, tum $\frac{2}{5}$ contra $\frac{3}{5}$ alterius; si ter, $\frac{3}{5}$ contra $\frac{2}{5}$ alterius, et sic porro $\frac{4}{5}$ contra $\frac{1}{5}$, et $\frac{5}{5}$ contra $\frac{0}{5}$ periclitari debet. Et per consequens perinde ei est, qui veniam conjiciendi alicui largitur, si, exempli loco, $\frac{1}{2}$ depositi duntaxat periclitetur, ut $\frac{1}{2}$ lucretur, an unus solus quinquies, vel an quinque homines singuli semel divinent, ut tua vult Quæstio.

[Voorburgi,] 1. Octob. 1666.

Ex editione Belgica ipsa auctoris verba, etſi ab amicis nonnihil expolita, addimus:

Myn Heer,

Terwijl ik my hier in enigheit op't lant bevind, heb ik mijn gedachten op dit geschil geveſt, 't welk gy my voorgestelt hebt, en heb het zelfde zeer eenvoudig bevonden. Het algemeen bewijs daar af steunt hier op, dat dit een oprecht speelder is, die zijn kans van te winnen, of van te verliezen tegen zijn tegenſtrever gelijk stelt. Deze kans beſtaat in't lot, en in't gelt, 't welk de tegenſtrevers inleggen en wagen: dat is, indien het lot aan wederzijden gelijk is, zo moet ook yder even veel gelt inleggen en wagen: maar indien het lot ongelijk is, zo moet deen zo veel meer gelt inleggen en byzetten, als zijn lot groter is; en daar mee zal de kans aan wederzijden gelijk, en by gevolg het spel rechtvaerdig wezen. Want indien, tot een voorbeeld, A, tegen B spelende, twee loten om te winnen, en twee om te verliezen heeft, zo blijkt klarelyk dat A voor yder lot zo veel moet wagen, als B voor het zijne: dat is, A moet het dubbelt van B wagen. Om dit noch klarelyker te tonen, zullen wy stellen dat drie, A, B, C, met gelijke kans te samen spelen, en dat yder even veel gelt inlegt. Het blijkt dat, dewyl yder even veel gelt inlegt, yder ook niet meer dan een derde deel waagt, om twee derde deelen te winnen, en dat, dewyl yder tegen twee speelt, yder ook niet meer dan een lot, om daar mee te winnen, tegen twee, om daar aan te verliezen heeft. Indien

stelt dat een van deze drie, te weten C, uitscheid, eer men heeft begonnen te spelen, zo blijkt dat hy alleenlijk het geen, 't welk hy ingelegt heeft, dat is een derde deel, naar zich behoeft te nemen: en dat B, zo hy de kans van C wil kopen, en zijn plaats bekleden, zo veel zal moeten inleggen, als C weér naar zich neemt: daar A niet tegen zal komen; dewyl 't hem niet verschilt, of hy met een kans tegen twee kanssen van twee verscheide menschen, of van een mensch alleen moet aangaan. Indien men dit vaststelt, zo volgt hier uit, dat, als iemand zijn hant uitsteekt, om aan een ander een van twee getallen te laten raden, en, indien hy 't raad, zekere somme gelts te winnen, of, indien hy 't niet raad, gelijke somme te verliezen; dat, zeg ik, de kans aan weérzijden gelijk is, te weten zo wel voor de geen, die raden laat, als voor de geen, die raden moet. Wijders, indien hy zijn hant uitsteekt, om een ander met d'eerste maal een van drie getallen te laten raden, op dat de zelfde, het getal radende, zekere somme gelts zou winnen, of, indien hy 't niet raad, de helft daar af verliezen, zo zal de kans van wederzijden gelijk wezen: gelijk de kans van weérzijden ook gelijk is, indien de geen, die zijn hant uitsteekt, aan d'ander twee malen te raden geeft, om, indien de zelfde het raad, zekere somme gelts te winnen, of, indien hy 't niet raad, het dubbelt te verliezen.

De kans is ook gelijk, indien hy hem een van vier getallen in drie malen laat raden, om zekere somme te winnen, of in tegendeel drie-maal zo veel te verliezen; of in vier malen een van vijf getallen, om een te winnen, of vier te verliezen, enz. Uit dit alles volgt dat het voor de geen, die zijn hant uitsteekt, en raden laat, even veel is dat een ander zo veel malen, als hy begeert, naar een veelvoudig getal raad, als hy slechts voor die malen, die hy aanneemt te raden, ook zo veel tegen d'ander inlegt en waagt, als het getal van de malen, door de somme van de getallen gedeelt, bedraagt. Tot een voorbeeld, indien de getallen vijf zijn, en iemand niet meer dan eenmaal moet raden, zo moet hy slechts een $\frac{1}{5}$ tegen het $\frac{4}{5}$ van d'ander wagen: indien hy twee malen zal raden, zo moet hy het $\frac{2}{5}$ tegen het $\frac{3}{5}$ van d'ander wagen: indien drie malen, het $\frac{3}{5}$ tegen het $\frac{2}{5}$ van d'ander, en zo voort $\frac{4}{5}$ tegen $\frac{1}{5}$ en $\frac{5}{5}$ tegen $\frac{0}{5}$. En by gevolg zal het voor de geen, die raden laat, indien hy, tot een voorbeeld, niet meer dan $\frac{1}{5}$ van 't ingelegde waagt,

om te winnen, even veel zijn of een alleen vijf malen raad, of dat vijf menschen yder eens raden; gelijk uw geschild meebrengt.

1. Octob. 1666.

EPISTOLA XXXIX (OLIM XLIV).

Viro Humanissimo atque Prudentissimo

JARIGH JELLES


B. D. S.

Versio *.

Humanissime Vir,

Varia obstacula in causa fuerunt, quo minus ad tuas non citius responderim. Quod de Dioptrica Cartesii notasti, vidi et legi. Non aliam is causam, qua imagines in oculi fundo majores minoresve formantur, quam radiorum decussationem considerat, qui ex diversis objecti punctis veniunt, prout nimirum fese, vel propius vel remotius ab oculo, decussare incipiunt; ita ut ad anguli magnitudinem, quam hi radii efficiunt, quando se invicem in oculi superficie decussant, non attendat. Et licet ultima hæc causa sit præcipua, quæ in Telescopiis notanda est, videtur tamen, hanc eum silentio præterire voluisse; quandoquidem, ut conjicio, nullum illi perspectum erat medium eos radios, ex diversis punctis parallele prodeuntes, in totidem aliis punctis congregandi, et eam ob causam istum angulum non potuit Mathematicè determinare: forte reticuit, ne usquam circulum aliis figuris, ab se introductis, præferret. Non enim dubium est, quin hac in re cunctas alias figuras, quas invenire licet, circulus superet: Nam quia circulus idem ubique est, eisdem ubique proprie-

* Ipsius Spinozæ,



tates habet. Si, exempli causa, **circulus** **A B C D** hanc possideat proprietatem, ut radii omnes, axi **A B** paralleli, a parte **A** venientes, ad eum modum in ejus superficie refringantur, ut postea omnes simul in puncto **B** coeant; omnes quoque radii, axi **C D** paralleli, a parte **C** venientes, ita in superficie refringentur, ut simul in puncto **D** convenient; id quod de nulla alia figura affirmare licet, licet Hyperbolæ ac Ellipses infinitas habent diametros. Ita ergo, ut scribis, se res habet; si nihil nisi oculi vel Telescopii longitudo attenditur, longissimos Tubos opticos cogere fabricare, antequam Res, quæ in Luna, tam distinctas, quam quæ in Terra sunt, possemus intueri. Sed, ut dixi, præcipuum in anguli magnitudine consistit, quem radii, ex variis punctis exeuntes, in oculi superficie, quum ibi invicem decussant, efficiunt; hicque angulus major quoque aut minor evadit, prout vitrorum in tubo collocatorum foci magis minusve differunt. Si animus hujus rei demonstrationem videre gestit, eam transmittere, quando placuerit, paratus sum.

Voorburgi, 3. Martii, 1667.

EPISTOLA XL (OLIM XLV).

Viro Humanissimo atque Prudentissimo

JARIGII JELLES

B. D. S.

Verfio *.

Humanissime Vir,

Postrema tua, hujus mensis 14. die scripta, recte mihi tradita fuit; ob varia vero impedimenta citius respondere non licuit. Con-

* Prima verba, quibus de Helvetii experimento agitur, ab amico, reliqua, inde a vocibus *Scriptor libelli*, ab ipso Spinoza Latine versa sunt.

veni Dominum Voffium * de Helvetii negotio **, qui (ne omnia in hac Epistola, quæ collocuti sumus, narrem) effuse ridebat, quin mirabatur, quod ego de his nugis ex illo quærerem. Ego tamen hoc flocci faciens, ipsum aurificem, cujus cognomen est Brechtelt, qui aurum probaverat, adibam: hic vero alium longe fermonem habuit, quam Dom. Voffius, affirmans auri inter liquefendum et separandum pondus auctum esse, et tanto gravius esse redditum, quantum argenti pondus, quod separationis gratia crucibulo injecerat, valebat; adeo ut firmiter crederet, hoc aurum, quod suum argentum in aurum transmutarat, aliquid singulare in se continere. Nec ille solus, sed diversi quoque alii Domini, tum temporis præsentis, hoc ita sese habere experti sunt. Post hæc ipsum adii Helvetium, qui mihi et aurum et crucibulum, interius etiam tum auro obductum, ostendebat, narrabatque, se vix quartam grani hordeacei ** vel sinapis partem plumbo liquefacto injecisse. Addebat, se totius negotii historiam brevi editurum, et porro referebat, quendam virum (quem eundem illum, qui se convenerat, rebatur) eandem operationem Amstelodami fecisse, de quo procul dubio audivisti. Hæc de hac re potui resciscere.

Scriptor libelli, cujus mentionem facis (in quo gloriatur, se demonstraturum esse, Cartesii rationes in tertia ac quarta Meditatione prolatas, quibus Dei existentiam demonstrat, falsas esse) certo cum sua pugnabit umbra, magisque sibi quam aliis nocebit. Cartesii, fateor, axioma aliquo modo est obscurum, uti et tu notasti, atque

* Isaacum Voffium, qui annis 1654—1670 Hagis Comitum habitare solebat.

** Jo. Fr. Helvetius, Anhaltinus, Principis Arausiaci archiater, narrationem de Elia alchemista, quocum d. 27 m. Dec. 1666. primum locutus erat, literis mandavit in opusculo c. t. Vitulus aureus quem mundus adorat et orat, in quo tractatur de rarissimo naturæ miraculo transmutandi metalla, etc. Amstelod. 1667. Repetitus est libellus in Jo. Jac. Mangeti Biblioth. Chymica curiosa, Genev. 1702, t. I. p. 196—210. E Christiani Huguenii epistola ad fratrem Ludovicum (Paris, 11 febr. 1667), quæ Lugduni Batavorum servatur, hæc addere libet: Je vous remercie de l'histoire de la pierre philosophale sans pourtant y ajouter une foy entiere, par ce que je cognois ce petit docteur, et scay qu'il n'est pas authour fort authentique. — Cæterum anno 1687, idem Helvetius libellum edidit contra Cartesii, Cocceji, et Spinozæ affectas.

** Imo *miliacei* (*geers*, hodie *gierst*, quod male pro *gerst*, i. e. hordeo, habuerunt).

clarius veriusque ita dixisset: *Quod Cogitandi potentia ad cogitandum non major est, quam Naturæ potentia ad existendum et operandum.* Clarum hoc verumque est axioma, unde Dei existentia clarissime et efficacissime ex sua idea sequitur. Argumentum memorati Auctoris, quod recenset, clare satis ostendit, se rem necdum intelligere. Est quidem verum, nos in infinitum, si hoc pacto Quæstio in omnibus suis partibus solvitur, posse procedere; alioquin magna est stultitia. Si, exempli loco, aliquis interroget, per quam causam ejusmodi determinatum corpus moveatur? respondere licet, id ab alio corpore, hocque rursus ab alio, et ita in infinitum progrediendo, ad talem motum esse determinatum; hoc, inquam, respondere liberum est, quia duntaxat de motu Quæstio est, et nos, aliud corpus continuo ponentes, sufficientem æternamque istius motus causam assignamus. Sed si ego Librum sublimibus meditationibus repletum, nitideque scriptum, in manibus plebei cujusdam conspiciam, et ipsum rogem, unde eum habeat librum, sique mihi, se eum ex alio libro alterius plebei, qui quoque nitide scribere noverat, descripsisse, et sic in infinitum procedat, is mihi non facit satis: nam non tantum de figuris ac ordine litterarum interrogo, de quibus tantum respondet, verum etiam de meditationibus, et sensu, quem earundem compositio indicat; nihil ad hæc in infinitum sic progrediens respondet. Quomodo hoc ideis applicari queat, facile ex eo, quod ego in Cartesii Principiorum Philosophiæ Geometricæ a me demonstratorum axiomate nono declaravi, percipi potest.


Pergo jam, ut ad secundam tuam epistolam, nono Martii exaratam, respondeam; in qua ulteriorem ejus, quod in præcedenti mea de circulari figura scripseram, explicationem exigis. Poteris id facile capere, si modo animadvertere placet, omnes radios, qui supponuntur paralleli in anterieus Telescopii vitrum incidere, revera non esse parallelos (quia solummodo ex uno eodemque puncto veniunt), verum ut tales considerari, eo quod objectum adeo longe a nobis distat, ut Telescopii apertura instar puncti, respectu distantiae, tantum sit habenda. Certum porro est, nos, ut integrum intueamur objectum, non modo radiis ex unico solo puncto, verum aliis quoque omnibus radiorum conis ex aliis omnibus punctis prodeuntibus opus habere;

et propterea etiam esse necessarium, ut in tot aliis focus, ubi per vitrum transeunt, conveniant. Et, quamvis ipse oculus non ita accurate constitutus est, ut omnes radii, ex diversis objecti punctis venientes, accuratissime in tot aliis in oculi fundo coeant, est tamen certum, eas figuras, quæ hoc præstare possunt, aliis omnibus esse præferendas. Quandoquidem vero definitum circuli segmentum efficere valet, ut omnes radios, qui ex uno procedunt puncto, in aliud suæ diametri punctum (mechanice loquendo) cogat; alios quoque omnes, qui ex aliis objecti punctis veniunt, in tot alia puncta coget. Duci

etenim ex quovis objecti puncto linea potest, quæ per circuli centrum transit, licet eum in finem Telescopii apertura minor multo sit facienda, quam alias fieret, si tantum unico foco esset opus, quemadmodum facile videre poteris.

Quod hic de Circulo dico, non de Ellipsi, non de Hyperbola, multo minus de aliis magis compositis affirmari figuris potest, quia non nisi unicam ex unico solo objecti puncto, quæ per utrumque transit focum, lineam ducere possibile est. Hæc volui in prima mea Epistola hac de re indicare.

Demonstrationem, quod angulus, quem radii, ex diversis punctis emanantes, in oculi superficie faciunt, major aut minor, prout foci magis minusve differunt, evadit, ex apposita figura perspicere poteris: adeo ut post officiosissimam salutem nil restet, nisi ut dicam me esse, etc.



Epistolæ exordium ex edit. Belgica repetitum.

Waarde Vrient,

Ik heb uw leste brief van de veertiende dezes lopende maants wet ontfangen, doch om verscheide verhinderingen niet eerder konnen antwoorden.

Wat de zaak van Helvecius aangaat, ik heb daar af met de Heer Vossius gesproken, die (om niet alles in een brief te verhalen, dat wy met malkander gesproken hebben) daar grotelijks meê lachte, ja zich verwondert toonde van dat ik hem naar zo een beuzeling vraagde. Ik ging echter, zonder dit aan te zien, naar de Silversmit, Brechtelt genoemd, die het gout geproeft had. Maar deze, heel anders dan Vossius sprekende, zeide dat het gout in't smelten en scheiden toegenomen had, en zo veel zwaarder was geworden, als het gewicht van 't zilver, dat hy tot scheiding in de smeltkroes gedaan had, bedroeg: in voegen dat hy vastelyk geloofde dat dit gout, 't welk zyn zilver in gout veranderde, iets ongemeen in zich had. Hy niet alleen heeft het dus bevonden, maar ook verscheide andere Heren, die toen daar tegenwoordig waren. Ik ging daar na by Helvecius zelf, die het gout, en de smeltkroes, de welk van binnen noch vergult was, aan my toonde, en tot my zeide dat hy niet meer, dan schaars de grootheid van een vierendeel van een korreltje van geers, of mostertzaat in 't gesmolte loot had geworpen. Hy voegde 'r by, dat hy binnen korte tijt het verhaal van de gehele zaak zou uitgeeven, en zeide voorts dat 't Amsterdam een man (en hy meende dat dit de zelfde was, die by hem geweest had) de zelfde werking had gedaan; daar af gy zonder twijffel gehooft zult hebben. Dit is 't al, dat ik van deze zaak heb konnen vernemen

EPISTOLA XLI (OLIM XLVI).

Viro Humanissimo atque Prudentissimo

JARIGH JELLES


B. D. S.

Versio *.

Humanissime Vir,

Hic paucis, quid de eo, quod primo coram, deinde literis a me petiisti, experientiâ deprehenderim, narrabo; cui, quid nunc de re sentiam, adjiciam.


Curavi, ut mihi fabricaretur tubus ligneus, cujus longitudo 10 pedum, cavitas vero $1\frac{2}{3}$ digitorum erat, ad quem tres perpendiculares tubos applicui, uti apposita figura demonstrat.



Ut primo experirer, num aquæ pressio circa tubulum B æque magna ac circa E esset, tubum M circa A asserculo, in eum finem parato, obturavi. Porro ipsius B orificium tantopere arêtabam, ut tubulum vitreum instar C caperet. Postquam ergo tubum ope Vasis F aquâ implevissem, notabam in quantam ea altitudinem per tubulum C profiliret. Deinde tubum B occludebam, et, sublato asserculo A, aqua ut in tubum E flueret finebam, quem eodem modo ac B aptaveram; et postquam integrum tubum iterum aqua replevissem,


* In Vers. Belg. Latina verba non afferuntur. Quod utrum ideo omissum sit, quod Spinozæ autographon Hollandicum haberent, an propter epistolæ argumentum factis perspicuum, non liquet.

deprehendebam eam in eandem altitudinem per D, ac per C factum fuerat, proflire: quod mihi, tubi longitudinem nihil vel valde parum impedimento fuisse, persuadebat. Ut vero hoc accuratius experirer, tentabam, an etiam tubus E, tam brevi temporis spatio, æque ac B, pedem cubicum, ad id paratum, posset adimplere. Ut vero tempus



menfurarem, quia horologium oscillatorium ad manum non erat, vitreo recurvo tubo, ut H, usus sum, cujus pars brevior aquæ immergebatur, longior vero in libero pendebat aëre. Hisce paratis, sinebam aquam primo per tubum B æquali cum eodem tubo radio fluere, usque dum pes cubicus impleretur. Tum accuratâ bilance, quantum aquæ interea temporis in catillum L influxerat, explorabam, ac pondus ejus quatuor unciam deprehendebam. Tubo deinde B occluso, aquam æquali cum eo radio per tubum E in cubicum pedem fluere sinebam. Hoc impleto, ponderabam, ut ante, aquam, quæ interea in catillum influxerat, hujusque illius pondus ne per semiunciam quidem superare expertus sum. Quoniam vero radii, tam ex B quam ex E, non continuo eadem vi fluxerant, operationem iterabam, ac tantum aquæ, quantum experientiâ primâ vice opus fuisse experti eramus, præsto ut esset, apportabam. Eramus tres, adeo ac quidem possibile erat, occupati, atque memoratam operationem accuratius quam antea efficiebamus; verum non adeo accurate, ac quidem exoptaveram. Mihi tamen satis suppeditabatur argumenti ad hanc rem aliquo modo determinandum; quandoquidem eandem fere differentiam hac secunda vice, ac prima, comperiebam. Re ergo, hisque experimentis perpensis, cogor concludere, differentiam, quam tubi longitudo potest efficere, initio tantum locum habere, hoc est, quum aqua fluxum suum inchoat: sed, ubi per tempus exiguum fluxum continuavit, æquali vi per tubum longissimum, ac per brevem fluxurum. Hujus rei ratio est, quod altioris aquæ pressio eandem semper retinet vim, quodque omnem, quem communicat, motum continuo ope gravitatis recipit; et ideo hunc motum continuo aquæ in tubo contentæ communicabit, usque dum, propulsa, tantam recipit celeritatem, quantam vim gravitatis aqua altior ei tribuere potest.

Certum enim est, si aqua, tubo G contenta, primo momento aquæ, in tubo M, unum conferat celeritatis gradum, secundo momento, siquidem priorem retineat vim, ut supponitur, quatuor celeritatis



gradus eidem aquæ communicabit; et sic deinceps, usque dum aqua in tubo longiore M tantum exacte virium accipit, quantum vis gravitatis altioris aquæ, in tubo G conclusæ, ei communicare valet: adeo ut aqua, per tubum quadraginta mille pedes longum decurrens, post exactum temporis exiguum spatium, altioris aquæ solummodo pressione, tantam acquisitura sit celeritatem, quantam eadem acquireret, si tubus M unum duntaxat æquaret pedem. Tempus, quod aqua in longiore tubo requirit ad tantam accipiendam celeritatem, determinare potuissem, si perfectiora nancisci potuissem instrumenta. Id tamen minus necessarium existimo, eo quod præcipuum sufficienter determinatum est, etc.

Voorburgi, 5 Septemb. 1669.

E P I S T O L A XLII (OLIM XLVIII).

Doctissimo atque Ornatissimo Viro

JOHANNI OOSTEN *

LAMBERTUS DE VELTHUYSEN, M. D.

Doctissime Vir,

Nactus tandem aliquod vacuum tempus, illico applicui animum ad satisfaciendum votis atque postulatis tuis. Pofcis autem, ut declarem

* Chirurgo Roterodamenfi.

tibi sententiam meam, adornans iudicium meum de libro, qui inscribitur *discursus Theologo-Politicus*, quod nunc pro copia temporis et mea facultate facere constitui. Non autem ibo per singula, sed per compendium, auctoris sensum, animumque ejus de religione exponam *.

Cujus gentis ille sit, aut quod vitæ institutum sequatur, me fugit, etiam nihil interest id scire. Illum non esse stupidi ingenii, nec supine et perfunctorie religionis controversias, quæ in Europa inter Christianos agitantur, tractasse atque introspexisse, libri ipsius argumentum satis prodit. Sibi persuasit hujus libri scriptor, se feliciter versaturum in examinandis sententiis, per quas homines prorumpunt in factiones et eunt in partes, si præjudicia deponat et exuat. Hinc plus satis laboravit ad vindicandum animum ab omni superstitione, a qua ut se immunem præberet, nimium se flexit in contrarium, et, ut superstitionis culpam vitaret, omnem mihi videtur exuisse religionem. Saltem non assurgit supra religionem Deistarum, quorum satis ubique magnus numerus (ut sunt pessimi hujus seculi mores) est, et præsertim in Gallia: contra quos edidit *Tractatum Merfennus*, quem olim me legere memini. Sed existimo vix ullum ex Deistarum numero tam malo animo, tamque callide et versute, pro pessima illa causa verba fecisse, quam hujus dissertationis auctorem. Præterea, nisi me conjectura fallat, iste homo se Deistarum finibus non includit, et minores cultus partes hominibus superesse finit.

Deum agnoscit, eumque Universi opificem atque conditorem esse profitetur. Sed formam, speciem, ordinem mundi plane necessarium statuit, æque ac Dei naturam, et æternas veritates, quas extra Dei arbitrium constitutas esse vult; ideo etiam diserte pronunciat, omnia indomitâ necessitate fatoque inevitabili evenire. Et statuit, res recte putantibus, præceptis atque mandatis nullum relinqui; locum sed hominum ignorantiam invexisse simul hujusmodi nomina, quemadmodum vulgi imperitia locum fecit modis loquendi, quibus Deo affectus tribuuntur. Deus itaque pariter ad captum hominis sese accommodat,

* In *Velthufii Ultrajectini Operum* (Roterod. 1680) p. II, pp. 1363—1570. legitur *Tractatus de Cultu Naturali, et Origine Moralitatis, oppositus Tractatui Theologico-Politico et Operi Posthumo B. d. S.*

quando illas æternas veritates, et reliqua, quæ necessario evenire debent, per formam mandati hominibus exponit. Docetque, tam necesse esse, ea, quæ legibus imperantur et hominum voluntati substracta esse putantur, evenire, quam necessaria est trianguli natura, atque ideo illa, quæ præceptis continentur, non magis ab hominis voluntate pendere, aut ex eorum fugâ aut prosecutione aliquid boni aut mali hominibus procurari, quam precibus Dei voluntatem flecti, aut æterna atque absoluta ejus decreta mutari. Præceptorum itaque atque decretorum eandem rationem esse, atque in hoc convenire, quod hominis imperitia atque ignorantia Deum moverit, ut eorum usus aliquis esset apud eos, qui perfectiores de Deo cogitationes formare non possunt, quique hujusmodi miseris præfidiis indigent ad excitandum in se virtutis studium et vitiorum odium; et ideo videre licet, auctorem nullam mentionem in suo scripto facere usus precum, quemadmodum nec vitæ nec mortis, neque cujusquam remunerationis aut pœnæ, quibus a iudice univèrsi affiendi sunt homines.

Idque facit congruenter suis principiis; nam quis locus esse potest iudicio extremo, aut quæ expectatio præmii aut pœnæ, quando fato omnia adscribuntur, et inevitabili necessitate omnia a Deo emanare statuitur, vel potius, quando totum hoc univèrsum Deum esse statuit? Nam vereor ne noster auctor non admodum alienus sit ab illa sententia; saltem non longe discrepant, statuere, omnia necessario a Dei natura emanare, et, Univèrsum ipsum Deum esse.

Ponit tamen summam voluptatem hominis in cultu virtutis, quæ ipsa sibi præmium et theatrum ampliffimorum esse dicit: et ideo vult hominem recte rerum intelligentem debere virtuti operam dare, non propter præcepta et legem Dei, aut spem præmii, aut pœnæ metum, sed pulchritudine virtutis, et mentis gaudio, quod homo in usu virtutis percipit, illectum.

Statuit itaque, Deum per Prophetas et revelationem homines præmiorum spe et poenarum metu, quæ duo semper legibus connexa sunt, per speciem tantum ad virtutem hortari, quia vulgarium hominum ingenium ita factum est, tamque male informatum, ut non nisi argumentis, a natura legum et a metu pœnæ et spe præmii mutuatis, ad virtutis exercitationem impelli possint: at homines rem

ex vero æstimantes intelligere, hujusmodi argumentis nullam veritatem aut vim subesse.

Neque quicquam referre putat, quamvis recte hoc axiomate conficiatur, Vates et Doctores sacros, atque adeo Deum ipsum, per quorum os Deus hominibus est loquutus, usos esse argumentis per se, si eorum naturam æstimatur, falsis: palam enim et promiscue, quando usus venit, profitetur et inculcat, Sacram Scripturam non esse comparatam, ut veritatem et naturas rerum, quarum in ea fit mentio, et quas in suum usum confert ad informandos homines ad virtutem, doceat; negatque Vates ita rerum peritos fuisse, ut omnino a Vulgi erroribus fuerint immunes in conficiendis argumentis, et in rationibus excogitandis, quibus homines ad virtutem excitabant, quamvis natura virtutum et vitiorum moralium iis fuerit exploratissima.

Et ideo Auctor præterea docet, Prophetas etiam tunc, cum eos, ad quos mittebantur, officii sui admonebant, aberratione iudicii non fuisse liberos, nec tamen ideo eorum sanctitatem et *αὐτοπιστίαν* imminutam; quamvis sermonem et argumentis non veris, sed ad præconceptas opiniones eorum, ad quos verba faciebant, accommodatis utebantur, iisque homines ad virtutes, de quibus nullus unquam ambigit, et de quibus nulla est controversia inter homines, excitabant. Quandoquidem finis missionis Prophetæ erat cultus virtutis in hominibus promovendus, non ullius veritatis doctrina. Et ideo existimat, illum errorem et ignorantiam Prophetæ auditoribus, quos ad virtutem inflammabat, non fuisse noxiam, quia parum interesse putat, quibus argumentis excitemur ad virtutem, modo ea moralem virtutem, ad quam incendendam comparata sunt et a Vate in medium prolata, non evertant: quia aliarum rerum veritas, mente percepta, nullum momentum habere putat ad pietatem, quando morum sanctitas re ipsa non continetur ea veritate, putatque veritatis, atque etiam mysteriorum, cognitionem eo plus aut minus necessariam esse, quanto plus aut minus ad pietatem conferunt.

Puto, auctorem respicere ad axioma illud Theologorum, qui distinguunt inter sermonem Vatis dogmatizantis, et simpliciter aliquid enarrantis, quæ distinctio, ni fallor, apud omnes Theologos recepta est, et cui doctrinæ suam per errorem summum congruere putat.

Et ideo existimat, omnes eos pedibus in suam sententiam ituros, qui negant, Rationem et Philosophiam esse Scripturæ interpretem. Cum enim constet omnibus, in Scripturâ infinita de Deo prædicari, quæ Deo non conveniunt, sed accommodata sunt ad hominum captum, ut homines iis moveantur, et virtutis studium in iis excitetur, statuendum esse putat, Doctorem Sacrum iis argumentis, non veris, voluisse homines erudire ad virtutem, aut cuivis, Sacram Scripturam legenti, eam libertatem concessam, ut ex principiis suæ Rationis judicet de sensu et scopo Doctoris Sacri; quam sententiam Auctor prorsus damnat et explodit una cum iis, qui cum Theologo Paradoxo docent, Rationem Scripturæ interpretem esse. Arbitratur enim, Scripturam juxta sensum literalem intelligendum, neque hominibus concedendum libertatem interpretandi ex suo arbitrio et Rationis sensu, quid prophetarum verbis intelligi debeat, ita ut ad suas rationes et cognitionem, quam de rebus sibi compararunt, examinent, quando Prophetæ proprie, et quando figurate sunt loquuti. Sed de his in sequentibus dicendi locus erit.

Et ut redeam ad ea, a quibus nonnihil diverteram, Auctor inhærens suis principiis, de fatali omnium rerum necessitate *, negat ulla miracula fieri, quæ legibus Naturæ adversentur: quia statuit, sicut supra monuimus, naturas rerum earumque ordinem non minus necessarium quid esse, quam sunt natura Dei æternæque veritates: ideoque docet, æque non posse fieri, ut aliquid a Naturæ legibus deslectat, quam ut fieri non possit, ut in triangulo tres anguli non sint æquales duobus rectis.

Deum non posse efficere, ut pondus minus grave attollat magis grave, aut quod corpus motum duobus gradibus motûs possit assequi corpus, quod quatuor gradibus motûs movetur. Statuit itaque miracula communibus Naturæ legibus subjici, quas docet esse immutabiles æque ac ipsas naturas rerum, nempe quia Naturæ legibus ipsæ naturæ contineantur: neque admittit aliam Dei potentiam, quam

* Verf. Belg. hæc addit: Aanteekening van B. d. S. op deze plaats: *Hy zegt dit l'onrecht: want ik heb uitdrukkelijk getoont dat de wonderdaden geen kennis van God geven; maar dat de zelfde veel beter uit de vaste ordening der natuur word gehaalt.*

ordinariam, quæ juxta Naturæ leges exeritur, et putat aliam fingi non posse, quia naturas rerum destrueret, secumque ipsa pugnaret.

Est itaque, ex Auctoris mente, miraculum, quod inopinato, et cujus causam vulgus ignorat, evenit; quemadmodum idem vulgus precum viribus et singulari Dei directioni attribuit, quando post rite conceptas preces, imminens aliquod malum propulfatum aut expetitur bonum sibi videtur obtinuisse, cum tamen, ex Auctoris sententia, Deus jam ab æterno absolute decreverit, ut ea evenirent, quæ vulgus interventu et efficacia existimat evenisse: cum preces non sint causa decreti, sed decretum sit causa precum.

Totum illud de fato, et rerum indomita necessitate, tam quoad naturas quam quoad eventum rerum, quæ quotidie contingunt, fundat in natura Dei; vel, ut clarius loquar, in natura Dei voluntatis atque intellectus, quæ quidem nomine diversa, sed in Deo re ipsa conveniunt. Statuit ideoque, Deum tam necessario hoc universum, et quicquid successive in eo evenit, voluisse, quam necessario hoc idem universum cognoscit. Si Deus autem necessario cognoscit hoc universum ejusque leges, ut et veritates æternas iis legibus contentas, concludit, Deum aliud universum non magis condere potuisse, quam naturas rerum evertere, et facere, ut bis ter sint septem. Quemadmodum itaque nos ab hoc universo, ejusque legibus, secundum quas ortus et interitus rerum fiunt, non possumus aliquid diversum concipere, sed quicquid hujusmodi a nobis fingi possit, id ipsum se subvertere; Sic docet, naturam divini intellectus, totiusque universi, earumque legum, secundum quas Natura procedit, ita comparatam esse, ut Deus non magis suo intellectu ulla res intelligere potuerit ab his, quæ nunc sunt, diversas, quam fieri possit, ut res nunc a seipsis sint diversæ. Conficit itaque, quod, quemadmodum Deus nunc ea efficere non potest, quæ ipsa se subvertunt, ita Deum naturas ab his, quæ nunc sunt, diversas nec fingere nec cognoscere posse, quia tam earum naturarum comprehensio et intellectio impossibilis est (quia repugnantia ponit ex sensu Auctoris), quam nunc est impossibilis productio rerum ab iis, quæ nunc sunt, diversarum: quia omnes illæ naturæ, si concipiuntur ab his, quæ nunc sunt, diversæ, necessario etiam cum iis, quæ nunc sunt, essent pugnantibus:

quia, cum naturæ rerum hoc universo comprehensarum (ex Auctoris sententia) sunt necessariæ, non possunt illam necessitatem habere ex se, sed ex natura Dei, a qua necessario emanant. Non vult enim cum Cartesio, cujus tamen doctrinam videri vult adoptasse, omnium rerum naturas, quemadmodum a Dei natura et essentia sunt diversæ, ita earum ideas libere in mente divina esse.

Hicse, de quibus jam est habitus sermo, Auctor sibi munivit viam ad ea, quæ in fine libri tradit, et quo omnia, quæ in præcedentibus capitibus docentur, collimant. Vult nempe mentem Magistratus, omniumque hominum, informare hoc axiomate: Magistratui competere jus constituendi cultus divini, qui publice in Reipublica obtinere debeat. Deinde Magistratui fas esse, civibus suis permittere, ut de religione sentiant et loquantur, quemadmodum mens animusque iis dicat, eamque libertatem, etiam quantum ad actus cultûs externi, eo usque subditis concedendam, quoad * studium virtutum moralium, ùve ut pietas facta tecta manere possit. Cum ** enim de iis virtutibus nulla controversia esse possit, et reliquarum rerum cognitio et usus nullam virtutem moralem contineant, inde conficit, Deo ingratum esse non posse qualiacunque sacra alioquin homines amplectantur. Loquitur autem Auctor de iis sacris, quæ virtutem moralem non constituunt, nec in eam impingunt, quæque virtuti nec adversa sunt, neque ab ea aliena, sed quæ homines suscipiunt atque profitentur, tanquam adminicula virtutum verarum, ut ita Deo per studium earum virtutum accepti et grati esse possint, quia Deus non offenditur earum studio et exercitatione; quæ indifferentes cum sunt, neque quidquam faciunt ad virtutes aut vitia, eas tamen homines ad usum pietatis referunt, iisque tanquam prædiis ad virtutis cultum utuntur.

Auctor autem, ut hominum animos apparet ad hæc paradoxa amplectenda, statuit primo, totum cultum a Deo institutum, et Judæis, hoc est civibus Reipublicæ Israëliticæ, traditum, tantum ad id comparatum esse, ut feliciter in sua Republica ætatem agerent, cæterum

* Verf. Belg. — Ed. Pr.: *concedendam. Quoad.*

** Verf. Belg. — Ed. Pr.: *possit, cum.*

Judæos autem præ cæteris gentibus Deo charos et gratos non fuisse; idque Deum per Prophetas Judæis passim fuisse testatum, quando iis exprobrabat ipforum imperitiam et errorem, quod in cultu illo instituto et a Deo ipsis imperato sanctimoniam et pietatem collocarent, cum ea tantum ponenda erat in studio virtutum moralium, nempe in amore Dei et Charitate proximi.

Et cum Deus omnium gentium animum informarit principiis et quasi feminibus virtutum, ita ut sua sponte sine ulla ferme institutione de discrimine boni et mali judicent, inde conficit, Deum reliquas gentes non habuisse expertes earum rerum, quibus vera beatitudo parari potest, sed se omnibus hominibus æque beneficum præbuisse.

Imo, ut in omnibus, quæ ad assequendam veram felicitatem aliqua ratione præsidio et ufui esse possunt, gentes Judæis pares faciat, statuit, gentes veris vatibus non caruisse, idque exemplis probare instituit. Imo insinuat, Deum per angelos bonos, quos, ex consuetudine in V. Testamento usitata, Deos vocat, imperio rexisse reliquas gentes. Et ideo sacra reliquarum gentium Deo non displicuisse, quamdiu per hominum superstitionem ita non corrumperentur, ut a vera sanctitate homines redderent alienos, neque eos impellerent ad ea perpetranda in religione, quæ virtuti non congruunt. Deum autem vetuisse Judæis propter rationes singulares, et isti populo proprias, gentium Deos colere, qui ex Dei instituto et procuracione æque recte colebantur a Gentibus, ac Angeli, Judæorum Reipublicæ custodes constituti, a Judæis suo modo Deorum numero habebantur, et divinis ab iis afficiebantur honoribus.

• Et cum Auctor arbitretur in confesso esse, cultum externum per se Deo gratum non esse, parum referre existimat, quibus cæremoniis cultus ille externus expediatur, modo hujusmodi sit, qui ita Deo congruat, ut in mente hominum Dei reverentiam excitet, eosque ad virtutis studium moveat.

Deinde, quandoquidem totius religionis summam contineri putat cultu virtutis, omnisque mysteriorum cognitio supervacua, quæ per se apta nata non est ad promovendam virtutem, illaque potior magisque necessaria habeatur, quæ plus momenti ad homines ad virtu-

tem erudiendos et inflammandos confert; conficit, omnes illas sententias de Deo, ejusque cultu, deque iis omnibus, quæ ad religionem pertinent, probandas, aut saltem non rejiciendas, quæ ex mente hominum illorum, qui illas fovent, veræ sunt, et comparatæ, ut probitas vigeat floreatque. Et ad illud dogma stabiliendum, ipsos Prophetas citat suæ sententiæ auctores et testes, qui, edocti Deum nihili pendere, quales homines de religione sensus habeant, sed illum cultum illasque omnes sententias Deo gratas esse, quæ ex studio virtutum et reverentia Numinis profectæ sunt, sibi eo usque indulserunt, ut etiam talia argumenta, quibus homines ad virtutem incitarentur, protulerint, quæ quidem in se vera non erant, sed ex opinione eorum, ad quos verba faciebant, talia æstimabantur, et apta nata erant ad calcar iis addendum, quo alacrius se ad virtutis studium accingerent. Ponit itaque, Deum Prophetis argumentorum selectu permisisse, ut ea adhererent, quæ temporibus et personarum rationibus essent accommodata, quæque illi pro suo captu bona et efficacia putabant.

Et inde natum putat, quod Divinorum Doctorem alii aliis argumentis et sæpe pugnantis inter se usi sint, Paulum docuisse, hominem non justificari operibus, Jacobum hisce oppositum incaluisse. Videbat nempe Jacobus, ita existimat Auctor, Christianos doctrinam de justificatione per fidem aliorum rapere, et ideo, per fidem et opera justificari hominem, multis probat. Intelligebat enim, ex re Christianorum sui temporis non esse, illam doctrinam de fide, qua homines placide quiescebant in Dei misericordia, et bonorum operum nullam ferme habebant curam, ita inculcare, eoque modo proponere, ut fecerat Paulus, cui cum Judæis res erat, qui per errorem justificationem suam ponebant in operibus legis, a Mose ipsis specialiter traditæ, et qua se supra gentes elatos, et aditum ad beatitudinem sibi solum paratum putantes, salutis rationem per fidem, qua exequabantur gentibus, et nudi ac vacui ab omnibus privilegiis constituebantur, rejiciebant. Cum itaque utraque propositio, tam Pauli quam Jacobi, pro diversis temporum ac personarum momentis et appendicibus egregie conferebat, ut homines attenderent animum ad pietatem, putat Auctor prudentiæ Apostolicæ fuisse, modo hanc modo illam adhibere.

Et hæc est, inter alias multas, causa, quamobrem Auctor putat, admodum a veritate alienum esse, sacrum textum per Rationem velle explicare, eamque interpretem Scripturæ constituere, aut unum Doctorem Sacrum per alium interpretari, cum sint paræ auctoritatis, et verba eorum, quibus usi sunt, explicanda sint ex forma loquendi et sermonis proprietate istis Doctõribus familiari; non autem esse attendendum, in investigatione veri sensus Scripturæ, ad rei naturam, sed ad sensum litteralem tantum.

Cum itaque ipse Christus, et reliqui Doctores divinitus missi, suo exemplo et instituto, præierunt et ostenderunt, solummodo virtutum studio homines grassari ad felicitatem, reliqua nihil pensi habenda, inde Auctor efficere vult, Magistratui id tantum curæ esse debere, ut iustitia et probitas in Republica vigeat, in minima autem parte sui muneris ponere, expendere, quis cultus et quæ doctrinæ veritati potissimum congruant; sed curare debere, ne hujusmodi suscipiantur, quæ virtuti obicem ponant, etiam ex eorum sententia, qui ea profitentur.

Magistratum itaque facile sine offensione Numinis posse in sua Republica tolerare diversa sacra. Ut autem id * persuadeat, etiam hac via insistit. Ponit, rationem virtutum moralium, quatenus illi in Societatibus usum habent, et in actibus externis occupatæ sunt, hujusmodi esse, ut nemo eas ex privato iudicio et arbitrio exercere debeat, sed earum virtutum cultum, exercitium, et modificationem dependere ab auctoritate et imperio Magistratus; tum quia actus externi virtutum mutuantur suam naturam a circumstantiis, cum etiam, quia hominis officium ad hujusmodi actiones externas patrandas æstimatur ex commodo aut incommodo, quod ex illis actibus proficitur; ita ut actus illi externi, si tempestive non exerantur, virtutum naturam exuant, et illis oppositi virtutum numero censeri debeant. Auctor aliam rationem virtutum esse arbitratur, ut, quatenus intus in Mente subsistunt, illæ semper naturam suam servant, neque a circumstantiarum mutabili statu pendent.

Nunquam alicui licet propensum esse ad crudelitatem et sævitiam, non amantem proximi et veritatis. Sed possunt incidere tempora,

* Ed. pr.: *is*.

quibus quidem animi propositum, et enarratarum virtutum studium, non quidem deponere liceat, sed se ab iis, quoad actus externos, aut temperare, aut etiam ea agere, quæ, quoad speciem externam, cum his virtutibus pugnare putantur; et ita fiat, ut non sit amplius officium viri probi, veritatem in aperto ponere, et ore aut scripto cives illius veritatis participes facere, eamque cum iis communicare, si plus incommodi quam commodi ex illa manifestatione in cives redundaturum putamus. Et, quamvis singuli omnes homines amore complecti debeant, neque unquam liceat illi affectui nuncium mittere, evenit tamen sæpius, ut quidam duriter a nobis sine vicio possint haberi, quando constat, ex clementia, qua erga eos uti paramus, magnum malum nobis oriturum. Ita quidem omnes existimant, non omnes veritates, sive illæ ad religionem, sive ad vitam civilem pertinent, omni tempore opportune proponi. Et qui docet, rosas porcis non esse objiciendas, si metus est, eos sævituros in eos, qui ipsis eas porrigunt, is pariter non existimat, viri boni officium esse de quibusdam capitibus religionis plebem edocere, de quibus in medium prolatis, et sparſis in plebem, metus est, ne ita turbent Rempublicam aut Ecclesiam, ut inde civibus et sanctis plus noxa quam boni creëtur.

Cum autem præter alia, etiam hoc Societates Civiles, a quibus imperium et auctoritas ferendarum legum sejungi non potest, introduxerint, quod singulorum arbitrio, quid hominibus in civile corpus coalescentibus usui esset, permitti non debuit, sed imperantibus concedi; inde Actor arguit, penes Magistratum jus esse statuendi, qualia et quæ dogmata in Republica publice doceri debeant, et subditorum officium esse, ad professionem externam quod attinet, sese temperare a docendis dogmatibus, et ab iis profitendis, de quibus publice silendum esse Magistratûs legibus sanxit; quia Deus hoc non magis privatorum iudicio permisit, quam iisdem concessit, contra sensus et decreta Magistratus aut sententiam iudicum ea agere, quibus eluditur vis legum, et frustrantur suo fine Magistratus. Existimat enim Auctor de huiusmodi rebus, cultum externum ejusque professionem spectantibus, homines pacisci posse, et actus cultûs Divini externos tam tuto committi Magistratûs iudicio, quam eidem con-

ceditur jus et potestas æstimandi injuriam civitati illatam, eandemque per vim vindicandi. Nam, quemadmodum privatus non tenetur suum iudicium de illata injuria civitati accommodare ad iudicium Magistratûs, sed suo sensu frui tamen possit, quamvis (si res ita ferat) teneatur ad Magistratûs sententiam executioni mandandam etiam operam suam conferre; ita Auctor arbitratur, privatorum in Republica partes quidem esse, judicare de veritate et falsitate, ut et de necessitate alicujus dogmatis, neque privatum legibus civitatis adstringi posse, ut idem de religione sentiat; quamvis ex iudicio Magistratûs pendeat, quæ dogmata publice proponi debeant, et privatorum officium sit, sensus suos de religione a Magistratûs sententia dissentientes silentio premere, neque quicquam hujusmodi agere, quo leges de cultu a Magistratu constitutæ vim suam obtinere non possint.

At, quia evenire potest, ut Magistratus, dissentiens a multis ex plebe in religionis capitibus, quædam publice doceri velit, quæ a iudicio plebis aliena sunt, et Magistratus tamen existimat honoris divini interesse, palam in sua Republica talium dogmatum professionem fieri; vidit Auctor, superesse illam difficultatem, qua civibus, propter iudicium Magistratûs diversum a plebis iudicio, creati posset damnum maximum. Ideo ad præcedentem rationem etiam hanc alteram addit Auctor, quæ simul et Magistratûs atque subditorum animum tranquillet, et libertatem in religione fartam tectam conservet. Nempe Magistratum non debere vereri Dei iram, quamvis prava suo iudicio sacra in sua Republica fieri sinat, modo illa non pugnent cum virtutibus moralibus, easque non evertant. Cujus sententiæ ratio te fugere non potest, cum in superioribus fatis fuisse eam tradidi. Nempe statuit Auctor, Deum fuisse deque habere, nec cura tangi, quales opiniones homines in religione foveant, et animo probent atque tueantur, et qualia publice sacra curent, cum hæc omnia censerī debeant ex numero rerum cum virtute et vitio nullam affinitatem habentium; quamvis cujusvis officium sit ita rationes suas instituere, ut ea dogmata eumque cultum habeat, quibus putat se maximos in virtutis studio progressus facere posse.

Habes hic, Vir Ornatissime, per compendium tibi traditam sum-

mam doctrinæ Theologi-politici, quæ meo iudicio omnem cultum et religionem tollit atque funditus subvertit, clam Atheismum introducit, aut talem Deum fingit, cujus Numinis reverentiâ non est quod homines tangantur, quia ipse fato subjicitur, neque ullus gubernationi aut providentiæ divinæ locus relinquitur, omnisque pœnarum atque præmiorum distributio tollitur. Hoc faltem ex Auctoris scripto videre in promptu est, ejus ratione et argumentis infringi totius Sacræ Scripturæ auctoritatem, et dicis causa apud Auctorem ejus tantum mentionem fieri; quemadmodum ex ejus positionibus consequitur, Alcoranum etiam Dei Verbo exæquandum. Neque Auctori superest vel unum argumentum, quo probet, Mahometem non fuisse Prophetam verum, quia Turcæ etiam ex Prophetæ sui præscripto virtutes morales, de quibus inter gentes lis non est, colunt; et secundum Auctoris doctrinam Deo infrequens non est, etiam gentes *, quibus oracula, Judæis et Christianis tradita, non est impartitus, aliis revelationibus in gyrum Rationis et obedientiæ ducere.

Arbitror itaque me non magnopere a vero aberrasse, neque Auctori a me injuriam fieri, si denunciem eum tectis et fucatis argumentis merum Atheismum docere.

Ultrajeçti, 24. Januar. 1671. S. V. **

EPISTOLA XLIII (OLIM XLIX).

Doctissimo atque Ornatissimo Viro

J O H A N N I O O S T E N

B. D. S.

*Doctissime Vir **,*

Miraris sine dubio, quod te tamdiu expectare feci; sed ego vix animum inducere possum, ut ad libellum illius Viri, quem mihi communicare voluisti, respondeam, nec ulla alia de causa jam hoc facio,

* Ed. Pr.: *gentibus*.

** Verf. Belg.

, Autographon, quod Amstelodami apud Teleiobaptistas servatur: *Amice*.

quam quia promisi. Verum, ut meo etiam animo, quoad ejus fieri potest, morem geram, quam paucis potero, me dissolvam, et breviter ostendam, quam ille sinistre meam mentem interpretatus sit, quod an malitia vel ex ignorantia fecerit, haud facile dixerim *. Sed ad rem.

Primo ait, *parum interesse scire cujus gentis ego sim, aut quod vita institutum sequar.* Quod sane si novisset, non tam facile sibi persuasisset, me Atheismum docere. Solent enim Athei honores et divitias supra modum quærere, quas ego semper contempsi, ut omnes, qui me norunt, sciunt. Deinde, ut ad id, quod vult, viam sterneret, ait, me non stupidi ingenii esse, ut facilius scilicet persuadere possit, me callide et verfute, maloque animo pro pessima Deistarum causa verba fecisse. Quod satis ostendit, illum meas rationes non intellexisse. Nam quis tam callido ingenio tamque astuto esse potest, ut simulato animo tot tamque validas rationes pro re, quam falsam æstimat, dare possit? quem, inquam, posthac putabit ex vero animo scripsisse, si tam ficta quam vera solide demonstrari posse credit? Sed nec hoc jam miror. Sic enim olim Cartesius a Voetio, et sic passim optimi quique traducuntur.

Pergit deinde. *Ut superstitiosi culpam vitaret, omnem mihi videtur exuisse religionem.* Quid ille per Religionem, quidque per superstitionem intelligat, nescio. An, quæso, ille omnem religionem exuit, qui Deum summum bonum agnoscendum statuit, eundemque libero animo, ut talem, amandum **? et quod in hoc solo nostra summa felicitas summaque libertas consistit? porro quod præmium virtutis sit ipsa virtus, stultitiæ autem et impotentiae supplicium sit ipsa stultitia? et denique quod unusquisque proximum suum amare debet, et mandatis summæ potestatis obedire? Atque hæc non tantum expresse dixi, sed firmissimis insuper rationibus demonstravi. Verum videre puto, quo in luto hic homo hæreat. Nihil scilicet in ipsa virtute et intellectu reperit, quod ipsum delectet, et mallet ex im-

* In Autogr. hæc verba deleta sunt: *tam enim versuti quam superstitiosi ignorantes malum animum habere solent; quidquid sit ejus me maledicta nihil moyent, quia novi, qua ratione istud hominum genus assuetum sit, viros ingeniosos tractare. Ut igitur, quod ostendere volo, breviter absolvam, pauca tantum ex multis quæ dixit notabo; tu reliqua corrigo.*

** amare.

pulſu fuorum affectuum vivere, niſi hoc unum obſtaret, quod pœnam timet. A malis igitur actionibus, ut ſervus, invitus et fluctuante animo abſtinet, et divina mandata exequitur, et pro hoc ſervitio muneribus, ipſo divino amore longe ſuavioribus, a Deo honorari * exſpectat ſcilicet, et eo magis, quo magis bonum, quod agit, adverſatur, et invitus facit; atque hinc fit, ut omnes, qui hoc metu non retinentur, effrenatos vivere, omnemque religionem exuere, credat. Sed hæc mitto, et ad ejus deductionem, qua oſtendere vult, me tectis et fucatis argumentis Atheiſmum docere, tranſeo.

Fundamentum ipſius ratiocinii eſt hoc, quod putat, me Dei libertatem tollere, eumque fato ſubjicere. Quod ſane falſum eſt. Nam ego eodem modo ſtatui, omnia inevitabili neceſſitate ex Dei natura ſequi **, ac omnes ſtatuant, ex Dei natura ſequi, quod † ſe ipſum intelligit: quod ſane nemo negat ex divina natura neceſſario ſequi, et tamen nemo concipit, quod Deus fato aliquo coactus, ſed quod omnino libere, tametſi neceſſario, ſeipſum intelligat. †† Atque hic nihil reperio, quod ab unoquoque non poſſit percipi; et ſi hæc nihilominus ex malo animo dicta eſſe credit, quid ergo de ſuo Carteſio ſentit, qui ſtatuit, nihil a nobis fieri, quod a Deo antea non fuerit præordinatum, imo nos ſingulis momentis a Deo quaſi de novo creati, et nihilominus nos ex noſtri arbitrii libertate agere; quod proſecto, ipſo Carteſio fatente, comprehendere nemo poteſt.

Porro hæc inevitabilis rerum neceſſitas neque leges divinas neque humanas tollit. Nam documenta moralia, ſive formam legis ab ipſo Deo accipiant ſive non, divina tamen ſunt et ſalutaria, et ſi bonum, quod ex virtute et amore divino ſequitur, a Deo tanquam judice accipiamus, vel quod ex neceſſitate divinæ naturæ emanet, non propterea magis aut minus optabile erit; ut nec contra mala, quæ ex malis operibus ſequuntur, ideo, quia neceſſario ex iisdem ſequun-

* onerari. ** add. hæc deinceps delenda: ſicuti ex natura trianguli, quod ejus tres angulos (ſic) ſunt æquales duobus reſtis, et. † quod Deus.

†† Deleta ſunt hæc verba: Sed hæc captum iſtius viri ſuperare videntur, et cum ſuo Carteſio concepiffe credo, quod libertas non conſiſtit in indiſſerentia, ſed nos tum maxime liberos eſſe, cum rebus clare et diſtincte perceptis aſſentimus, tametſi impoſſibile eſt, iisdem non aſſentire, quando eas ita percipimus.

tur, minus sunt timenda; et denique five ea, quæ agimus, necessario vel libere agamus, spe tamen aut metu ducimur. Quare falso asserit, *me statuere, præceptis atque mandatis nullum relinqui locum*, vel ut postea pergit, *quod nulla expectatio præmii aut pænæ est, quando fato omnia adscribuntur, et inevitabili necessitate omnia a Deo emanare statuitur.*

Nec hic jam quæro, cur idem sit, vel non multum discrepent *, statuere, omnia necessario a Dei natura emanare, et, Universum ** Deum esse; sed velim ut notes ea, quæ non minus odiose subjungit. Nempe *me velle, hominem debere virtuti operam dare, non propter præcepta et legem Dei, aut spem præmii aut pænæ metum, sed, etc.* Quod sane in meo Tractatu nullibi reperies: sed contra Cap. 4. expresse dixi, Legis divinæ (quæ Menti nostræ divinitus inscripta est, ut Cap. 12. dixi) summam, ejusque summum præceptum esse, Deum ut summum bonum amare; nempe non ex metu alicujus supplicii (nam amor ex metu oriri nequit), nec præ amore alterius rei, qua delectari cupimus (nam tum non tam ipsum Deum, quam id, quod cupimus, amaremus); atque, hanc ipsam legem Deum Prophetis revelasse, in eodem Capite ostendi. Et five istam legem Dei juris formam ab ipso Deo accepisse statuam, five quod ipsam concipiam ut reliqua Dei decreta, quæ æternam necessitatem et veritatem involvunt, manebit nihilominus Dei decretum et salutare documentum; et five Deum amem libere, five ex necessitate Dei decreti, Deum tamen amabo, et salvus ero. Quare affirmare hic jam possem, istum hominem ex illorum genere esse, de quibus in fine meæ Præfationis dixi, me malle **, ut meum librum profus negligenter, quam eundem perverse, ut omnia solent, interpretando molesti sint, et, dum sibi nihil profunt, aliis obfint.

Et quamvis hæc sufficere putem ad id, quod volebam, ostendendum, pauca adhuc tamen notare operæ pretium duxi; nempe ipsum falso putare, me ad Axioma illud Theologorum respicere, qui distinguunt inter sermonem Vatis dogmatizantis, et simpliciter aliquid narrantis. Nam si per hoc Axioma illud intelligit, quod Cap. 15.

* Sic et Autogr.

** universum ipsum.

*** quod mallet.

cujusdam R. Jehudæ Alpakhar esse dixi; qua ratione putare potui, meum eidem congruere, cum ipsum in eodem Capite tanquam falsum rejecerim? Si autem aliud putat, fateor me illud adhuc ignorare, adeoque ad id minime respicere potui.

Porro non etiam video, cur dicit, me existimare, omnes eos pedibus in meam sententiam ituros, qui negant, Rationem et Philosophiam esse Scripturæ interpretem, cum ego tam horum quam Maïmonidæ sententiam refutaverim.

Longum nimis foret omnia ejus recensere, quibus ostendit, se non omnino sedato animo judicium de me fecisse. Quare ad ejus conclusionem transeo; ubi ait, *mihî nullum superesse argumentum, quo probem, Mahometum non fuisse Prophetam verum.* Quod quidem ipse ex meis sententiis conatur ostendere; cum tamen ex iisdem clare sequatur, eundem impostorem fuisse: quandoquidem libertatem illam, quam Religio Catholica, lumine naturali et Prophetico revelata, concedit, quamque omnino concedi debere ostendi, ipse prorsus adimit. Et quamvis hoc non esset, an, quæso, teneor ego ostendere, Prophetam aliquem falsum esse? Prophetæ sane contra tenebantur ostendere, se veros esse. Quod si regerat, Mahometum legem etiam divinam docuisse, suæque legationis certa signa dedisse, ut reliqui Prophetæ fecerunt, nihil causæ profecto erit, cur neget, eundem verum fuisse Prophetam.

Quod autem ad ipsos Turcas et reliquas Gentes attinet, si Deum cultu justitiæ et charitate erga proximum adorent, eisdem Spiritum Christi habere credo, et salvos esse, quicquid de Mahometo et oralis ex ignorantia persuasum habeant.

En vides, amice, virum istum longe a vero aberrasse, et nihilominus concedo, ipsum nullam mihi, sed maxime sibi injuriam facere, quando pronunciare non erubescit, me testis et fucatis argumentis Atheismum docere.

Cæterum non puto, te hic aliquid reperturum, quod in hunc Virum inclementius dictum judicare possis. Attamen si quid simile offendas, id quæso vel ut deleas, vel prout tibi videbitur, corrigas*. Animus**

* *corrige.*

** *Animus enim.*

non est eum, quisquis tandem sit, irritare, et labore meo mihi inimicos parare; et, quia hoc sæpe similibus disputationibus fit, ideo vix a me impetrare potui, ut responderem, nec impetrare potuissent, nisi promississem. Vale, et tuæ prudentiæ hanc epistolam committo, meque, qui sum, etc.

EPISTOLA XLIV (OLIM XLVII).

Viro Humanissimo ac Prudentissimo

JARIGH JELLES

B. D. S.

Verſio *.

Humanissime Vir,

Quum me nuper Profeffor N. N. inviferet, narrabat mihi inter alia, ſe auდიsse, Tractatum meum Theologico-Policum in linguam Belgicam translatum eſſe, ac quendam, cujus nomen ignorabat, in eo eſſe, ut imprimeretur. Quamobrem ſerio abs te peto, ut in hoc negotium ſedulo inquiras, et, ſi fieri poteſt, impreſſionem impediās. Non ſolum hæc mea, ſed et multorum meorum Amicorum notorumque eſt petitio, qui hujus Libri interdictum non libenter viderent, quemadmodum procul dubio fiet, ſi Belgico ſermone prodit. Non dubito, quin hoc mihi et cauſæ ſis officium facturus.

Quidam Amicorum ante aliquod tempus libellum, cui titulus *Homo Politicus*, mihi miſit, de quo multa auribus hauſeram. Eundem evolvi, librumque, quem homines excogitare et fingere queunt, pernicioſiſſimum deprehendi. Auſtoris ſummum bonum ſunt Honores et Opes, ad quæ ſuam Doctrinam accommodat, ac eo perveniendi Rationem monſtrat; nempe, interne omnem rejiciendo Religionem, et externe talem profitendo, quæ ſuæ promotioni maxime infervit; Porro nemini fidem ſervare, niſi quatenus ea utilitatem ſuam habeat.

* Ab amico quodam facta.

Reliquum quod spectat, simulare, promittere et promissis non stare, mentiri, perjurare, multaque alia summis effert laudibus. Hæc ubi perlegissem, mecum, ut contra hunc auctorem libellum indirecte conscriberem, cogitabam, in quo Summum Bonum tractarem, deinde inquietam ac miseram eorum, qui Honorum et Divitiarum cupidi sunt, conditionem ostenderem, et denique evidentissimis rationibus multisque exemplis, Respublicas insatiabili Honorum et Divitiarum cupiditate debere interire, et interiisse, evincerem.

Verum, quanto meliores et præstantiores Thaletis Milesii essent meditationes, quam hujus memorati Scriptoris, vel ex hoc patet ratiocinio. Omnia, inquiebat, amicorum sunt communia; Sapientes sunt Deorum amici, et Deorum sunt omnia, Ergo Sapientum sunt omnia. Ita uno verbo Vir ille sapientissimus se fecit ditissimum, magis contemnendo generose divitias, quam eas fordide quærendo. Alias tamen ostendit, Sapientes non ex necessitate, sed voluntate divitiis carere. Quum enim amici ei paupertatem suam exprobrarent, respondit, Vultisne, ut ostendam, me posse acquirere id, quod ego labore meo indignum judico, vos autem tanta diligentia quæritis? Illis annuentibus, conduxit omnia præla totius Græciæ (viderat enim, ut erat Astrologus insignis, fore magnam olivarum abundantiam, quarum annis præcedentibus magna fuerat penuria), et elocavit, quanti voluit, ea, quæ villissimo pretio conduxerat, atque magnas divitias unico anno sibi comparavit, quas deinde tam liberaliter distribuit, quam industrie* acquisiverat, etc.

Hagæ Comitum 17. Feb. 1671.

Spinozæ verba, etsi aliquantulum dolata, ex Ed. Belgica repetimus.

Waarde Vrient,

De Professor my onlangs bezoekende, zeide, onder andere dingen, dat hy gehoort had, dat mijn Tractatus Theologico-politicus in de Nederlantsche taal vertaalt was, en dat iemand, zonder te weten wie, voorgenomen had de zelfde te doen drukken. Ik verzoek

* Ed. Pr.: *industria*.

dieshalven zeer ernstiglijk van u dat gy hier naar belieft te vernemen, om, indien het mogelijk is, het drukken daar af te beletten. Dit is niet alleenlijk mijn verzoek, maar ook dat van veel mijner goede bekenden, die niet gaerne zouden zien dat men dit boek zou verbieden, gelijk zonder twijffel geschieden zal, zo het in de Nederlantsche Taal uitgegeven word. Ik vertrou vastelijk dat gy dit my en de zaak te geval zult doen.

Zeker vrient heeft, enige tijd geleden, my een boekje t'huis gezonden, Homo Politicus genoemd, van 't welk ik te voren veel gehooft had. Ik heb het uitgelezen, en hetzelfde het schadelijkste boek, dat van menschen bedacht kan worden, bevonden. Het opperste goet van de geen, die 't gemaakt heeft, is het gelt en d'eer, naar 't welk hy zijn leer schikt: en hy wijft de weg aan om daar toe te geraken; te weten met innerlijk alle Godsdienst te verwerpen, en uitterlijk zodanige aan te nemen, die meest tot zijn vordering kan dienen, en voorts aan niemant getrou te zijn, dan voor zo veel tot zijn voordeel strekt. Wat het overige aangaat, hy prijft ten hoogste het veinzen, beloven zonder geven, liegen, valsche reden, en meer andere dingen. Ik, dit gelezen hebbende, kreeg gedachten, om van ter zijden hier tegen een boekje te schrijven, daar in ik van 't opperste goet zou handelen, en voorts d'ongeruste en elendige skant van de genen, die geltgierig en eerzuchtig zijn, tonen, en eindelijk met klare redenen, en veel voorbeelden aanwijzen dat de gemeene Staten nootzakelijk door onverzadelijke eerzucht en geltgierigheid vergaan moeten, en vergaan zijn.

Warelijk, hoe veel beter en voortreffelyker de gedachten van Thales van Myletus waren, dan die van deze voorgedachte schrijver, blijkt uit deze volgende redenering. Alle dingen, zeide hy, zijn onder de vrienden gemeen: de wijzen zijn de vrienden der goden: dieshalve behoren alle dingen aan de wijzen. In dezer voege heeft deze zeer wijze man zich zelf de rijkste gemaakt, meer met de rijkdom edelmoe-diglijk te verachten, dan met hem gratiglijk na te jagen. Hy toonde echter in een ander tijd, dat de wijzen niet uit noot, maar vrywillig-lijk geen rijkdom bezaten. Want toen zijn vrienden zijn armoede aan hem verweten, gaf hy aan hen tot antwoord: wilt gy dat ik ook het geen; 't welk ik onwaerdig voor mijn arbeit acht, en daar gy zoo

gratiglijk naar tracht, kan verkrijgen? En toen zij ja hier op gezegt hadden, huurde hy alle de parssen van geheel Grieken: want hy, die in de loop der starren zeer ervaren was, had gezien dat 'er in dat jaar een grote overvloed van olyven, van de welken in de voorgaande jaren grote schaarsheit had geweest, zou wezen: in voegen dat hy deze parssen, die hy voor weinig gelt gehuurt had, tot een hoge prijs verhuurde, dewyl zy hen tot d'olie uit d'olyven te parssen moesten gebruiken: daar door hy in een jaar grote rijkdom voor zich verkreeg, die hy daar na zoo mildelyk omdeelde, als hy hem schrandelyk had verkregen. Ik eindig met te betuigen dat ik ben, enz.

EPISTOLA XLV (OLIM LI).

Illustri et Clarissimo Viro

B. D. S.

GOTTFREDUS LEIBNITIUS.

Ex autographo, quod apud Ecclesiam Telciobaptistarum Amstelodamensem servatur.

*Illustris et Amplissime * Vir,*

Inter cæteras laudes Tuas quas fama publicavit, etiam insignem rei Opticæ peritiam esse intelligo. Quæ res efficit, ut qualemcunque conatum meum ad Te destinare voluerim, quo meliorem in hoc studiorum genere censorem non temere reperero. Schedulam hanc quam mitto, ac *Notitiam Opticæ promotæ* inscripti, ideo publicavi, ut commodius possem communicare cum amicis aut curiosis. Audio et Amplissimum Huddenium ** in eodem genere florere, nec dubito Tibi cognitissimum esse. Unde si hujus quoque judicium et favorem mihi impetraveris, beneficium mirifice auxeris.

Schedula ipsa, quid rei sit, satis explicat.

Credo ad manus tuas pervenisse Prodromum Francisci Lanæ Soc.

* Ed. Pr.: *Clarissime*.

** Johanném Hudde, mox paulo urbis Amstelodami consulem futurum. Cf. p. 135.

Jef. Italice scriptum, ubi Dioptrica quoque nonnulla insignia proponit; sed et Joh. Oltius Helvetius juvenis in his rebus pereruditus, publicavit Cogitationes Physico-Mechanicas de Visione, in quibus partim machinam quandam poliendis omnis generis vitris simplicem admodum et universalem pollicetur, partim ait se reperisse modum quandam colligendi *omnes* radios ab *omnibus* objecti punctis venientes, in totidem alia puncta respondentia. Sed tantum in certa distantia, figuraque objecti.

Cæterum id quod a me propositum est, huc redit, non ut omnes omnium punctorum radii recolligantur, id enim in qualibet objecti distantia aut figura, quantum hætenus cognitum sit, impossibile est; sed ut æque colligantur radii punctorum extra axem opticum, ac in axe optico, ac proinde aperturæ vitrorum salva distincta visione, possint fieri quantæcunque. Sed hæc acutissimo judicio Tuo stabunt. Vale faveque,

Vir Amplissime,

Cultori sedulo

GOTTFREDO GUILIELMO LEIBNITIO,

J. U. D. et Consil. Mogunt.

Francofurti 5. Octobr. styl.
nov. 1671.

PS. Si qua me responsione dignabere, curabit eam spero non illubenter Nobil^{iss} Diemerbroeckius ICTus. Puto vifam Tibi Hypothesin meam Physicam novam; sin minus, mittam.

Epistolæ Inscriptio.

A Monsieur

Monsieur SPINOSA

*Medecin tres celebre et
philosophe tres profond*

par couvert.

à

Amsterdam.

E P I S T O L A XLVI (OLIM LII.)

Eruditissimo Nobilissimoque Viro

G O T T F R E D O L E I B N I T I O

J. U. D. et *Confiliario Mogunt.*

B. D. S.

Responsio ad præcedentem

Juxta Exemplum ad Leibnitium missum, quod hodie Hanoveræ est, primum a Murrio, deinde emendatius a Gerharcto editum.

Eruditissime Nobilissimeque Vir, a)

Schedulam, quam mihi dignatus es mittere, legi, magnasque pro ejusdem communicatione habeo gratias. Doleo, quod mentem tuam, quam tamen credo te satis clare exposuisset *b)*, non satis assequi potuerim. Precor itaque, ut ad hæc pauca mihi respondere non graveris *, videlicet, an aliam credis esse causam, cur in vitrorum apertura parci esse debemus, quam quia radii, qui ex uno puncto veniunt, non in alio accurate puncto, sed in spatulo, quod punctum Mechanicum appellare solemus, quod pro ratione aperturæ majus aut minus est, congregentur *c)*. Deinde rogo, num lentes illæ, quas pandochas vocas, hoc vitium corrigant; hoc est, an *d)* punctum Mechanicum, sive spatulum, in quo radii, qui ex eodem puncto veniunt, post refractionem congregantur, idem ratione magnitudinis maneat *e)*, sive apertura magna sit, sive parva. Nam, si hoc *f)* præstant, earum aperturam augere ad libitum *g)* licebit, et consequenter omnibus aliis figuris mihi cognitis longe præstantiores erunt; alias non *h)* video, cur easdem supra communes lentes tantopere commendes *i)*.

a) Murrius in tabula chalcographica. Omisit Gerh.

b) Opp. Posth.: *explicuisse.*

* Sententia abest in O. P.

c) *solemus, congregentur, quod spatulum pro ratione . . . est.*

d) *ut scilicet.*

e) *semper maneat.*

f) *hæc.*

g) *ad libitum augere.*

h) *nihil.*

i) *commendas.*

Lentes enim circulares eundem ubique habent axem, adeoque quando illas adhibemus, omnia objecti puncta, tanquam in axe Optico posita, sunt consideranda: et quamvis omnia objecti puncta non in eadem sint distantia, differentia tamen *a*), quæ inde oritur, sensibilis esse non potest, quando objecta admodum remota sunt, quia tum radii, qui ex eodem *b*) puncto veniunt, considerantur tanquam paralleli *c*) ingrederentur vitrum. Hoc tamen credo lentes tuas juvare posse, quando plurima objecta uno obtutu comprehendere volumus (ut fit, quando lentes oculares convexas *d*) admodum magnas adhibemus), ut omnia scilicet distinctius repræsententur. Verum de his omnibus iudicium *e*) suspendere malo *f*), donec mentem tuam mihi *g*) clarius explices, quod ut facias, enixe rogo. Dom. Huddenio, alterum, ut iussisti *h*) exemplar mihi; respondit, sibi impræsentiarum tempus non esse idem *i*) examinandi, sperat tamen post unam aut alteram hebdomadam sui juris fore *k*).

Prodromus Francisci Lanæ nondum ad manus meas pervenit, ut nec etiam Cogitationes Physico-Mechanicæ Johannis Holtii, et, quod magis doleo, quod nec etiam Hypothesin tuam Physicam videre potuerim, hic saltem Hagæ Comitum venalis non exstat. Si hanc ergo miseris, rem mihi gratissimam facies, et si qua alia in re tibi servire poterō, non desinam ostendere, quod sim *l*)

Vir Amplissime

ex asse tuus

B. DESPINOZA.

Hagæ Comitum 9 novri. 1671.

D^{ns}. Dimerbruckius hic non habitat. Cogor itaque hanc tabellioni ordinario tradere. Non dubito quin hic Hagæ Comitum aliquem qui

- a*) tamen differentia. *b*) uno. *c*) tanquam par. considerati ingr. vitrum.
d) circulares conversas. *e*) iudicium d. h. o. *f*) suspendam.
g) omitt. mihi. *h*) ut jubes, alterum. *i*) id.
k) se tamen post vacaturum sperat.

l) Hæc ultima in Opp. Pofth. sic scripta sunt: *Prodromum Francisci Lanæ necdum vidi, ut nec etiam Joh. Holtii Cogitationes Physico-Mechanicas, et, quod magis doleo, nondum Hypothesis tua Physica ad manus meas pervenit, nec hic Hagæ Comitum venalis exstat. Munus igitur, quod mihi tam liberaliter promittis, acceptissimum mihi erit, et si qua alia re tibi inservire poterō, semper me invenies, etc.*

epistolas nostras curare velit, noveris, quem ego novisse velim ut epistolæ commodius et securius curari possent. Si Tractatus theologico-politicus ad tuas manus nondum pervenit, unum exemplar nisi molestum erit, mittam. Vale.

Epistolæ Inscriptio.

*Nobilissimo Amplissimoque D.
D^o. Gotfredo Guilielmo Leibnitio
Juris u. Doctori et Consiliario
Moguntino*

Maintz.

EPISTOLA XLVII (OLIM LIII).

Philosopho Acutissimo ac Celeberrimo

B. D. S.

J. LUDOVICUS FABRITIUS.

Celeberrime Vir,

In mandatis mihi dedit Serenissimus Elector Palatinus, Dominus meus Clementissimus, ut ad Te, mihi quidem hucusque ignotum, Serenissimo vero Principi commendatissimum, scriberem, ac rogarem, an in Illustri sua Academia ordinariam Philosophiæ Professionem suscipere animus esset. Stipendium exsolvetur annuum, quo ordinarii Professores hodie fruuntur. Non alibi invenias Principem faventio-rem eximiis ingeniis, inter quæ te æstimat. Philosophandi libertatem habebis amplissimam, qua te ad publice stabilitam Religionem conturbandam non abufurum credit. Ego sapientissimi Principis mandato non potui non obsecundare. Quapropter te rogo quam impensissime, ut quamprimum mihi respondeas, tuamque ad me responsonem vel Serenissimi Electoris Residenti Hagæ Comitum D^o. Grotio, vel D^o. Gilles vander Hek, ad me in fasciculo literarum, quæ in aulam transmitti solent, curandam tradas, vel alia denique commoditate, quæ opportunissima videbitur, utaris. Hoc unum addo, te, si huc

venias, vitam Philosopho dignam cum voluptate tranfacturum, nisi præter spem et opinionem nostram alia omnia accidant. His Vale et Salve,

Vir Clarissime,

a Nominis tui Studiofissimo

J. LUDOVICO FABRITIO,

Acad. Heidelb. Professore,

et Electoris Palatini Consiliario.

Heidelb. 16 Febr. 1673.

EPISTOLA XLVIII (OLIM LIV).

Amplissimo Nobilissimoque Viro

D. J. LUDOVICO FABRITIO,

*Acad. Heidelbergensis Professori et Electoris
Palatini Consiliario,*

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Amplissime Vir,

Si unquam mihi desiderium fuisset alicujus facultatis professionem suscipiendi, hanc solum optare potuissem, quæ mihi a Serenissimo Electore Palatino per te offertur, præsertim ob libertatem Philosophandi, quam Princeps Clementissimus concedere dignatur; ut jam taceam, quod dudum desideraverim sub Imperio Principis, cujus sapientiam omnes admirantur, vivere. Sed quoniam nunquam publice docere animus fuit, induci non possum, ut præclaram hanc occasionem amplectar, tametsi rem diu mecum agitaverim. Nam cogito primo, me a promovenda Philosophia cessare, si instituendæ juventuti vacare velim. Cogito deinde, me nescire, quibus limitibus libertas ista Philosophandi intercludi debeat, ne videar publice stabilitam Religionem perturbare velle: quippe schismata non tam ex ardenti Religionis studio oriuntur, quam ex vario hominum affectu vel contradicendi studio, quo omnia, etsi recte dicta sint, depravare et

damnare solent. Atque hæc cum jam expertus sim, dum vitam privatam et solitariam ago, multo magis timenda erunt, postquam ad hunc dignitatis gradum ascendero. Vides itaque, Vir Amplissime, me non spe melioris fortunæ hærere, sed præ tranquillitatis amore, quam aliqua ratione me obtinere posse credo, modo a publicis Lectionibus abstineam. Quapropter te enixissime rogo, ut Serenissimum Electorem ores, ut mihi hac de re amplius deliberare liceat, deinde ut favorem Clementissimi Principis cultori devotissimo conciliare pergas, quo magis tibi devincias,

*Amplissime Nobilissimeque Domine,
Tuum ex asse*

B. D. S.

Hagæ Comitum 30. Martii 1673.

EPISTOLA XLIX.

Clarissimo Viro

J O H. G E O. G R A E V I O

B. D. S.

Ex autographo, quod in Bibliotheca Regia Havniensi servatur.

Vir Clarissime,

Quæso, ut Epistolam illam de obitu Cartesii, quam te dudum descripsisse credo, quam primum poteris, mittas; nam Dus. de V. eandem aliquoties a me repetiit. Si mea esset, nihil festinarem. Vale vir amplissime, et tui amici memor vive, qui sum

Omni affectu atque studio Tuus,

Hagæ Com. 14. Decemb. 1673.

BENEDICTUS DESPINOZA.

Epistolæ Inscriptio.

Myn Heer

*Myn Heer Johannes Georg. Grævius **,

Der Eloq. ord. Professor

Tot

Port.

Uytrecht.

* Ex epistola ejusdem Grævii, Trajecti ad Rhenum d. 12. April. 1671. ad Leibnitium scripta, quæ in Bibl. Reg. Hanoverana servatur, hæc descripsimus:

EPISTOLA L.

Viro Humanissimo atque Prudentissimo

J A R I G H J E L L E S

B. D. S.

Versio *.

Humanissime Vir,

Quantum ad Politicam spectat, discrimen inter me et Hobbesium, de quo interrogas, in hoc consistit, quod ego naturale Jus semper factum tectum conservo, quodque Supremo Magistratui in qualibet Urbe non plus in subditos juris, quam juxta mensuram potestatis, qua subditum superat, competere statuo, quod in statu Naturali semper locum habet.

Porro, quod demonstrationem attinet, quam ego in Appendice Geometricarum in Cartesii Principia demonstrationum stabilio, nempe Deum non, nisi valde improprie, unum vel unicum dici posse; respondeo, rem solummodo existentiae, non vero essentiae respectu unam vel unicam dici: res enim sub numeris, nisi postquam ad commune genus redactae fuerunt, non concipimus. Qui, verbi gratia, festertium et imperialem ** manu tenet, de numero binario non cogitabit, nisi hunc festertium et imperialem uno eodemque, nempe nummorum ** vel monetarum, nomine vocare queat: nam tunc,

Anno superiore prodit hic liber pestilentissimus, cujus index est: *Discursus Theologico-Politicus*, qui et ipse Hobbesianam secutus viam, sed longius tamen saepissime ab ea etiam desectens, injustissimum jus naturale constituit, et labefactata sacrorum voluminum auctoritate latissimam ἀθεότητι fenestram aperuit. Auctor ejus dicitur esse Judaeus, nomine Spinoza, qui dudum ἀποσυρῶνος fuit propter opinionum monstra, sed et ejus liber eandem ob causam proscriptus est ab ordinibus [*Trajectinis, nam in Hollandia hoc anno 1674. demum factum*]. Puto te vidisse; si non vidisti, operam dabo ut ad te perferatur.

(Gerhardt, Die philos. Schriften von G. W. Leibniz. I. Berlin 1875. S. 115.) Eodemmodo anno 1678. judicavit de Spinoza Opp. Posth.; cf. Burmanni Sylloge Epist. IV, p. 475, verum etiam p. 489.

* A Spinoza facta, exceptis, ut videtur, ultimis sententiis.

** Verf. Belg.: *een stuyver en een rijkdaalder*.

** Bruder. — Ed. Pr.: *numerorum*. — Verf. Belg.: *slukken*.

se duos nummos vel monetas habere, potest affirmare; quoniam non modo sestertium, sed etiam imperialem nummi vel monetæ nomine insignit. Hinc ergo clare patet, nullam rem unam aut unicam nominari, nisi postquam alia res concepta fuit, quæ (ut dictum est) cum ea convenit. Quoniam vero Dei existentia ipsius sit essentia, deque ejus essentia universalem non possumus formare ideam, certum est, eum, qui Deum unum vel unicum nuncupat, nullam de Deo veram habere ideam, vel improprie de eo loqui.

Quantum ad hoc, quod figura negatio, non vero aliquid positivum est: manifestum est, integram materiam, indefinite consideratam, nullam posse habere figuram, figuramque in finitis ac determinatis corporibus locum tantum obtinere. Qui enim se figuram percipere ait, nil aliud eo indicat quam, se rem determinatam, et quo pacto ea sit determinata, concipere. Hæc ergo determinatio ad rem juxta suum esse non pertinet: sed e contra est ejus non esse. Quia ergo figura non aliud quam determinatio, et determinatio negatio est; non poterit, ut dictum, aliud quid quam negatio esse.

Librum, quem Ultrajectinus Professor in meum scripsit *, quique post obitum ejus luci expositus est, e fenestra Bibliopolæ pendentem vidi: et ex paucis, quæ tum temporis in eo legeram, eum lectu, multo minus responsione indignum judicabam. Relinquebam ergo librum ejusque authorem. Mentis, subridens,olvebam, ignarissimos quosque passim audacissimos, et ad scribendum paratissimos esse. Mihi merces suas eodem modo, ac Propolæ, venum exponere videntur, qui semper, quod vilis est, primo loco ostendunt. Ajunt, Diabolum esse vaferrimum; mihi vero eorum genius longe hunc vafritie superare videtur. Vale.

Hagæ Comitum 2. Junii 1674.

* Regneri à Mansvelt, Philosophiæ, dum viveret, Doctoris et Professoris in Academia Trajectina, Adversus Anonymum Theologico-Politicum Liber Singularis, etc. Amstelædami, 1674.

Ultima verba in Verf. Belg. sic leguntur :

Ik heb het boek, 't welk de Profeflor t'Utrecht tegen het mijne gefchreven heeft, en dat na zijn overlijden uitgekomen is, aan't veinfter van een Boekverkoper gezien: en uit het weinige, dat ik 'er toen in las, oordeelde ik dat het niet waerdig was om deurgelezen, veel minder om beantwoord te worden. Ik liet diefhalven het boek daar leggen, en de meefter voor de geen blijven, die hy was. Ik overwoog al lachende by my zelf, hoe d'onweetenden deurgaans de ftoutften en vaerdigften in't fchrijven zijn. My docht dat de..... hun waren op een zelfde wijze veilen, als de Winkeliers, die alstijt het flechtste eerst tonen. Zij zeggen dat de duivel een erge gaff is: maar my dunkt dat hun geeft hen [i. hem] verre in listigheid overtreft. Vaarwel.

EPISTOLA LI (OLIM LV).

Acutiffimo Philofopho

B. D. S.

HUGO BOXEL, J. U. D. *

Verfio **.

Clariffime Vir,

Caufa, cur hanc tibi fcribam, eft, quod tuam de apparitionibus et Spectris, vel Lemuribus, fententiam fcire defiderem, et fi dentur, quid de illis tibi videatur, et quamdiu illorum duret vita; eo quod alii ea immortalia, alii vero mortalia effe opinantur. In hac mea dubitatione, an nimirum ea dari concedas, ulterius non pergam. Certum interim eft, Veteres eorum exiftentiam credidiffe. Theologi ac Philofophi hodierni ejuſmodi creaturas exiftere haftenus credunt, licet in eo, quænam illorum fit effentia, non concordent. Quidam

* Danielis filius, ab anno 1655. ad 1659. Secretarius, deinde Penſionarius & Syndicus civitatis Gorinchemiæ, a Principe Arauſionenſi anno 1672. uua cum multis aliis a munere amotus, et ante annum 1679. denatus.

** Ab ipſo Spinoza facta.

ex tenuissima et subtilissima constare materia, alii ea spiritualia affirmant. Verum (ut jam dicere cœpi) multum ab invicem dissentimus, quia, an largiaris ea existere, dubius sum; quamvis, uti nec te fugit, tot exempla et historiæ in omni Antiquitate inveniuntur, ut revera ea vel negare, vel in dubium vocare, difficile foret. Certum est, nempe quod, si fatearis ea existere, non tamen credas, quædam eorum esse animas demortuorum, ut Romanæ fidei defensores volunt. Hic finiam, tuumque expectabo responsum. Nihil de bello, nihil de rumoribus dicam, eo quod in ea nostra ætas incidit tempora, etc. Vale.

[Gorcomiæ,] 14. Septemb. 1674.

E P I S T O L A LII (OLIM LVI).

Amplissimo Prudentissimoque Viro

H U G O N I B O X E L

B. D. S.

Responso ad præcedentem.

Verfio *.

Amplissime Vir,

.Tua, quam heri accepi, mihi fuit acceptissima, tam quod aliquod de te nuncium audire desiderabam, quam quod te mei penitus non oblitum esse video. Quamvis forte alii malum esse omen putarent, vel Lemures causam ad me scribendi fuisse; ego tamen econtra majus quid in eo noto, res non tantum veras, sed et nugas atque imaginationes mihi usui esse posse perpendo.

Verum hoc, an nimirum Spectra, phantasmata ac imaginationes sint, seponamus; quia nempe non tantum ea negare, verum etiam de iis dubitare, adeo rarum tibi videtur, quam ei, qui tot historiis, quas Hodierni et Antiqui narrant, convictus est. Magna æstimatio

* Ab amico facta.

ac honor, in quo te habui semper, et adhuc habeo, ut contradicam, multo minus ut tibi blandiar, non patitur. Medium, quod fervabo, est, ut ex tot, quas de Spectris legisti historias, unam vel alteram eligere placeat; de qua minimum dubitare licet, quæque clarissime Spectra existere demonstrat. Nam, ut verum fatear, nunquam fide dignum legi Auctorem, qui ea dari clare ostenderet. Et hætenus quid sint ignoro, nemoque mihi unquam id potuit indicare. Certum tamen est, quod de re, quam tam clare monstrat experientia, debemus scire quid sit; alioquin difficillime ex aliqua historia Spectra dari colligimus; colligitur quidem aliquid esse, quod tamen nemo scit, quid sit. Si Philosophi, quæ ignoramus, Spectra nominare volunt, ea haud negabo, quia res infinitæ sunt, quæ me latent.

Denique, Vir Amplissime, antequam me hac in materia ulterius explicem, dic quæso mihi, quænam res hæc Spectra vel Spiritus sint. Suntne infantes, stulti, vel insani? Quia quæ de iis auribus hausi, potius insipientibus quam sapientibus conveniunt, quæque, ut ea in meliorem interpretemur partem, rebus puerilibus vel stultorum delectamentis similia sunt. Antequam finio, hoc unum tibi proponam, illud scilicet desiderium, quod plerumque homines habent, res, non ut revera sunt, sed ut eas desiderant, narrandi, facilius ex narrationibus de Lemuribus Spectrisque, ac ex aliis cognosci. Hujus rei præcipua, ut credo, ratio est, quod, quia ejusmodi historiæ non alios habent testes, nisi earum narratores, harum inventor pro lubitu, circumstantias, quæ ei commodissimæ videntur, vel addere vel demere potest, nec timet, ut sibi quisquam contradicat; speciatim vero eas fingit, ut metum, quem de somniis et phantasmatis concepit, justificet, vel etiam ut audaciam, fidem, et opinionem suam stabiliat. Præter has alias adinveni rationes, quæ me ad dubitandum, si non de ipsis historiis, faltem de narratis circumstantiis, permovent, quæque quam maxime ad conclusionem, quam ex illis historiis deducere conamur, faciunt. Hic desinam, usque dum intellexero, quænam eæ sint historiæ, quibus ita convictus es, ut tibi de iis dubitare absurdum videatur, etc.

In Ed. Belg. ipsa Spinozæ verba paululum expolita servari videntur:

Myn Heer,

Uw brief, op gisteren ontvangen, is aan my zeer aangenaam geweest, zo om mijn verlangen naar enige tijding van u, als om dat ik zie dat gy my noch niet gantschelijk hebt vergeten. En hoewel anderen misschien voor een quaad voortteeken zouden achten dat nachtspoken of geeften d'oorzaak van uw schrijven aan my zijn geweest; ik, in tegendeel, bemerk daar in iets, dat groter is; dewijl ik overweeg dat niet alleenlijk ware zaken, maar ook beuzelingen en inbeeldingen aan my tot voordeel kunnen strekken.

Maar laat ons dit, te weten of 'er nachtspoken, grillen, en inbeeldingen zijn, ter zijde stellen; dewijl dit by u een ongemene zaak schijnt, te weten niet alleen t'ontkennen dat 'er enigen zijn, maar ook daar aan te twijffelen, als de geen, die van zo veel geschiedenissen, de welken ouden en jongen daar af verhalen, overtuigt is. De hoge achting, die ik u alstijt toegedragen heb, en noch toedraag, laat my niet toe dat ik u tegensprek, veel minder dat ik u vlei. De middelweg, die ik tusschenbeide zal houden, is te verzoeken dat het u belieft, van zo veel geschiedenissen, dat gy van spoken gelezen hebt, een of twee uit te kiezen, aan de welken men minst kan twijffelen, en die klarelijkst bewijzen dat 'er nachtspoken zijn: want, om rechtuit te spreken, ik heb nooit een geloofwaerdig Schryver gelezen, die klarelijk toonde dat zy 'er zijn. Ik weet ook tot noch toe niet wat zy zijn, en niemant heeft ooit zulks aan my kunnen zeggen. 't Is echter zeker dat men van een ding, 't welk van d'ondervinding zo klarelijk getoont werd, nootzakelijk moet weten wat het is: andersins kan men zwarelijk uit enig verhaal besluiten dat 'er spoken zijn; maar wel dit, dat 'er iets is, en dat echter niemant weet wat het is. Indien de Philosophen die dingen, de welken men niet kent, spoken willen noemen, zo zal ik het niet kunnen ontkennen; dewijl er onëindige dingen zijn, daar af ik geen kennis heb.

Eindelijk, mijn Heer, ik bid u, eer ik my veerder in deze stoffe verklaar, dat gy aan my zegt, welke dingen deze spooken of geeften zijn. Zijn 't kinderen, zotten, of dullen? dewijl het geen, dat ik

daar af gehoord heb, eer dingen van harffenloze dan van verstandige menschen schijnen, en die, ten besten genomen, nergens beter naar gelijken, dan naar kinderspel, of tijtverdrif van zotten. Ik dan, een einde hier af makende, zal u noch een zaak te gemoet voeren; dat is, dat die zucht, de welke de menschen gemenelyk hebben, om de dingen te vertellen, niet gelijk zy zijn, maar naar zy hen willen hebben, beter in de vertellingen van geesten en nachtsproken, dan in anderen, gekent word. De voornaamste oorzaak hier af is, gelijk ik geloof, dat, dewyl diergelyke geschiedenissen geen andere getuigen hebben dan de genen, die hen vertellen, de vinder daar af, naar zyn eige welgevallen, d'omstandigheden, de welken hem best schijnen, daar kan byvoegen, of afneemen, zonder dat hy behoeft te schromen dat iemand hem zal tegenspreken, en bezonderlyk om de vrees, die hem over zyn dromen en grillen bevangen heeft, te rechtvaerdigen, of ook om zyn stoutheit, geloof, en mening te bekrachtigen. Behalven dit heb ik noch andere redenen gevonden, die my bewegen om te twiffelen, is 't niet aan de geschiedenissen zelve, ten minsten aan d'omstandigheden, met de welken zy verhaalt worden, en die tot het besluit, 't welk men uit deze geschiedenissen tracht te trekken, meest dienstig zijn. Ik zal 't dan hier by laten, tot dat ik verstaan heb welken die geschiedenissen zijn, daar af gy in dier voegen overtuigt zyt, dat u dunkt dat zelfs daar aan te twiffelen een ongerijmde zaak is.

 EPISTOLA LIII (OLIM LVII).

Acutissimo Philosopho

B. D. S.

HUGO BOXEL.

Responsio ad præcedentem.

Verfio *.

Acutissime Vir,

Non aliud, quam ad me dedisti responsum, nimirum ab amico, aliamque fovente sententiam, expectabam. Posterius non curo: nam

* A Spinoza conscripta.

amicos in rebus indifferentibus dissentire semper salva licitum fuit amicitia.

Exigis, ut tibi, antequam tuam promas sententiam, quænam hæc Spectra Spiritusve sint, dicam, an sint infantes, stulti, vel infani, etc., et addis, quicquid de iis audiveris, potius ab infanientibus quam sanis profectum fuisse. Verum est proverbium, quod videlicet præoccupata opinio veritatis indagacionem impedit.

Credo igitur his de causis Spectra dari. Primo quia ad universi pulchritudinem ac perfectionem, ut sint, pertinet. Secundo quia verisimile est creatorem ea creasse, quia sibi, quam corporeæ creaturæ, similia sunt. Tertio quia, sicuti corpus sine anima, ita etiam anima sine corpore existit. Quarto denique quia in supremo aëre, loco, vel spatio, nullum obscurum corpus esse, quin suos obtineat habitatores, existimo; et per consequens, immensurabile, quod inter nos astraque est, spatium, non vacuum, sed Spiritibus habitatoribus repletum esse; forte summi et remotissimi veri Spiritus, infimi vero in infimo aëre creaturæ sunt substantiæ subtilissimæ et tenuissimæ, insuperque invisibilis. Opinor igitur omnis generis, sed fortassis nullos fœminini, dari Spiritus.

Hoc ratiocinium eos, qui mundum fortuito creatum esse temere credunt, nullatenus convincet. Quotidiana insuper, his missis rationibus, Spectra dari, ostendit experientia, quorum multæ, tam novæ quam antiquæ, historiæ etiamnum exstant. Videantur horum historiæ apud Plutarchum in libro de Viris illustribus, aliisque ejus operibus; Suetonium in Vitis Cæsarum, nec non apud Wierum et Lavaterum* in libris de Spectris, qui de hac materia prolixè egerunt, et ex omnis generis scriptoribus eas congesserunt. Cardanus, ob eruditionem suam celeberrimus, etiam de iis in libris de *Subtilitate*, *Varietate*, et de *Vita sua* loquitur, ubi ea sibi, cognatis, amicisque apparuisse experientiâ ostendit. Melanthon, Vir prudens et veritatis amans, et alii non pauci, de suis testantur experientiis. Consul quidam Vir Doctus et Sapiens, quique adhuc in vivis est, aliquando

* Job. Wieri (1515—1588) Opera omnia denuo edita erant Amstelodami anno 1660. — Lud. Lavateri liber de Spectris, lemuribus, etc. prodiit Genevæ anno 1580.

mihi narravit, de nocte ita audiri opus in Matris suæ officina cerevisiaria perfici, quemadmodum illud de die, quando cerevisia coquebatur, absolvebatur; quin hoc sæpius factum esse testabatur. Idem mihi sæpiuscule contigit, quod nunquam memoriâ excidet; adeo ut his experimentis, dictisque rationibus, Spectra dari victus sim.

Quantum ad Spiritus malos, qui miseros homines in hac et post hanc vitam torquent, nec non magiam attinet, ego harum rerum historias fabulas esse existimo. In Tractatibus, qui de Spiritibus agunt, circumstantiarum copiam invenies. Poteris, præter allegatos, si placet, Plinium secundum libro septimo in Epistola ad Suram, ut et Suetonium in vita Julii Cæsaris capite trigesimo secundo, Valerium Maximum capite octavo libri primi sectione septima et octava, et Alexandrum ab Alexandro in opere Dierum Genialium * consulere: hos enim penes te esse libros mihi persuadeo. Non loquor de Monachis et Clericis, qui tot animarum ac malorum Spirituum apparitiones et visiones, totque, ut sic loquar potius, Spectrorum fabulas referunt, ut, præ copia, tædio officiant lectorem. Thyraeus Jesuita in libro de Spirituum apparitionibus ** talia quoque tractat. Illi autem lucri solummodo causa, utque melius esse purgatorium probent, hæc tractant, quæ ipsis minera, unde tantam auri ac argenti vim effodiunt, existit. Id vero in memoratis, aliisque modernis Scriptoribus nullum obtinet locum, qui sine partium studio majorem propterea merentur fidem.

Responsionis vice ad tuam epistolam, ubi de stultis et amentibus verba facis, hic conclusionem Eruditi Lavateri, qua librum suum primum de Spectris aut Lemuribus his verbis finit, pono. *Qui tot unanimes, tam hodiernos quam veteres negare audet testes, fide mihi indignus censetur: quemadmodum enim levitatis signum est iis omnibus, qui se quædam vidisse spectra affirmant, protinus credere; ita e contrario, tot fide dignis Historicis, Patribus, aliisque magna præditis auctoritate temere et impudenter contradicere, insignis esset imprudentia.*

21 Septemb. 1674.

* Videantur illic l. II. c. 9., l. IV. c. 19., l. V. c. 28.

** Petri Thyraei de Apparitionibus Spirituum tractatus II. Coloniae 1600.

E P I S T O L A LIV (OLIM LVIII).

Amplissimo Prudentissimoque Viro

H U G O N I B O X E L

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Versio *.

Amplissime Vir,

Ego eo, quod in epistola tua 21. præteriti mensis dicis, nixus, scilicet amicos in re indifferenti, salva amicitia, dissentire posse, clare dicam, quid de rationibus et historiis sentiam, ex quibus *omnis generis, sed nullos forte fœminini generis dari Lemures* concludis. Causa, cur citius non responderim, est, quod ii libri, quos citas, ad manum non sunt, nec præter Plinium et Suetonium ullos reperi. Sed hi duo labore alios inquirendi me sublevabunt, quia mihi persuadeo, eos omnes eodem modo delirare, et historias rerum non vulgarium, quæ homines attonitos reddunt, ac in admirationem rapiunt, amare. Fateor me non parum, non historias, quæ narrantur, sed eos, qui eas scribunt, obstupuisse. Miror Viros, ingenio et iudicio præditos, facundiam suam infumere, et ea, ut nobis ejusmodi nugæ persuadeant, abuti.

Authores vero missos faciamus, et rem ipsam aggrediamur: primo etenim ratiocinium meum circa conclusionem tuam paulisper versabitur. Videamus, an ego, qui nego, Spectra aut Spiritus dari, eo minus istos Scriptores, qui de hoc negotio scripserunt, intelligam; an tu, qui ea existere statuis, hos scriptores non pluris, quam merentur, facias. Quod ab una parte Spiritus dari masculini generis in dubium non voces, ab altera vero parte, an ii fœminini generis sint dubites, phantasiæ quam dubitationi similis videtur: nam si hæc tua esset opinio, magis ea cum vulgi imaginatione, qui Deum masculini, non vero fœminini generis esse statuit, convenire videretur. Miror eos, qui Spectra nuda conspexere, oculos in genitalia non coniecisse,

* Ab ipso Spinoza facta.

forte præ timore, vel præ ignorantia hujus discriminis. Regeres, hoc est ridere, non autem ratiocinari; et hinc video, tuas rationes tam validas tamque bene fundatas tibi videri, ut iis nemo (tuo faltem iudicio) contradicere queat, nisi perversè aliquis, Mundum fortuito factum esse, putaret. Hoc ipsum, antequam præcedentes tuas examino rationes, me urget, ut breviter meam de hac positione opinionem, an mundus fortuito sit creatus, proponam. Respondeo vero, quod, sicuti certum est, *Fortuitum* et *Necessarium* duo esse contraria, ita manifestum etiam est, eum, qui mundum necessarium divinæ Naturæ effectum affirmat, omnino etiam mundum casu factum esse negare; illum autem, qui affirmat, Deum potuisse creationem mundi omittere, confirmare, licet aliis verbis, eundem casu factum fuisse; quoniam a voluntate, quæ nulla esse poterat, processit. Quia vero hæc opinio hæcque sententia penitus absurda est, vulgo unanimiter, Dei voluntatem æternam ac nunquam indifferentem fuisse, concedunt; et propterea necessario quoque debent largiri (Nota bene), mundum Naturæ Divinæ necessarium esse effectum. Vocent hoc voluntatem, intellectum, vel quocunque lubet nomine, eo tamen tandem devenient, quod unam eandemque rem diversis nominibus expriment. Si enim eos roges, an Divina voluntas ab humana non differat, respondent, priorem non nisi nomen cum posteriore commune habere: præterquam quod plerumque, Dei Voluntatem, Intellectum, Essentiam, aut Naturam unam eandemque rem esse, concedunt; sicuti et ego, ne Divinam naturam cum humana confundam, Deo humana attributa, nempe Voluntatem, Intellectum, attentionem, auditum, etc., non adsigno. Dico igitur, ut jam modo dixi, Mundum Divinæ Naturæ necessarium effectum, eumque fortuito non esse factum.

Hoc sufficere arbitror, ut tibi persuadeam, eorum opinionem, qui dicunt (si qui tamen tales dantur), mundum fortuito factum esse, meæ omnino contrariari; et hac nixus hypothesi, ad earum rationum inquisitionem, ex quibus Spectra omnis generis existere concludis, pergo. Quod in genere de iis dicere valeo est, eas magis conjecturas quam rationes videri, meque difficillime credere, te eas pro rationibus demonstrativis habere. Verum videamus, sive conjecturæ sive rationes sunt, an eas pro fundatis assumere liceat.

Prima tua ratio est, quod ad pulchritudinem ac universi perfectionem ea dari pertinet. Pulchritudo, Amplissime Vir, non tam objecti, quod conspicitur, est qualitas, quam in eo, qui conspicit, effectus. Si nostri oculi essent vel longiores vel breviores, aut nostrum aliter se haberet temperamentum, ea, quæ nunc pulchra, deformia, ea vero, quæ nunc deformia, pulchra nobis apparent. Pulcherrima manus, per microscopium conspecta, terribilis apparebit. Quædam procul visa pulchra, et e propinquo conspecta, deformia sunt: adeo ut res, in se spectatæ, vel ad Deum relatæ, nec pulchræ nec deformes sint. Is ergo, qui ait, Deum mundum, ut pulcher esset, creasse, horum alterutrum necessario statuere debet: nempe vel, Deum mundum ad appetitum et hominum oculos, vel appetitum et hominum oculos ad mundum condidisse. Jam vero, sive prius sive posterius statuamus, cur Deus Spectra et Spiritus creare debuerit, ut alterutrum horum consequeretur, non video. Perfectio atque Imperfectio sunt denominationes, quæ non multum a denominationibus pulchritudinis et deformitatis differunt. Ego igitur, ne nimis sum prolixus, solummodo interrogo, quid magis ad ornatum et mundi perfectionem faciat, an quod Spectra, an quod multiplicia dentur monstra, ut Centauri, Hydræ, Harpyiæ, Satyri, Gryphes, Argi, et plures hujusmodi nugæ? Certe mundus bene exornatus fuisset, si Deus eum pro libitu nostræ Phantasie, iisque rebus, quæ facile quivis sibi imaginatur et somniat, nemo vero unquam intelligere potis est, ornasset et concinasset!

Secunda ratio est, quod, quia Spiritus, magis quam aliæ corporeæ creaturæ, Dei imaginem exprimunt, verosimile quoque sit, Deum eos creasse. Profecto me hætenus nescire, in quo Spiritus magis quam aliæ creaturæ Deum exprimant, fateor. Hoc scio, inter finitum et infinitum nullam esse proportionem: adeo ut discrimen inter maximam et præstantissimam creaturam, atque inter Deum, non aliud sit discrimen, quam quod inter Deum ac minimam creaturam est. Hoc ergo nihil ad rem facit. Si tam claram de Spectris, quam de triangulo vel circulo, haberem ideam, nullatenus dubitarem statuere, ea a Deo creata fuisse: verum enim vero, quandoquidem idea, quam de iis habeo, omnino cum ideis convenit, quas de Harpyis, Gryphis,

Hydris, etc. in mea deprehendo imaginatione, ea' non aliter quam fomnia confiderare poffum, quæ a Deo tantopere, quam Ens et non Ens, difcrepant.

Tertia ratio (quæ est, quod, quemadmodum corpus fine anima, etiam anima fine corpore debeat effe) æque mihi absurda videtur. Dic, quæfo, mihi, an non etiam fit verifimile, memoriam, auditum, vifum, etc. fine corporibus dari, eo quod corpora fine memoria, auditu, vifu, etc. inveniuntur? Vel globum fine circulo, quia circulus fine globo exiftit?

Quarta et ultima ratio eadem est cum prima, ad cuius refponfionem me refero. Hic loci tantum notabo, me, quinam illi fupremi et infimi fint, quos in materia infinita concipis, nescire, nifi terram univerfi centrum effe fentias. Si enim Sol vel Saturnus univerfi fit centrum, Sol vel Saturnus, non autem terra infima erit. Hoc ergo et quod refat prætermittens, concludo, quod hæ hisque fimiles rationes neminem convincent, Spectra vel Lemures omnis generis dari, quam eos, qui aures intellectui occudentes, fe a Superftitione feduci patiuntur; quæ adeo rectæ Rationi infesta est, ut potius, quo Philofophorum æftimationem minuat, vetulis fidem habeat.

Quantum ad historias attinet, jam in prima mea epiftola dixi, me eas non omnino, fed inde deductam conclufionem negare. Huic accedit, quod eas non adeo fide dignas habeam, ut de multis circumftantiis non dubitem, quas sæpius addunt, magis ut ornent, quam ut Historiæ veritatem, vel id, quod inde volunt, concludere, aptius efficiant. Speraveram, ut ex tot Historiis faltem unam alteramve proferres, de qua minime dubitare liceret, quæque clariffime, Spectra vel Lemures exiftere, oftenderet. Quod memoratus Conful, inde, quod in matris fuæ officina cerevifiaria Spectra ita de nocte laborare audivit, quemadmodum de die audire affuetus erat, vult concludere, ea exiftere *, rifu dignum mihi videtur; fimiliter etiam nimis longum videretur hic loci omnes, quæ de his ineptiis confcriptæ funt, historias examinare. Ut ergo brevis fim, me ad Julium Cæfarem refero,

* In Ed. Pr. verborum ordo fic turbatus est: *inde, quod . . . laborare audivit, vult concludere, ea exiftere, quemadmodum de die audire affuetus erat.*

qui, teste Suetonio, hæc ridebat, et tamen felix erat, juxta id, quod Suetonius de hoc Principe in vita ejus capite 59. narrat; et ad eum modum omnes, qui mortalium imaginationum et pathematum effectus perpendunt, talia ridere debent, quicquid etiam Lavaterus aliique, qui cum eo hoc in negotio fomniarunt, in contrarium producant.

EPISTOLA LV (OLIM LIX).

Acutissimo Philosopho

B. D. S.

HUGO BOXEL.

Responsio ad præcedentem.

Versio *.

Acutissime Vir,

Ad tuas opinione serius respondeo, eo quod exiguus morbus me studiorum et meditationum oblectamento orbavit, et ad te scribere impedit. Nunc, Deo gratiam habeo, in integrum restitutus sum. In respondendo tuæ epistolæ vestigia premam, atque tuas in eos, qui de Spectris scripserunt, exclamationes transiliam.

Dico igitur me existimare, nulla fœminini generis esse Spectra, quia eorum generationem inficior. Quod talis sint figuræ et compositionis, quia id ad me non pertinet, omitto. Aliquid fortuito factum dicitur, quando præter authoris scopum producitur. Ubi terram ad vineam plantandum, vel puteum ad sepulchrum faciendum fodimus, et thesaurum invenimus, de quo nunquam cogitavimus, id casu fieri dicitur. Nunquam is, qui ex libero suo arbitrio ita operatur, ut possit operari vel non, casu operari, siquidem operatur, dicitur. Hoc enim pacto omnes humanæ operationes casu fierent, quod absurdum esset. Necessarium et Liberum, non vero Necessarium et Fortuitum contraria sunt. Licet vero Dei voluntas sit æterna, non tamen sequitur, mundum esse æternum, eo quod Deus ab æterno, ut mundum crearet statuto tempore, definire potuit.

* Ex hac facta est Ed. Belg.

Negas porro, Dei voluntatem unquam indifferentem fuisse, quod ego inficior; nec adeo accurate ad hoc, ut tu putas, attendere est necesse. Neque omnes dicunt, Dei voluntatem necessariam esse: hoc enim necessitatem involvit; quia is, qui alicui tribuit voluntatem, per id intelligit, eum pro sua voluntate posse operari vel non. Si vero ei adscribimus necessitatem, necessario debet operari.

Denique ais, te in Deo nulla humana concedere attributa, ne Divinam cum humana confunderes naturam; quod hæcenus probo: neque enim, qua ratione Deus operetur, nec, qua ratione velit, intelligat, perpendat, videat, audiat, etc., percipimus*. Verum enim vero, si has operationes, summasque nostras de Deo contemplationes, pernegas, affirmasque, eas non esse eminenter et metaphysice in Deo; tuum Deum, aut quid per hanc vocem *Deus* intelligas, ignoro. Quod non percipitur, haud negandum est. Mens, quæ spiritus, et incorporea est, non nisi cum subtilissimis corporibus, nempe humoribus operari potest. Et quænam inter Corpus Mentemque est proportio? Qua ratione Mens cum corporibus operatur? Sine his enim illa quiescit, et illis turbatis, Mens contrarium, quam quod debebat, operatur. Mihi, qui hoc fiat, monstra. Non poteris, ut nec ego; videmus tamen et sentimus, Mentem operari, quod verum manet, licet, qua ratione hæc fiat operatio, non percipiamus. Similiter, licet, quomodo Deus operatur, non capiamus, eique humana nolimus assignare opera, non tamen de ipso negandum, ea eminenter et incomprehensibiliter cum nostris concordare, uti velle, intelligere, intellectu, non vero oculis aut auribus, videre ac audire; ad eum modum quo ventus atque aër regiones montesque, sine manibus aliisve instrumentis, destruere nec non evertere potest, quod tamen hominibus absque manibus machinisque est impossibile. Si necessitatem Deo tribuis, eumque voluntate aut libera electione privas, dubitari posset, numne eum, qui Ens infinite perfectum est, instar monstri depingas et exhibeas. Ut tuum attingas scopum, aliis, ad jaciendum tuum fundamentum, opus erit rationibus, quia, meo iudicio, in allatis nihil soliditatis reperitur; et, si eas probes, aliæ adhuc super-

* Verf. Belg. — Ed. Pr.: *audiat, percipimus, etc.*

sunt, quæ forte tuarum pondus æquabunt. Sed his missis pergamus.

Postulas, ad probandum Spiritus in mundo esse, demonstrativas probationes, quæ valde paucae in mundo sunt, nullæque, præter Mathematicas, adeo certæ, ac quidem optamus, inveniuntur: quippe probabilibus ut et verosimilibus conjecturis fumus contenti. Si rationes, quibus res probantur, essent demonstrationes, nonnisi stulti et pervicaces invenirentur, qui eis contradicerent. Verum, Dilecte Amice, non adeo fumus beati. In mundo minus accurati fumus, aliquatenus conjecturam facimus, et in ratiociniis defectu demonstrationum probabile assumimus. Hoc ipsum ex omnibus tam divinis quam humanis scientiis; controversiarum et disputationum plenis, patet; quarum multitudo in causa est, quod tot diversæ apud quosvis inveniuntur sententiæ. Hac de causa olim, ut nosti, Philosophi, Sceptici dicti, qui de omnibus dubitabant, fuerunt. Hi pro et contra disputabant, ut probabile tantum verarum rationum defectu conficerentur, et ex iis unusquisque, quod probabilius videbatur, credebatur. Luna directe infra Solem est posita; et ideo Sol in quodam terræ loco obscurabitur; et si Sol non obscuratur, dum dies est, directe infra eum Luna non est posita. Hæc est probatio demonstrativa, a causa ad effectum, et ab effectu ad causam. Eiusmodi aliquot, sed valde paucae dantur, quæ a nullo, si eas modo percipiat, contradici possunt.

Quantum ad pulchritudinem, sunt quædam, quorum partes respectu aliarum proportionales, et melius quam aliæ sunt compositæ: et Deus intellectui et iudicio hominis convenientiam et harmoniam cum eo, quod proportionatum est, non vero cum eo, in quo nulla est proportio, attribuit: ut in sonis consonantibus et dissonantibus, in quibus auditus consonantiam et dissonantiam bene distinguere novit, quia illa delectationem, hæc vero molestiam adfert. Rei perfectio est etiam pulchra, quatenus nihil ei deest. Hujus multa exstant exempla, quæ, ne prolixior sim, omitto. Mundum intueamur tantummodo, cui nomen Totius vel Universi tribuitur. Si hoc verum est, uti revera est, rebus incorporeis non depravatur minuiturve. Quæ de Centauris, Hydri, Harpyis etc. dicis, hic nullum habent locum: loquimur enim de universalissimis rerum generibus, deque

primis eorundem gradibus, quæ sub se varias et innumerabiles comprehendunt species; scilicet de æterno et temporali, causa et effectu, finito et infinito, animato ac inanimato, substantia et accidenti vel modo corporali et spirituali, etc. Dico, Spiritus Deo, quia etiam spiritus est, esse similes. Tam claram de Spiritibus, quam de triangulo postulas ideam, quod impossibile est. Dic mihi, obsecro, quam de Deo habeas ideam, et an ea intellectui tuo adeo sit clara, ac idea trianguli. Scio te non habere, dixique, nos tam beatos non esse, ut res probationibus demonstrativis percipiamus, et plerumque probabile in hoc mundo prævalere. Affirmo nihilominus, quod, sicuti corpus sine memoria, etc., ita etiam memoria, etc. sine corpore, quodque, sicuti circulus sine globo, sic etiam globus sine circulo existit. Sed hoc est ab universalissimis generibus ad particulares species descendere, de quibus hoc ratiocinium non intelligitur. Dico, quod Sol sit mundi centrum, quodque stellæ fixæ longius a terra distent, quam Saturnus, et hic longius quam Jupiter, hicque longius quam Mars; adeo ut in indefinito aëre quædam remotiora a nobis, et quædam nobis propinquiora sint, quæ nos altiora vel inferiora nominamus.

Ii, qui dari Spiritus defendunt, Philosophos extra fidem non collocant, sed quidem, qui eos negant; quia omnes Philosophi, tam antiqui quam moderni, se convictos, Spiritus dari, arbitrantur. Plutarchus hujus rei testis est in Tractatibus de Philosophorum sententiis, et de Socratis genio: testantur quoque omnes Stoici, Pythagorici, Platonici, Peripatetici, Empedocles, Maximus Tyrius, Apulejus, aliique. Ex modernis nemo Spectra negat. Rejice ergo tot sapientes oculos et auritus testes, tot Philosophos, tot historicos, talia narrantes; affirma eos omnes cum vulgo stultos ac insanos esse; licet tuæ responsiones non persuadeant, sed quidem absurdæ sint, et passim scopum nostræ controversiæ non attingant, neque tu ullam quidem probationem, quæ tuam confirmet sententiam, proferas. Cæsar cum Cicerone et Catone non ridet Spectra, sed omina et præfagia; et tamen, si eo die, quo interibat, Spurinam non illussisset, ipsius hostes tot vulneribus eum non confodissent. Sed hæc hac vice sufficiant, etc.

E P I S T O L A L V I (OLIM LX).

Amplissimo Prudentissimoque Viro

H U G O N I B O X E L

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Versio *.

Amplissime Vir,

Ad tuam respondere, heri mihi traditam, propero; eo quod, si longiores necesse moras, cogar responsum diutius, quam quidem vellem, differre. Tua me turbasset valetudo, nisi te melius habere intellexissem; et spero, te jam omnino convaluisse.

Quam difficulter duo, qui diversa sequuntur principia, in materia a multis aliis dependente, invicem possint convenire, et idem sentire, ex hac Quæstione sola, licet nulla id demonstraret ratio, pateret. Dic mihi, quæso, an aliquos Philosophos videris aut legeris, qui in ea fuerunt sententia, mundum casu factum esse; nempe eo sensu, quo tu intelligis, Deum scilicet in creando mundo scopum sibi præfixum habuisse, et tamen eum, quem decreverat, transgressum esse. Nescio tale quid unquam in ullius hominis cogitationem incidisse; similiter me latet, quibus rationibus, ut credam *Fortuitum* et *Necessarium* non esse contraria, mihi persuadere conaris. Quam primum animadverto, tres trianguli angulos duobus rectis necessario æquales esse, nego quoque id casu fieri. Similiter, quam primum adverto, calorem necessarium ignis esse effectum, nego quoque id casu accidere. Quod *Necessarium* ac *Liberum* duo contraria sunt, non minus absurdum et Rationi repugnans videtur: nam nemo negare potest, Deum seipsum, et cætera omnia, libere cognoscere, et tamen cuncti communi suffragio concedunt, Deum seipsum necessario cognoscere. Quare mihi nullam inter Coactionem, vel vim, et Necessitatem differentiam constituere videris. Quod homo vult vivere, amare, etc., non est coactum opus, sed tamen necessarium, et multo

* Ab auctore facta.

magis, quod Deus vult esse, cognoscere, ac operari. Si, præter dicta, animo volvis, indifferentiam non nisi ignorantiam vel dubitationem esse, atque voluntatem semper constantem, et in omnibus determinatam, virtutem, necessariamque intellectus esse proprietatem; videbis mea verba penitus cum veritate concordare. Si affirmamus, Deum potuisse rem non velle, et non potuisse eam non intelligere, Deo diversas attribuimus libertates, alteram necessariam, alteram indifferentem; et consequenter Dei voluntatem ab essentia sua suoque intellectu diversam concipiemus, et hoc pacto in aliam ac aliam incidemus absurditatem.

Attentio, quam in præcedenti mea exegeram, non tibi visa est necessaria; et hoc fuit in causa, quod cogitationes tuas in præcipuum non defixeris, illudque, quod quam maxime ad rem faciebat, neglexeris.

Porro, ubi dicis, si in Deo actum videndi, audiendi, attendendi, volendi, etc., eosque in eo esse eminenter, nego, quod te tum lateat qualem habeam Deum; hinc suspicor te credere, non majorem esse perfectionem, quam quæ memoratis attributis explicari potest. Hæc non miror, quia credo, quod triangulum, siquidem loquendi haberet facultatem, eodem modo diceret, Deum eminenter triangularem esse, et circulus, Divinam naturam eminenti ratione circularem esse; et hac ratione quilibet sua attributa Deo adscriberet, similemque se Deo redderet, reliquumque ei deforme videretur.

Epistolæ parvitas et temporis angustia non sinunt, ut meam de Divina natura sententiam, Quæstionesque a te propositas, enucleem; præterquam quod difficultates objicere non sit proferre rationes. Nos in mundo multa ex conjectura facere, verum est; sed, nos nostras ex conjectura habere meditationes, est falsum. In communi vita verisimillimum, in Speculationibus vero veritatem cogimur sequi. Homo siti et fame periret, si, antequam perfectam obtinisset demonstrationem, cibum ac potum sibi profuturum, edere aut bibere nolle. Id autem in Contemplatione locum non habet. Econtra cavendum nobis est, quicquam tanquam verum admittere, quod solummodo verisimile est: ubi enim unam admisimus falsitatem, infinitæ sequuntur.

Porro hinc, quod Divinæ et humanæ scientiæ multis litibus et

controversiis repletæ sunt, nequit concludi, ea omnia, quæ in iis tractantur, incerta esse: quoniam plurimi fuerunt, qui tanto contradicendi studio tenebantur, ut etiam demonstrationes Geometricas iriferint. Sextus Empiricus, aliique Sceptici quos citas, dicunt falsum esse, quod totum sua parte majus est, et sic de cæteris judicant axiomatibus.

Ut vero prætermittam ac concedam *, nos, demonstrationum defectu, verisimilitudinibus debere esse contentos, dico, Demonstrationem verosimilem talem esse debere, ut, licet de ea dubitare possimus, contradicere tamen nequeamus; quia id, cui potest contradici, non vero, sed falso simile est. Si, exempli gratia, dico, Petrum in vivis esse, quia eum heri sanum conspexi, vero quidem id simile est, quatenus mihi nemo contradicere potest; si autem alius dicit, se heri vidisse eum deliquium animi passum fuisse, seque credere, Petrum inde diem obiisse supremum, hic, ut mea verba falsa videantur, efficit. Tuam conjecturam de Spectris et Lemuribus falsam et ne verisimilem quidem videri, tam clare ostendi, ut in responso tuo nihil animadversione dignum inveniam.

Ad quæstionem tuam, an de Deo tam claram quam de triangulo habeam ideam, respondeo affirmando. Si me vero interroges, utrum tam claram de Deo quam de triangulo habeam imaginem, respondebo negando: Deum enim non imaginari, sed quidem intelligere possumus. Hic quoque notandum est, quod non dico, me Deum omnino cognoscere, sed, me quædam ejus attributa, non autem omnia, neque maximam intelligere partem; et certum est, plurimorum ignorantiam, quorundam eorum habere notitiam, non impedire. Quum Euclidis elementa addiscerem, primo tres trianguli angulos duobus rectis æquari intelligebam, hancque trianguli proprietatem clare percipiebam, licet multarum aliarum ignarus essem.

Quod ad Spectra vel Lemures, hætenus nullam intelligibilem de iis auribus hausi proprietatem, sed quidem de Phantasiis, quas nemo capere potest. Quum dicis, Spectra vel Lemures hic inferius (stylum

* Verf. Belg. — Ed. Pr.: *Ut vero, prætermisso, ac concessio*, absque ullo verbo finito.

tuum sequor, licet ignorem, materiam hic inferius quam superius minoris esse pretii) ex tenuissima, rarissima, subtilissima constare substantia, videris de araneorum telis, aëre, vel vaporibus loqui. Dicere eos esse invisibiles, tantum mihi valet, ac si diceres, quid non sint, non vero quid sint; nisi forte velis indicare, quod, pro lubitu, se jam visibiles jam invisibiles reddunt, quodque imaginatio in his, sicut et in aliis impossibilibus, inveniet difficultatem.

Non multum apud me Autoritas Platonis, Aristotelis, ac Socratis valet. Miratus fuissim si Epicurum, Democritum, Lucretium, vel aliquem ex Atomistis atomorumque defensoribus protulisses: non enim mirandum est eos, qui Qualitates occultas, Species intentionales, Formas substantiales, ac mille alias nugas commenti sunt, Spectra et Lemures excogitasse, et vetulis credidisse, ut Democriti auctoritatem elevarent; cujus bonæ Famæ tantopere inviderunt, ut omnes ejus libros, quos tanta cum laude ediderat, combusserint. Si iis fidem adhibere animus est, quas rationes habes ad miracula Divæ Virginis et omnium Sanctorum negandum, quæ a tot Celeberrimis Philosophis, Theologis, ac Historicis conscripta sunt, ut horum vel centum, illorum vero vix unum producere queam? Denique, Amplissime Vir, longius quam volebam processi; nec te diutius iis rebus, quas (scio) non concedes, molestias creare volo, quia alia, longe a meis diversa, sequeris principia, etc.

EPISTOLA LVII (OLIM LXI).

Præstantissimo Acutissimoque Philosopho

B. D. S.

EHRENFR. WALTH. DE TSCHIRNHAUS.

Præstantissime Vir,

Miror faltem, quod eo ipso, quo demonstrant Philosophi, aliquid falsum esse, eadem ratione ostendant ejus veritatem: certitudinem enim intellectus in suæ Methodi initio Cartesius omnibus æqualem

esse putat, in Meditationibus autem demonstrat. Idem illi probant, qui putant se aliquid certi demonstrare posse hac ratione, ut pro indubitato a singulis hominibus accipiatur.

Sed his missis, experientiam provoco, et, ut ad hæc accurate attendas, submisse rogo; sic enim deprehendetur, si ex duobus unus aliquid affirmet, alter vero neget, et ita, ut sibi ejus sint conscii, loquantur, quod licet verbis contrarii videantur, attamen, perpensis eorum conceptibus, ambo (unusquisque pro suo conceptu) vera dicant. Quod quidem refero, cum immensæ sit in vita communi utilitatis, et possent hoc unico observato innumeræ controversiæ et inde sequentes contentiones præcaveri; quamvis veritas hæc in conceptu non semper absolute vera sit, sed positis tantum iis, quæ in intellectu supponuntur ut vera. Quæ Regula etiam adeo est universalis, ut apud omnes homines, ne dementibus quidem ac dormientibus exceptis, reperiat: quicquid enim hi dicunt, se videre (licet nobis non ita appareat) aut vidisse, certissimum est, hæc revera ita se habere. Quod etiam in casu proposito, de *Libero nempe Arbitrio*, clarissime conspicitur. Uterque enim, tam qui pro quam qui contra disputat, verum mihi dicere videtur, prout nimirum quilibet Libertatem concipit. Liberum enim dicit Cartesius, quod a nulla causa cogitur; et tu e contra, quod a nulla causa determinatur ad aliquid. Fateor itaque tecum, nos in omnibus rebus a certa causa ad aliquid determinari, et sic nullum nos habere liberum arbitrium; sed contra quoque puto cum Cartesio, in certis rebus (quod statim aperiam) nos nullatenus cogi, atque ita habere liberum arbitrium. Exemplum formabo a præsentia.

Triplex autem est Status Quæstionis: *primo*, an in res, quæ extra nos sunt, absolute aliquam habeamus potestatem? Quod negatur. Exempli gratia, quod hanc nunc exaro epistolam non est absolute in mea potestate, quandoquidem certe prius scripsissem, ni vel absentia vel amicorum præsentia impeditus fuisset. *Secundo*, an nos in motus corporis nostri, qui sequuntur, voluntate eos ad id determinante, absolute habeamus potestatem? Respondeo limitando, si nimirum sano corpore vivamus. Si enim valeo, semper me ad scribendum applicare vel non applicare possum. *Tertio*, an, quando mihi meum

Rationis exercitium usurpare licet, eo liberrime, hoc est absolute, uti possim? Ad quod respondeo affirmative. Quis enim mihi negaret, nisi contradicendo propriæ conscientiæ, quod non possum in meis cogitationibus cogitare, me velle scribere aut non scribere. Et quoad operationem quoque, quia hoc externæ causæ permittunt (quod secundum concernit casum), quod equidem tam scribendi quam non scribendi facultatem habeam; fateor quidem tecum, dari causas, quæ me ad id determinant, quod jam scribo, quia scilicet primo mihi scripsisti, eademque operâ postulavisti, ut prima occasione rescriberem, et, quia impræsentiarum datur occasio, eam non libenter amitterem. Pro certo etiam affirmo, teste conscientia, cum Cartesio, istiusmodi res me propterea non cogere, neque revera (quod negatu videtur impossibile) id nihilominus omittere posse, non obstantibus his rationibus. Si quoque cogeremur a rebus externis, cui possibile est habitum virtutis acquirere? imo hoc posito omnis malitia excusabilis esset. Sed quot modis non fit, ut, si a rebus externis ad aliquid determinemur, obfirmato tamen ac constanti ei resistamus animo!

Ut itaque superioris Regulæ clariorem dem explicationem: Ambo equidem verum dicitis proprium juxta conceptum; si autem absolutam veritatem spectemus, hæc tantum competit sententiæ Cartesii. Supponis enim in conceptu ut certum, libertatis essentiam in eo consistere, quod a nulla re determinamur. Hoc sic posito, utrumque verum erit. Veruntamen, cum essentia cujuslibet rei in eo consistat, sine quo ne quidem concipi possit, et clare sane concipiatur libertas, licet ab externis causis in nostris actionibus ad aliquid determinemur (sive, licet semper causæ sint, quæ incitamento nobis sunt, ut actiones nostras tali modo dirigamus, cum tamen id plane non efficiant), verum nullatenus, posito quod cogamur *. Vide præterea Cartesii I. Tom. Epist. 8. et 9., item II. Tom. pag. 4. Sed hæc sufficiant. Rogo, ut ad has difficultates respondeas, etc.

8. Octob. 1674.

* Oratio parum expedita. Quippe omiſſa est protaseos *cum essentia, etc.*, apodosis, qua Cartesii sententia, ut modo factum, probari debeat. Quodsi apodosis a verbis *et clare sane* inchoatam ponamus, voculâ *et* pro adverbio habitâ, non solum verbum *concipiatur* in futurum *concipietur* mutandum erit, sed im-

EPISTOLA LVIII (OLIM LXII).

Viro Doctissimo atque Expertissimo

G. H. SCHULLER

B. D. S.

*Responso ad præcedentem.**Expertissime Domine,*

Misit mihi amicus noster J. R. * literas, quas ad me dignatus es scribere, una cum iudicio tui amici de mea et Cartesii de libero arbitrio sententia; quæ mihi gratissima fuerunt. Et, quamvis in præsentia, præterquam quod valetudinem non satis firmam habeam, aliis rebus admodum distrahar, tamen vel singularis tua humanitas, vel quod ego præcipuum puto, veritatis studium, quo teneris, me cogit, ut tuo desiderio pro mei ingenii tenuitate satisfaciam. Etenim quid tuus amicus velit, antequam experientiam provocat, et accuratam attentionem petit, nescio. Quod deinde addit, *Si quando inter duos alter de re quapiam quid affirmet, alter autem neget, etc.*, verum est, si intelligit, illos duos, quamvis iisdem utantur vocabulis, de rebus tamen diversis cogitare; cujus rei exempla aliquot amico J. R. olim mihi, cui jam scribo, ut tibi eadem communicet.

Transeo igitur ad illam Libertatis definitionem, quam meam esse ait; sed nescio unde illam sumpserit. Ego eam rem liberam esse dico, quæ ex sola suæ naturæ necessitate existit et agit; Coactam autem, quæ ab alio determinatur ad existendum et operandum certa ac determinata ratione. Ex. gr. Deus, tametsi necessario, libere tamen existit, quia ex sola suæ naturæ necessitate existit. Sic etiam Deus se, et absolute omnia, libere intelligit, quia ex sola ipsius naturæ

perfectum manebit ipsum ratiocinium. — Verl. Belg. verba ad literam reddit (*Maar dewijl maar geenfins, als men stelt*). — Auerbach: *nun besteht aber doch die Wesenheit dies ist aber keineswegs der Fall, wenn man annimmt, dass u. s. w.* — Kirchmann: *denn das Wesen jeder Sache besteht.... denn immer ist damit nicht gesagt, dass wir gezwungen werden.* Et verba ejus sententiæ quæ hanc proxime præcedit, *ut certum, reddit per was sehr richtig ist* (Auerb.: *als gewiss*).

* Jan Rieuwertz, bibliopola Amstelodamensis.

necessitate sequitur, ut omnia intelligat. Vides igitur, me libertatem non in libero decreto, sed in libera necessitate ponere.

Sed ad res creatas descendamus, quæ omnes a causis externis determinantur ad existendum et operandum certa ac determinata ratione. Quod ut clare intelligatur, rem simplicissimam concipiamus. Ex. gr. Lapis a causa externa, ipsum impellente, certam motus quantitatem accipit, qua postea, cessante causæ externæ impulsu, moveri necessario perget. Hæc igitur lapidis in motu permanentia coacta est, non quia necessaria, sed quia impulsu causæ externæ definiri debet; et quod hic de lapide, id de quacunque re singulari, quantumvis illa composita et ad plurima apta esse concipiatur, intelligendum est, quod scilicet unaquæque res necessario a causa externa aliqua determinatur ad existendum et operandum certa ac determinata ratione.

Porro, concipe jam, si placet, lapidem, dum moveri pergit, cogitare et scire, se quantum potest conari, ut moveri pergat. Hic sane lapis, quandoquidem sui tantummodo conatus est conscius, et minime indifferens, se liberrimum esse, et nulla alia de causa in motu perseverare, credet, quam quia vult. Atque hæc humana illa libertas est, quam omnes habere jactant, et quæ in hoc solo consistit, quod homines sui appetitûs sint conscii, et causarum, a quibus determinantur, ignari. Sic infans se lac libere appetere credit, puer autem iratus vindictam velle, et timidus fugam. Ebrius deinde credit, se ex libero mentis decreto ea loqui, quæ postea sobrius tacuisse vellet. Sic delirans, garrulus, et hujus farinae plurimi, se ex libero mentis decreto agere, non autem impetu ferri credunt. Et quia hoc præjudicium omnibus hominibus innatum est, non ita facile eodem liberantur. Nam, quamvis experientia satis superque doceat, homines nihil minus posse, quam appetitus moderari suos, et quod sæpe, dum contrariis affectibus conflantur, meliora videant et deteriora sequantur; se tamen liberos esse credunt, idque propterea, quod res quasdam leviter appetant, et quarum appetitus facile potest contrahi memoriâ alterius rei, cujus frequenter recordamur.

His, quænam mea de libera et coacta necessitate, deque ficta humana libertate sit sententia, satis, ni fallor, explicui; ex quibus facile ad tui amici objectiones respondetur. Nam, quod cum Cartesio

ait, illum liberum esse, qui a nulla causa externa cogitur: si per hominem coactum intelligit eum, qui invitus agit, concedo nos quibusdam in rebus nullatenus cogi, hocque respectu habere liberum arbitrium. Sed si per coactum intelligit, qui, quamvis non invitus, necessario tamen agit (ut supra explicui), nego nos aliqua in re liberos esse.

At Amicus tuus contra affirmat, *nos Rationis exercitio liberrime, hoc est absolute, uti posse*; qua in re fatis, ne dicam nimis, confidenter perstat. *Quis enim, ait, nisi propria contradicendo conscientiae, negaret, me cogitationibus meis cogitare posse, quod vellem, et quod non vellem scribere.* Pervelim scire, quam ille conscientiam, præter illam, quam supra exemplo lapidis explicui, narrat. Ego sane, ne meæ conscientiae, hoc est, ne Rationi et experientiae contradicam, et ne præjudicia et ignorantiam foveam, nego, me ulla absolute cogitandi potentia cogitare posse; quod vellem, et quod non vellem scribere. Sed ipse conscientiam appello, qui sine dubio expertus est, se in somnis non habere potestatem cogitandi, quod vellet, et quod non vellet scribere; nec, cum somniat se velle scribere, potestatem habet non somniandi se velle scribere; nec minus expertum illum esse credo, quod mens non semper æque apta sit ad cogitandum de eodem objecto, sed prout corpus aptius est, ut in eo hujus vel illius objecti imago excitetur, ita mens aptior est ad hoc vel illud objectum contemplandum.

Cum præterea addit, quod causæ, cur animum ad scribendum applicuerit, ipsum quidem ad scribendum impulerint, sed non coegerint; nihil aliud significat (si rem æquo pondere examinare velis), quam quod ipsius animus ita tum erat constitutus, ut causæ, quæ ipsum alias, cum scilicet magno aliquo affectu conflictatur, non potuissent, nunc facile potuerunt flectere; hoc est, causæ, quæ ipsum alias non potuissent cogere, coegerunt jam, non ut invitus scriberet, sed ut necessario scribendi esset cupidus.

Quod porro statuit: *quod si a causis externis cogere mur, virtutis habitum acquirere possit nemo*; Nescio, quis ipsi dixerit, non posse ex fatali necessitate, sed tantummodo ex libero Mentis decreto fieri, ut firmato et constanti simus animo.

Et quod denique addit: *quod hoc posito omnis malitia excusabilis esset*; Quid inde? Nam homines mali non minus timendi sunt, nec minus perniciosi, quando necessario mali sunt. Sed de his, si placet, vide meæ Appendicis ad Cartesii Principiorum lib. I. et II. ordine Geometrico demonstrator. Partis 2. caput 8.

Denique tuus amicus, qui hæc mihi objicit, vellem ut mihi responderet, qua ratione ille humanam virtutem, quæ ex libero Mentis decreto oritur, simul concipiat cum Dei præordinatione. Quod si cum Cartesio fatetur, se hæc nescire conciliare, ergo telum, quo ipse transfixus jam est, in me vibrare conatur. Sed frustra. Nam si meam sententiam attento animo examinare velis, omnia congruere videbis, etc.

EPISTOLA LIX (OLIM LXIII).

Præstantissimo atque Acutissimo Philosopho

B. D. S.

EHRENFR. WALTH. DE TSCHIRNHAUS.

Præstantissime Vir,

Methodum tuam recte regendæ Rationis in acquirenda veritatum incognitarum cognitione, ut et Generalia in Physicis, quando impe-
trabimus? Novi te jam modo magnos in iis fecisse progressus. Prius jam mihi innotuit, et posterius noscitur ex Lemmatibus Parti secundæ Ethices adjectis, quibus multæ difficultates in Physicis facile solvuntur. Si otium et occasio sinit, a te submisso peto veram Motus Definitionem, ut et ejus explicationem, atque qua ratione, cum Extensio, quatenus per se concipitur, indivisibilis, immutabilis, etc. sit, a priori deducere possimus, tot tamque multas oriri posse varietates, et per consequens existentiam figuræ in particulis alicujus corporis, quæ tamen in quovis corpore variæ et diversæ sunt a figuris partium, quæ alterius corporis formam constituunt? Præfens mihi indicasti methodum, qua uteris in indagandis necdum cognitis

veritatibus. Experior eam Methodum valde esse præcellentem, et tamen valde facilem, quantum ego de ea concepi; et possum affirmare, hac unica observatione magnos me in Mathematicis fecisse progressus: optem idcirco, ut mihi veram traderes definitionem ideæ adæquatæ, veræ, falsæ, fictæ, et dubiæ. Differentiam inter ideam veram et adæquatam quæsi, huc usque tamen nil aliud rescire potui, quam quum rem inquisivi, et certum conceptum, vel ideam; quod, inquam, (ut porro expiscarer, an hæc idea vera etiam alicujus rei adæquata esset) ex me quæsi, quæ sit causa hujus ideæ aut conceptus; qua cognita denuo interrogavi, quæ sit rursus causa hujus conceptus, et sic semper in causas causarum idearum inquirendo perrexi, usque dum talem causam nanciscerem, cujus aliam causam rursus videre non possem, quam quod inter omnes ideas possibiles, quas penes me habeo, hæc una quoque ex iisdem existat. Si, exempli causa, inquirimus, in quo consistat vera nostrorum Errorum origo; Cartesius respondebit, quod assensum præbeamus rebus nondum clare perceptis. Verum, licet hæc vera idea hujus rei sit, nondum tamen potero omnia circa hæc scitu necessaria determinare, nisi quoque hujus rei adæquatam ideam habuero; quam ut assequar, denuo in causam hujus conceptus inquiram, quare nimirum fiat, ut assensum præbeamus rebus non clare intellectis; et respondeo, hoc fieri ex defectu cognitionis. Sed hic rursus ulterius inquirere non licet, quænam sit causa, ut quædam ignoremus; ac proinde video, me adæquatam ideam nostrorum errorum detexisse. Hic interim a te requiro, an, quia constat, multas res infinitis modis expressas habere adæquatam sui ideam, et ex quavis adæquata idea omnia ea, quæ de re sciri possunt, educi posse, quamvis facilius ex hac quam ex illa idea eliciantur; an, inquam, sit medium, quo noscatur, utra præ alia usurpanda sit. Sic, exempli gratia, adæquata idea circuli consistit in radiorum æqualitate; eadem quoque consistit in infinitis reſtāngulis sibi invicem æqualibus, factis a segmentis duarum linearum; atque sic porro infinitas habet expressiones, quarum unaquæque adæquatam circuli naturam explicat; et quamvis ex unaquaque harum omnia alia deducere liceat, quæ de circulo sciri possunt, id ipsum tamen multo facilius fit ex una harum, quam ex altera. Sic quoque,

qui Applicatas Curvarum confiderat, multa deducet, quæ ad dimensionem harum spectant, sed majori facilitate, si confideremus Tangentes, etc. Et ita indicare volui, quo usque hac in Disquisitione progressus sum; cujus perfectionem, vel si alicubi erro emendationem, nec non desideratam Definitionem exspecto. Vale.

5. Januar. 1675. *

EPISTOLA LX (OLIM LXIV).

Nobilissimo ac Doctissimo Viro

EHRENFR. WALTH. DE TSCHIRNHAUS

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Nobilissime Vir,

Inter ideam veram et adæquatam nullam aliam differentiam agnosco, quam quoddam nomen Veri respiciat tantummodo convenientiam ideæ cum suo ideato; nomen Adæquati autem naturam ideæ in se ipsa; ita ut revera nulla detur differentia inter ideam veram et adæquatam præter relationem illam extrinsecam. Jam autem, ut scire possim, ex qua rei idea ex multis omnes subjecti proprietates possint deduci, unicum tantum observo, ut ea rei idea sive definitio causam efficientem exprimat. Exempli gratia, ad circuli proprietates investigandas inquiri, an ex hac idea circuli, quod scilicet constat ex infinitis rectangulis, possim omnes ejus proprietates deducere; inquiri, inquam, an hæc idea causam circuli efficientem involvat. Quod cum non fiat, aliam quæro: nempe quod circulus sit spatium, quod describitur a linea, cujus unum punctum est fixum, alterum mobile; cum hæc Definitio jam causam efficientem exprimat, scio me omnes inde posse circuli proprietates deducere, etc. Sic quoque, cum Deum definitio

* Verf. Belg.

esse Ens summe perfectum, cumque ea definitio non exprimat causam efficientem (intelligo enim causam efficientem tam internam quam externam), non potero inde omnes Dei proprietates expromere; at quidem cum definitio Deum esse *Ens, etc.* (vide Definit. 6. Part. 1. Ethices).

Cæterum de reliquis, nimirum de Motu, quæque ad Methodum spectant, quia nondum ordine conscripta sunt, in aliam occasionem refervo.

Circa illa, quæ ais, quod ille, qui considerat Applicatas Curvarum, multa deducet, quæ ad dimensionem earum spectant, sed majori facilitate, considerando Tangentes, etc.; Ego contrarium puto, quod etiam considerando Tangentes multa alia difficiliter deducuntur, quam considerando ordinatim Applicatas, et absolute statuo, quod ex quibusdam proprietatibus alicujus rei (quacunque data idea) alia facilius, alia difficiliter (quæ tamen omnia ad naturam illius rei spectant) inveniri possint; sed hoc tantum observandum existimo, ideam talem esse inquirendam, ex qua omnia elici queant, ut supra dictum. Omnia enim ex aliqua re possibilia deducturus, necessario sequitur, ultima prioribus difficiliora fore, etc.

EPISTOLA LXI (OLIM XVII).

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS

S. P.

Nolui dimittere commodam hanc occasionem, quam Doctissimus Dom. Bourgeois, Medicinæ Docteur Cadomensis, et Reformatæ Religionis addictus, jam in Belgium abituriens, mihi offert; ut hac ratione tibi significarem, me ante aliquot septimanas tibi gratum meum animum pro Tractatu tuo mihi transmissio, licet nunquam tradito, exposuisse, at dubium fovere, num literæ illæ meæ ad manus rite per-

venerint. *Indicaveram in iis me de Tractatu illo sententiam; quam utique, dehinc re proprius inspecta et perpensa, nimis immaturam fuisse nunc existimo.* Quædam mihi videbantur tunc temporis vergere in fraudem Religionis, dum eam ex eo pede metiebar, quam Theologorum vulgus et receptæ Confessionum Formulæ (quæ nimium spirare videntur partium studiis) suppeditant. At totum negotium intimius recogitanti multa occurrunt, quæ mihi persuasum eunt, te tantum abesse, ut quicquam in Veræ Religionis solidæve Philosophiæ damnum moliaris, ut contra genuinum Christianæ Religionis finem, nec non divinam fructuosæ Philosophiæ sublimitatem et excellentiâ, commendare et stabilire allabores. Cum igitur hoc ipsum animo tuo federe nunc credam, rogatum te enixe velim, ut, quid eum in finem nunc pares et mediteris, veteri et candido Amico, qui instituti tam divini successum felicissimum totus anhelat, frequentibus literis exponere digneria. Sancte tibi polliceor, me nihil eorum ulli mortalium propalaturum, siquidem tu mihi silentium injunxeris; hoc me solummodo enixurum, ut bonorum et sagacium Virorum mentes ad amplectendas illas veritates, quas tu aliquando in ampliorem lucem depromes, sensim disponam, et præjudicia adversus Meditationes tuas concepta e medio tollam. Ni fallor, admodum penitus mihi perspicere videris Mentis humanæ naturam et vires, ejusque cum Corpore nostro Unionem. De quo argumento ut tua cogitata edocere me velis, impense oro. Vale, Vir Præstantissime, et Doctrinæ ac virtutis tuæ Cultori Studiofimo favere perge

HENR. OLDENBURG.

Londini, 8. Jun. 1675. *

EPISTOLA LXII (OLIM XVIII).

Clarissimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS.

Commercio nostro literario sic feliciter instaurato, Vir Clarissime,

* Verf. Belg. — Ed. Pr.: 8 Octob. 1665.

nolim amici officio deesse literarum intermissione. Cum ex responsione tua 5. Julii ad me data intellexerim, animo sedere tuo, Tractatum illum tuum Quinquepartitum publici juris facere, permittas, quæso, te moneam ex affectûs in me tui sinceritate, ne quicquam misceas, quod Religiosæ virtutis praxin labefactare ullatenus videatur, maxime cum degener et flagitiosa hæc ætas nil venetur avidius, quam dogmata ejusmodi, quorum conclusiones grassantibus vitiis patrocinari videantur.

De cætero non renuam aliquot dicti Tractatus exemplaria recipere. Hoc duntaxat rogatum te velim, ut suo tempore mercatori cuidam Belgico, Londini commoranti, inscribantur, qui mihi postmodum tradenda curet. Nec opus fuerit verba de eo facere, libros scilicet istiusmodi ad me fuisse transmissos: dummodo enim in potestatem meam tuto pervenerint, nullus dubito, quin commodum mihi futurum sit, eos amicis meis hinc inde distribuendi, justumque pro iis pretium consequendi. Vale, et quando vacaverit rescribe

Tui Studiofissimo

HENR. OLDENBURG.

Londini, 22. Julii 1675.

EPISTOLA LXIII (OLIM LXV).

Præstantissimo Acutissimoque Philosopho

B. D. S.

G. H. SCHULLER.

Epistolam, in editione Opp. Posth., ab ipso auctore, ut videtur, admodum truncatam, ex autographo, quod penes ecclesiam Teleiobaptistarum Amstelodamensem est, integram repetimus.

Vir Nobilissime ac Præstantissime,

Erubescerem ob diuturnum hætenus silentium meum, unde pro favore a Benevolentia Tua mihi immerito exhibito ingratitude accusari possem, nisi et cogitarem, generosam Tuam humanitatem ad excusandum potius quam incusandum inclinare, et scirem, eandem

pro communi Amicorum Bono tam feriis vacare meditationibus, quales sine fontica turbare causa, eidem noxium atque damnosum foret. Hanc itaque ob causam filii, contentus ex Amicis prosperam Tuam valetudinem interea percipere, sed per præsentis significare nitor, eadem nobilissimum amicum nostrum D^{um} de Tschirnhausen nobiscum in Anglia adhuc frui, qui ter in suis (quas ad me dedit literis) Domino sua officia cum salute honorifica impertiri iussit; me iterato rogans, ut sequentium dubiorum solutionem tibi proponerem, insimulque ad ea responsum desideratam expeterem: Nimirum, num placeret Domino demonstratione aliqua ostensiva, sed non ad impossibile deducendo convincere, Nos non posse plura de Deo attributa cognoscere quam cogitationem et extensionem; præterea num inde sequatur, quod creaturæ, quæ aliis attributis constant, econtra nullam possent concipere extensionem, atque sic viderentur constituendi tot mundi, quot sunt attributa Dei; Ex. gr. Mundus noster extensionis, ut ita dicam, quantæ amplitudinis existit, tantæ quoque amplitudinis Mundi, qui aliis attributis constant, existerent, quodque sicuti nos nihil nisi extensionem percipimus præter cogitationem, sic creaturæ illorum Mundorum nihil aliud deberent percipere, nisi attributum sui Mundi ac cogitationem.

Secundo, Cum Dei intellectus a nostro intellectu tam essentiâ quam existentiâ differat, ergo nihil commune habebit cum nostro intellectu, ac proinde (per 3. prop. lib. 1.) Dei intellectus non potest esse causa nostri intellectus.

Tertio, In Scholio p. 10. dicis, nihil in Natura clarius, quam quod unumquodque Ens sub aliquo attributo debeat concipi (quod optime percipio), et quo plus realitatis aut esse habet, eo plura attributa ipsi competunt: Videretur hinc sequi, dari Entia, quæ tria, quatuor, etc. Attributa habeant, dum tamen ex demonstratis colligere licuit, unumquodque Ens duobus tantum attributis constare, Nimirum certo aliquo attributo Dei et idea ejusdem attributi.

Quarto, Exempla eorum, quæ immediata a Deo producta, et quæ mediante aliqua modificatione infinita, desiderarem; Mihi videntur primi generis esse cogitatio et extensio, posterioris Intellectus in cogitatione, Motus in extensione, etc.

Hic in margine:

[facies totius naturæ, quæ quamvis infinitis modis variet manet
semper eadem. Vide Sch. pr. 13. p. 2.]

Atque hæc sunt, quæ a Præstantia Tua prædictus noster Tschirn-
hausen illustrari mecum desiderat, si forte otium subsecivum id con-
cesserit, cæterum refert D^m Boyle et Oldenburgh mirum de Tua per-
sona formasse conceptum, quem ipse eisdem non solum [*adde* non]
ademit, sed rationes addidit, quarum inductione, iterum non solum
dignissime et faventissime de eadem sentiant, sed et T. Theol. Politi-
cum summe æstiment, cujus pro regimine Tuo Te certiore facere
non fui ausus, certissimus, me ad quævis officia esse et vivere

Nobilissimi Viri

Amsterd. 25. Julii 1675.

Servum paratissimum

G. H. SCHULLER.

D. a Gent * officiose salutat
una cum J. Ricw. **

EPISTOLA LXIV (OLIM LXVI).

Doxissimo Expertissimoque Viro

G. H. S C H U L L E R

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Expertissime Vir,

Gaudeo, quod tandem occasio tibi oblata fuerit, ut me tuis literis,
mihi semper gratissimis, recreares; quod ut frequenter facias, enixe
rogo, etc.

Ad dubia pergo, et quidem ad primum dico, Mentem humanam
illa tantummodo posse cognitione assequi, quæ idea corporis actu
existentis involvit, vel quod ex hac ipsa idea potest concludi. Nam

* Tschirnhausio, ut fertur, postea ab actis.

** Rieuwertsz, bibliopola Amstelodamensi.

cujuscunque rei potentia solâ ejus essentia definitur (per Prop. 7. p. 3. Ethices), Mentis autem essentia (per Prop. 13. p. 2.) in hoc solo consistit, quod sit idea Corporis actu existentis, ac proinde Mentis intelligendi potentia ad ea tantum se extendit, quæ hæc idea Corporis in se continet, vel quæ ex eadem sequuntur. At hæc Corporis idea nulla alia Dei attributa involvit neque exprimit, quam Extensionem et Cogitationem. Nam ejus ideatum, nempe Corpus (per Prop. 6. p. 2.), Deum pro causa habet, quatenus sub attributo Extensionis, et non quatenus sub ullo alio consideratur, atque adeo (per Axiom. 6. p. 1.) hæc Corporis idea Dei cognitionem involvit, quatenus tantummodo sub Extensionis attributo consideratur. Deinde hæc idea, quatenus cogitandi modus est, Deum etiam (per eandem Prop.) pro causa habet, quatenus res est cogitans, et non quatenus sub alio attributo consideratur; adeoque (per idem Axiom.) hujus ideæ idea Dei cognitionem involvit, quatenus sub Cogitationis, et non quatenus sub alio attributo consideratur. Apparet itaque, Mentem humanam, sive Corporis humani ideam, præter hæc duo nulla alia Dei attributa involvere neque exprimere. Cæterum ex his duobus attributis, vel eorundem affectionibus, nullum aliud Dei attributum (per Prop. 10. p. 1.) concludi neque concipi potest. Atque adeo concludo, Mentem humanam nullum Dei attributum præter hæc posse cognitione assequi, ut fuit propositum. Quod autem addis, An ergo tot mundi constituendi sunt, quot dantur attributa? vide Schol. Prop. 7. p. 2. Ethices. Possit præterea hæc Propositio facilius demonstrari, deducendo rem ad absurdum; quod quidem demonstrandi genus, quando Propositio negativa est, præ altero eligere soleo, quia cum natura similium magis convenit. Sed quia positivum tantummodo petis, ad alterum transeo, quod est, an id possit ab alio produci, in quo tam essentia quam existentia discrepat: nam quæ ab invicem ita differunt nihil commune habere videntur. Sed cum omnia singularia, præter illa, quæ a suis similibus producuntur, differant a suis causis, tam essentia quam existentia, nullam hic dubitandi rationem video.

Quo autem ego sensu intelligam, quod Deus sit causa efficiens rerum, tam essentia quam existentia, credo me fatis explicuisse in Schol. et Coroll. Prop. 25. p. 1. Ethic.

Axioma Scholn Prop. 10. p. 1., ut in fine ejusd. Scholii innui, formamus ex idea, quam habemus, Entis absolute infiniti, et non ex eo, quod dentur aut possint dari entia, quæ tria, quatuor, etc. attributa habeant.

Denique exempla, quæ petis, primi generis, sunt in Cogitatione intellectus absolute infinitus, in Extensione autem motus et quies; secundi autem, facies totius Universi, quæ quamvis infinitis modis variet, manet tamen semper eadem; de quo vide Schol. 7. Lemmatis ante Prop. 14. p. 2.

His, Vir præstantissime, ad tuas nostrique amici objectiones respondisse me credo; si tamen scrupulum adhuc remanere existimas, rogo, ut mihi significare non graveris, ut eum etiam, si possim, evellam. Vale, etc.

Hagæ Com. 29 Julii 1675.

EPISTOLA LXV (OLIM LXVII).

Acutissimo ac Doctissimo Philosopho

B. D. S.

EHRENFR. WALTH. DE TSCHIRNHAUS.

Vir Clarissime,

Abs te peto Demonstrationem ejus, quod dicis; nempe quod anima non possit plura attributa Dei, quam Extensionem et Cogitationem percipere. Quod quidem licet evidenter videam, contrarium tamen ex Schol. Prop. 7. part. 2. Ethices posse deduci mihi videtur, forte non aliam ob causam, quam quia sensum hujus Scholii non satis recte percipio. Constitui ergo, hæc qua ratione deducam, exponere, te, Vir Cl., obnixè rogans, ut mihi velis, ubicunque sensum tuum non recte assequor, solita tua humanitate succurrere. Ea autem sic sese habent. Quod, licet inde colligam, mundum utique unicum esse, id tamen exinde non minus quoque clarum est, eum ipsum infinitis modis expressum, ac proinde unamquamque rem singularem in-

finitis modis expressam esse. Unde videtur sequi, quod Modificatio illa, quæ Mentem meam constituit, ac Modificatio illa, quæ Corpus meum exprimit, licet una et eadem sit Modificatio, ea tamen infinitis modis sit expressa, uno modo per Cogitationem, altero per Extensionem, tertio per attributum Dei mihi incognitum, atque sic porro in infinitum, quia infinita dantur Attributa Dei, et Ordo et Connexio Modificationum videtur esse eadem in omnibus. Hinc jam Quæstio oritur, quare Mens, quæ certam Modificationem repræsentat, et quæ eadem Modificatio non solum Extensione, sed infinitis aliis modis est expressa; quare, inquam, tantum Modificationem illam per Extensionem expressam, hoc est, Corpus humanum, et nullam aliam expressionem per alia attributa percipiat. Sed tempus mihi non permittit, ut ea prolixius prosequar; forte hæc dubia omnia crebrioribus Meditationibus eximentur.

Londini, 12. August. 1675.

EPISTOLA LXVI (OLIM LXVIII).

Nobilissimo ac Doctissimo Viro

EHRENFR. WALTH. DE TSCHIRNHAUS

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Nobilissime Vir,

Cæterum, ad tuam Objectionem ut respondeam, dico, quod, quamvis unaquæque res infinitis modis expressa sit in infinito Dei intellectu, illæ tamen infinitæ ideæ, quibus exprimitur, unam eandemque rei singularis Mentem constituere nequeunt, sed infinitas: quandoque unaquæque harum infinitarum idearum nullam connexionem invicem habent, ut in eodem Scholio prop. 7. Part. 2. Ethic. explicui, et ex prop. 10. Part. 1. patet. Ad hæc si aliquantulum attendas, nihil difficultatis superesse videbis, etc.

Hagæ, 18. August. 1675.

EPISTOLA LXVII (OLIM LXXIII).

Doctissimo et Acutissimo Viro

B. D. S.

ALBERTUS BURGH*

S. P.

Promisi tibi scribere ex Patria discedens, nimirum si quid digni mihi in itinere occurreret; hæc autem occasio cum mihi data sit, maximeque quidem momenti, debitum meum perfolvo, tibi significans, me per Infinitam Dei Misericordiam in Ecclesiam Catholicam reductum, ejusdemque membrum effectum esse; quod quomodo acciderit, ex scripto, quod Clarissimo Expertissimoque Viro D. Craeneno, Professori Leidensi ** misi, particularius intelligere tibi licebit; jamque hinc, ad tuam quæ spectant utilitatem, brevibus subjungam.

Quo magis te antea aliquando præ subtilitate et acumine tui ingenii admiratus sum, eo magis te nunc desleo et deploro; quoniam, homo cum sis ingeniosissimus, et præclaris dotibus mentem a Deo ornatam nactus, veritatisque amans, imo avidus sis, te tamen a misero et superbissimo illo Spirituum scelestorum Principe circumduci et decipi patiaris. Tota enim tua Philosophia quid est, nisi mera illusio et Chymæra? et tamen non solum illi tranquillitatem mentis tuæ in hac vita, sed et salutem æternam animæ tuæ committis. Vide quam misero omnia tua innitantur fundamento. Te veram Philosophiam demum invenisse præsumis. Quomodo scis, tuam Philosophiam optimam esse inter illas omnes, quæ unquam in mundo

* In Album Studiosorum Academix Lugduno-Batavæ die 20. m. Febr. a. 1668 relatus erat Albertus Burgh Amstelodamensis, viginti annos natus, philosophiæ opera daturus. Antea, ut credere licet, „nimis adhuc puer” Rhenoburgi philosophi contubernalis fuerat (vide supra Ep. IX. p. 33). Filius erat Conradi Burgh scabini Amstelodamensis et Christinæ Hooft; anno 1673 cura patris Dominicani Mart. Harney ad Catholicismum conversus est. Cff. excerpta ex Apologia Antonii Arnaud in Diario De Dietfche Warande, N. R. III. p. 70 sq.

** Theodorus Cranen f. Kranen, Coloniae Agrippinæ natus anno 1633 vel 1634, primum Noviomagi, deinde Lugduni Batavorum professoris munere functus est; hic anno 1673, quippe Cartesi affecla, e cathedra philosophica, quam per triennium occupaverat, in medicam translatus.

doctræ fuerunt, etiamnum docentur, aut unquam imposterum docentur? An, ut de excogitatione futurarum taceam, omnes illas Philosophias, tam antiquas quam novas, quæ hic, et in India, et ubique per totum terrarum orbem docentur, examinasti? et quamvis illas rite examinaveris, quomodo scis te optimam elegisse? Dices, mea Philosophia Rationi rectæ congrua est, cæteræ eidem repugnant; sed omnes reliqui Philosophi præter tuos discipulos a te dissentiunt, ac eodem jure idem, quod tu de tua, ipsi de se suaque Philosophia prædicant, teque, sicut tu illos, falsitatis errorisque arguunt. Manifestum igitur est, a te, ut veritas tuæ Philosophiæ eluceat, proponendas esse rationes, quæ reliquis Philosophiis non sint communes, sed soli tuæ applicari possint; aut tuam Philosophiam æque incertam et nugatoriam esse, ac alias reliquas, fatendum est.

Jam autem me ad librum tuum, cui titulum istum impium præfixisti, restringens, confundensque Philosophiam tuam cum tua Theologia; quoniam tu ipse illas revera confundis, quamvis astutiâ Diabolicâ unam ab altera separatam esse, et diversa principia habere, statuere obtendas; sic ulterius pergo.

Dices itaque forsan: alii S. Scripturam toties non legerunt, quam ego, et ex illa ipsa S. Scriptura, cujus agnitio authoritatis differentiam inter Christianos et reliquos totius mundi populos constituit, probo mea placita. Sed quomodo? applicando textus claros obscurioribus S. Scripturam explico, et ex illa mea interpretatione Dogmata mea compono, vel jam antea in cerebro meo conflata confirmo. Sed obsecro, ut reflectas serio ad hoc, quod dicitis; quomodo enim scis te bene dictam istam applicationem facere, et deinde istam applicationem rite factam interpretationi S. Scripturæ sufficientem esse, sicque te bene ejusdem S. Scripturæ interpretationem instituere? præsertim cum Catholici dicant, et verissimum sit, Verbum Dei universon non esse scriptis traditum, et sic S. Scripturam per S. Scripturam solam non posse explicari, non dicam ab uno homine, sed ne quidem ab ipsa Ecclesia, quæ sola est S. Scripturæ interpres. Traditiones enim Apostolicæ etiam consulendæ sunt; quod ex ipsa S. Scriptura et Sanctorum Patrum testimonio probatur, nec non Rationi rectæ pariter ac experientiæ consentaneum est. Atque ita,

falsissimum cum sit tuum principium, et in exitium ducens; ubi tota tua doctrina, huic falso fundamento innixa et superædificata, remanebit?

Sic igitur, si in Christum crucifixum credis, agnosce pessimam tuam hæresin, resipiscas a perversione tuæ naturæ, et cum Ecclesia reconciliator.

Quid enim alio modo tua probas, quam omnes Hæretici, qui unquam ex Ecclesia Dei exierunt, etiamnum exeunt, aut unquam imposterum exhibunt, fecerunt, faciunt, aut facient? Omnes enim, sicut et tu, eodem principio, scilicet sola S. Scriptura, ad sua dogmata constanda et stabilienda utuntur.

Neque tibi abblandiatur, quod forte Calvinistæ, seu Reformati dicti, neque Lutherani, neque Mennonitæ, neque Sociniani, etc. tuam Doctrinam refellere possint: omnes enim isti, ut jam dictum est, æque miseri sunt ac tu es, et pariter tecum in umbra mortis sedent.

Si vero in Christum non credis, miserior es quam effari possum; remedium tamen facile est: resipisce enim a peccatis tuis, animadvertens arrogantiam exitialem miseri et infani tui ratiocinii. In Christum non credis: quare? Dices, quia principiis meis Doctrina et vita Christi, nec non Christianorum de ipso Christo Doctrina meæ Doctrinæ minime convenit. Sed iterum dico, tunc te majorem cogitare audes omnibus iis, qui unquam in Civitate vel Ecclesia Dei surrexerunt, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Doctoribus, Confessoribus, et Virginibus, Sanctis innumeris, imo per blasphemiam ipso Domino Jesu Christo? Tune illis solus doctrina, vivendi modo, in omnibus denique antecellis? Tune miser homuncio, vilis terræ vermiculus, imo cinis, vermium esca, teipsum Incarnatæ Sapientiæ Infinitæ Æterni Patris, blasphemiam ineffabili, præferre gesties? Tune solus prudentiorem et majorem te ipsum reputabis omnibus iis, qui unquam ab initio mundi in Ecclesia Dei fuerunt, et in Christum venturum aut jam ventum crediderunt, aut etiamnum credunt? Quo fundamento innititur hæc tua temeraria, infana, deplorabilis, et execranda arrogantia?

Negas, Christum filium Dei vivi, Verbum æternæ sapientiæ Patris, manifestatum in carne, et pro genere humano passum et crucifixum

esse. Quare? quia principiis tuis illud omne non respondet. Sed, ultra quod probatum jam sit, te vera principia non habere, sed falsa, temeraria, absurda, nunc plus dico; nimirum quod, etiam si veris principiis innixus fueris, et iisdem omnia superstrueres, nihilo magis tamen per eadem, illa omnia, quæ in mundo sunt, evenerunt, aut eveniunt, explicare posses, neque audaçter asserere tibi liceret, cum aliquid ipsis principiis videtur repugnare, illud idcirco revera impossibile esse aut falsum. Quamplurima enim sunt, imo innumera, quæ, si aliquid certi cognosci datur in rebus naturalibus, explicare tamen minime poteris; sed neque quidem apparentem talium Phænomenorum contradictionem cum reliquorum tuis explanationibus, a te pro certissimis habitis, auferre. Nullum penitus ex tuis principiis explicabis eorum, quæ in fascinatione, et præcantationibus verborum certorum, sola pronuntiatione, aut simplici illorum aut characterum in quacunque materia expressorum gestatione, efficiuntur, nec non Phænomenorum stupendorum a Dæmoniis obsessorum, quorum omnium ego ipse varia exempla vidi, et innumerorum talium certissima testimonia quamplurimum personarum fide dignissimarum, et uno ore loquentium, intellexi. Quid poteris judicare de rerum omnium essentiis, concessio, quod ideæ aliquæ, quas in mente habes, rerum istarum essentiis, quarum ideæ sunt adæquatæ, convenient? cum securus nunquam esse possis, an omnium rerum creaturarum ideæ in mente humana habeantur naturaliter, an vero multæ, si non omnes, in eadem produci possint, et revera producantur, ab objectis externis, ac etiam per suggestionem spirituum bonorum malorumve, Divinamque revelationem evidentem. Quomodo itaque non consulens aliorum hominum testimonia, et rerum experientiam, ne jam dicam de subjiçiendo tuo judicio omnipotentæ Divinæ, ex tuis principiis definire præcise poteris, stabilireque pro certo existentiam actualem aut non existentiam, possibilitatem aut impossibilitatem existendi, harum ex. gr. sequentium rerum (scilicet illas vel dari actualiter, vel non dari, aut posse dari, vel non posse dari in Rerum Natura), uti sunt virga probatoria ad detegendum metalla et aquas subterraneas; lapis, quem quærunt Alchymistæ; potentia verborum et characterum; apparitiones spirituum variorum tam bonorum quam malorum, eorundemque po-

tentia, scientia, et occupatio; repræsentatio plantarum et florum in Phiala vitrea post illarum combustionem; Syrenes; homunculi in mineris sæpius fese, ut fertur, ostendentes; Antipathiæ et Sympathiæ rerum quamplurimarum; Impenetrabilitas corporis humani; etc.? Nihil prorsus, mi Philosopher, etiamsi millies subtiliore et acutiore, quam polles, ingenio prævaleres, horum dictorum poteris determinare; et si soli intellectui tuo in hisce et similibus dijudicandis confidis, certe eodem modo jam cogitas de illis, quæ tibi incognita aut incomperta sunt, ac proinde impossibilia habentur, sed verè incerta tantum, donec testimonio quamplurimum fide dignorum testium convictus fueris, deberent videri. Sicut Julius Cæsar, uti mihi imaginor, judicaturus fuisset, aliquo ipsi dicente, pulvis aliquis componi potest, et posterioribus sæculis communis reddetur, cujus potentia tam erit efficax, ut castella, civitates integras, imo montes ipsos in aëra proflire faciat, et in quovis loco conclusus, subito post accensionem suam se mirum in modum dilatans, omne, quod actionem ejus impedit, dirumpat; hoc enim Julius Cæsar nullo modo credidisset, sed plenis cachimis irrisisset hunc hominem, utpote volentem ipsi persuadere rem judicio ipsius ac experientiæ, summæque scientiæ militari, contrariam.

Sed in viam redeamus. Si hæc prædicta igitur non cognoscis, neque dijudicare potes, quid superbiâ Diabolicâ tumidus miser homo judicabis temerario de Mysteriis tremendis vitæ et Passionis Christi, quæ ipsi Catholici docentes incomprehensibilia prædicant? Quid porro insanies, nugatorie et futiliter garriendo de Miraculis innumeris et signis, quæ post Christum Apostoli et Discipuli ejus, et deinceps aliquot millia Sanctorum, in testimonium et confirmationem veritatis Fidei Catholicæ per omnipotentem Dei virtutem ediderunt, ac per eandem Dei omnipotentem Misericordiam et Bonitatem etiamnum diebus nostris sine numero per totum terrarum orbem fiunt? Et si hisce contradicere non potes, ut certe minime poteris, quid plus obstrepis? Manum da, et respice ab erroribus et a peccatis tuis; humilitatem indue, et regenerator.

Verum præterea ad veritatem facti, sicut revera est fundamentum Religionis Christianæ, descendere libet. Quomodo audebis negare,

si recte attendas, efficaciam consensûs tot myriadam hominum, quorum aliquot millia doctrina, eruditione, et vera subtili soliditate, vitæque perfectione, te multis parasangis antecelluere ac antecellunt, qui omnes unanimiter et uno ore affirmant, Christum Filium Dei vivi incarnatum esse passum et crucifixum, mortuumque esse pro peccatis generis humani, surrexisset, transfiguratum esse, regnare in cœlis cum Patre æterno in unitate Spiritus Sancti Deum, et reliqua, quæ huc spectant; ab eodem Domino Jesu, et in nomine ejus postea ab Apostolis reliquisque Sanctis per virtutem Divinam et Omnipotentem miracula innumera, captum humanum non tantum excedentia, sed et sensui communi repugnantia, in Ecclesia Dei facta fuisse (quorumque in hunc diem usque indicia materialia innumera, et longe lateque per orbem terrarum diffusa visibilia signa supersunt) ac etiamnum fieri? An non eodem modo liceret mihi negare, Romanos antiquos unquam in mundo fuisse, Imperatoremque Julium Cæsarem oppressâ Reip. Libertate illorum regimen in Monarchiam mutasse? nihil videlicet curanti tot monumenta omnibus obvia, quæ de Romanorum potentia nobis tempus reliquit, nec non contra testimonium gravissimorum illorum authorum, qui unquam Historias Romanæ Reip. et Monarchiæ, particulariter ibi plurima de Julio Cæsare narrantes, conscripserunt, et judicium tot hominum millium, qui aut dicta monumenta ipsi viderunt, aut iis (utpote quæ ab innumeris existere affirmantur) pariter ac dictis historiis fidem unquam adhibuerunt, ac etiamnum adhibent; hoc cum fundamento, nimirum quod hac nocte præterita somniassem, monumenta, quæ de Romanis restant, non esse res actuales, sed meras illusiones; similiter et illa, quæ de Romanis dicuntur, paria esse cum iis, quæ libri isti, quos Romanos vocant, de Amadiis de Galliis, et similibus Heroibus pueriliter narrant; nec non, Julium Cæsarem aut nunquam* in mundo fuisse, aut, si extitit, hominem fuisse Atrabilarium, qui non revera Romanorum Libertatem conculcavit, seipsum super Majestatis Imperatoriæ Thronum erigens, sed ad credendum, se hæc magna perfecisse, suâ propriâ stultâ imaginatione, vel amicorum ipsi blandientium persuasione, inductus fuit?

* Ed. Pr.: *unquam*.

Annon profus eodem modo liceret mihi negare, regnum Chinæ a Tartaris occupatum, Constantinopolin sedem Imperii Turcarum esse, et similia innumera? Verum an ullus me hæc negantem mentis haberet compotem, ac insanix deplorandæ excusaret? Quoniam omnia hæc communi aliquot millium hominum consensu innituntur, ac idcirco eorum certitudo est evidentissima, quia impossibile est, ut omnes talia, imo quamplurima alia asserentes, seipsos fefellerint, aut fallere alios voluerint per tot sæculorum, imo in quamplurimis a primis mundi annis, usque in hunc diem successione.

Confidera secundo, Ecclesiam Dei ab initio mundi ad hunc usque diem non interrupta successione propagatam, immotam, ac solidam persistere; cum omnes aliæ Religiones, Paganæ aut Hæreticæ, initium saltem postea, si non et jam finem habuerint, idemque de regnorum Monarchiis, et Philosophorum quorumvis opinionibus, dici debeat.

Confidera deinde tertio, Ecclesiam Dei per adventum Christi in carne a cultu Veteris ad Novi Testamenti cultum redactam, et ab ipso Christo Filio Dei vivi fundatam, propagatam deinceps fuisse ab Apostolis, et eorum Discipulis et successoribus; hominibus, secundum mundum, indoctis, qui tamen Philosophos omnes confuderunt, quamvis Doctrinam Christianam, quæ sensui communi repugnat, et omne humanum ratiocinium excedit et transcendit, docuerint; hominibus, secundum mundum, abjectis, vilibus, et ignobilibus, quos non adjuvit potentia Regum aut Principum terrenorum, sed qui econtra ab iisdem omni tribulatione persecuti, et reliquas mundi adversitates perpeffi sunt, quorumque opus, quo magis Potentissimi Imperatores Romani illud impedire, imo opprimere nitebantur, quot poterant Christianos omnis generis martyrio interficientes, tanto plus incrementi cepit; atque hoc pacto brevi temporis spatio per totum terrarum orbem diffusam esse Christi Ecclesiam, ac tandem, ad fidem Christianam conversis ipso Romano Imperatore, et Regibus Principibusque Europæ, in illam Potentiæ vastitatem excrevisse Hierarchiam Ecclesiasticam, sicut illam hodie admirari licet; idque omne effectum per charitatem, mansuetudinem, patientiam, fiduciam in Deo, et reliquas Christianas virtutes (non armorum strepitu, exercituum numeroforum vi, et devastatione Regionum, sicuti Principes mundani

limites suos extendunt), nihil adversus Ecclesiam prævalentibus Inferi portis, ut ei promisit Christus. Hic etiam perpende terribile et ineffabiliter severum supplicium, quo Judæi ad ultimum miseræ et calamitatis gradum depreffi sunt, quia Christum crucifigendi auctores fuerunt. Percurre, volve, ac revolve omnium temporum Historias, et nihil simile quid in alia quavis Societate accidisse, ne per fornicium quidem, illic invenies.

Animadvertite quarto, in essentia Catholicæ Ecclesiæ includi, et revera ejusdem Ecclesiæ inseparabiles esse, proprietates; nimirum *Antiquitatem*, qua succedens in locum Religionis Judaicæ, quæ tunc temporis vera erat, initium suum a Christo ante sexdecim et dimidium sæcula numerat, et per quam nunquam interruptæ successiones suorum Pastorum seriem ducit, quaque fit, ut illa sola libros Sacros Divinosque puros et incorruptos, una cum traditione Verbi Dei non scripti æque certa ac immaculata, possideat; *Immutabilitatem*, qua Doctrina ejus, et administratio Sacramentorum, prout ab ipso Christo et Apostolis statuta est, inviolata, atque, uti convenit, in suo vigore conservatur; *Infalibilitatem*, qua omnia ad fidem pertinentia summâ cum autoritate, securitate, et veritate determinat et decedit secundum potestatem ipsi a Christo hunc in finem largitam, et Spiritus Sancti, cujus Ecclesia Sponsa est, directionem; *Irreformabilitatem*, qua, corrumpi et falli fallereque cum non possit, nunquam egere constat; *Unitatem*, qua omnia ejus membra idem credunt, idem quoad fidem docent, unum idemque altare, et omnia Sacramenta, communia habent, ac tandem in unum eundemque finem conspirant, sibi mutuo obedientia; *Nullius anima*, sub quocunque demum prætextu, *ab ipsa Separabilitatem*, quin simul incurrat æternam damnationem, nisi ante mortem eidem iterum per pœnitentiam fuerit unita; qua patet, omnes hæreses ex illa exiisse, dum illa semper, sibi eadem constans, et stabiliter firma, utpote Petræ inædificata, permanet; *Extensionem Vastissimam*, qua per totum mundum sese, idque visibiliter, diffundit; quod de nulla alia Societate, Schismatica, aut Hæretica, aut Pagana, neque de ullo Politico Regimine, aut Philosophica Doctrina, asseri potest, sicuti nec ulla ex dictis proprietatibus Ecclesiæ Catholicæ ulli alii Societati convenit aut convenire potest;

ac tandem *Perpetuitatem usque ad finem mundi*, de qua securam ipsam reddidit ipsa Via, Veritas, et Vita, quamque experientia omnium dictarum proprietatum, similiter ipsi ab eodem Christo per Spiritum Sanctum promissarum ac datarum, manifeste etiam demonstrat.

Collige quinto, ordinem admirabilem, quo dirigitur ac gubernatur Ecclesia, tantæ molis corpus, indicare manifeste, illam admodum particulariter a Dei Providentia dependere, et a Spiritu Sancto mirabiliter disponi, protegi, ac dirigi ejus administrationem; sicut harmonia, quæ in cunctis rebus hujus universi perspicitur, Omnipotentiam, Sapientiam, et Providentiam Infinitam, quæ omnia creavit, et etiamnum conservat, indigitat: in nulla enim alia societate talis ordo, tam pulcher, et strictus, et sine interruptione, servatur.

Cogita sexto, Catholicos (ultra quod innumeri utriusque sexus, quorum adhuc hodie multi supersunt, aliquos ipsemet vidi et novi, admirabiliter et sanctissime vixerint, et per virtutem Dei omnipotentem in Nomine adorando Jesu Christi multa miracula fecerint, nec non quotidie adhuc fiant conversiones momentaneæ quamplurimorum a pessima ad meliorem, vere Christianam, et sanctam vitam) universos in genere, quo sanctiores et perfectiores, eo humiliores esse, seque magis indignos reputare, et aliis cedere laudem Sanctioris vitæ; peccatores autem vel maximos semper nihilominus respectum debitum in Sacra retinere, confiteri suam propriam malignitatem, accusare propria vitia et imperfectiones, et ab illis velle liberari, et sic emendari: ita ut possit dici, perfectissimum Hæreticum aut Philosophum, qui unquam fuit, vix inter imperfectissimos Catholicos mereri ut consideretur. Ex quibus etiam liquet, et evidentissime sequitur, Doctrinam Catholicam sapientissimam et profunditate admirabilem esse, uno verbo, omnes reliquas Doctrinas hujus mundi antecellere; siquidem homines meliores cæteris alius cujusvis Societatis efficiat, illosque viam securam ad tranquillitatem mentis in hac vita, et salutem animæ æternam post eandem consequendam, doceat ac tradat.

Septimo reflecte serio ad multorum Hæreticorum obstinatione induratum, et gravissimorum Philosophorum, confessionem publicam; nimirum quod, post receptam ab ipsis fidem Catholicam, demum viderint cognoverintque, se antea miseros, cæcos, ignorantes, imo

stultos et insanos fuisse, dum præ superbia tumidi, et arrogantia vento inflati, se supra cæteros doctrinæ, eruditionis, et vitæ perfectione longe evertos esse sibi falso persuadebant; et quorum deinde aliqui vitam sanctissime traduxerunt, et innumerorum miraculorum memoriam post se reliquerunt, alii martyrio alacriter et summo cum jubilo obviam ierunt, nonnulli etiam, inter quos Divus Augustinus, subtilissimi, profundissimi, sapientissimi, ac proinde utilissimi Ecclesiæ Doctores, imo sicut columnæ effecti sunt.

Et reflecte tandem ultimo ad miserrimam et inquietam vitam Atheorum, quamvis præ se ferant aliquando magnam mentis hilaritatem, et jucunde, ac cum summa interna animi pace, vitam traducere velint videri; præcipue vero infelicissimam et horrendam eorundem mortem intueri, quorum aliqua exempla ipsemet vidi, quamplurima, imo innumera, ex relatione aliorum et ex Historia æque certo scio; Et discere horum exemplo in tempore sapere.

Atque sic igitur vides, aut saltem te videre spero, quam temerarie te ipsum committas opinionibus tui cerebri (si enim Christus verus Deus est, et homo simul, ut certissimum est, vide, quo redactus sis: perseverans enim in tuis abominandis erroribus et gravissimis peccatis, quid aliud tibi expectare licet, quam damnationem æternam? quod quam horrendum sit ipse recogites); quam parum argumenti habeas irridendi totum mundum præter tuos miseros adoratores; quam stulte superbus et inflatus evadas cogitatione excellentiæ tui ingenii, et admiratione vanissimæ, imo falsissimæ et impiissimæ, tuæ doctrinæ; quam turpiter te ipsum miseriorem facias ipsis bestiis, tollendo tibi ipsi libertatem voluntatis, quam tamen, si revera non experireris neque agnosceres, quomodo tibi posses illudere, cogitando tua esse summâ laude, imo et exactissimâ imitatione digna?

Si nolis (quod absit cogitare) ut Deus tui misereatur, aut Proximus tuus, tu ipsemet saltem miserere tui ipsius miseriæ, qua miseriorem te ipsum, quam nunc es, aut minus miserum, quam si ita continuaveris futurus es, studes efficere.

Resipisce, homo Philosophæ, agnosce stultitiam tuam sapientem, et sapientiam tuam insanam; ex superbo devenito humilis, et sanatus eris. Adora Christum in sanctissima Trinitate, ut dignetur misereri

tuæ miseræ, et excipiet te. Lege Sanctos Patres et Doctores Ecclesiæ, et instruent te de iis, quæ tibi facienda sunt, ut ne pereas, sed habeas vitam æternam. Confule Catholicos homines, fidem suam profunde edoctos et bonæ vitæ, et tibi multa dicent, quæ nunquam scivisti; et quibus obstupesces.

Atque ego quidem hanc Epistolam tibi perscripsi cum intentione vere Christiana, primo ut cognoscas amorem, quem erga te, quamvis Gentilem, habeo, ac deinde ut rogaem te, ne perseveres alios etiam pervertere.

Concludam sic igitur: Deus animam tuam vult ab æterna damnatione eripere, modo tu velis. Ne dubites Domino obedire, qui te vocavit tam sæpe per alios, jam iterum, et forte ultima vice te vocat per me, qui gratiam hanc ab ineffabili ipsius Dei Misericordia consecutus, eandem tibi ex toto animo precor. Ne renuas: si enim jam non auscultes Deum te vocantem, ipsius Domini ira contra te accendetur, et periculum est, ne ab ejus Misericordia Infinita derelinquaris, et Justitiæ Divinæ omnia in ira consumentis misera evadas victima; quod Omnipotens Deus avertat ad majorem Nominis sui gloriam, et animæ tuæ Salutem, nec non in multorum infelicissimorum tui Idololatrarum salutiferum et sequendum exemplum, per Dominum et Salvatorem nostrum Jesum Christum, qui cum Æterno Patre vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Florentiæ III. Non. Sept. MDCLXXV.

EPISTOLA LXVIII (OLIM XIX).

Viro Nobilissimo ac Doctissimo

HENRICO OLDENBURGIO

B. D. S.

Responsio ad Epistolam LXII.

Nobilissime et Clarissime Domine,

Eo tempore, quo literas tuas 22. Julii accepi, Amstelædamum profectus sum eo consilio, ut librum, de quo tibi scripseram, typis

mandarem. Quod dum agito, rumor ubique spargebatur, librum quendam meum de Deo sub prælo sudare, meque in eo conari offendere, nullum dari Deum; qui quidem rumor a plurimis accipiebatur. Unde quidam Theologi (hujus forte rumoris auctores) occasionem cepere de me coram Principe et Magistratibus conquerendi; stolidi præterea Cartesiani, quia mihi favere creduntur, ut a se hanc amoverent suspicionem, meas ubique opiniones et scripta detestari non cessabant, nec etiamnum cessant. Hæc cum a Viris quibusdam fide dignis intellexissem, qui simul affirmabant, Theologos mihi ubique insidiari, editionem, quam parabam, differre statui, donec, quo res evaderet, viderem, et, quod tum consilium sequerer, tibi significare proposui. Verum negotium quotidie in pejus vergere videtur, et, quid tamen agam, incertus sum. Interim meam ad tuas literas responsum diutius intermittere nolui; et primo tibi maximas ago gratias pro amicissima tua admonitione, cujus tamen ampliorem explicationem desidero, ut sciam, quænam ea dogmata esse credas, quæ religiose virtutis praxin labefactare viderentur. Nam quæ mihi cum Ratione convenire videntur, eadem ad virtutem maxime esse utilia credo. Deinde, nisi tibi molestum sit, velim, ut loca Tractatus Theologico-politici, quæ viris doctis scrupulum injecerunt, mihi indicares. Cupio namque istum Tractatum notis quibusdam illustrare, et concepta de eo præjudicia, si fieri possit, tollere. Vale.

EPISTOLA LXIX.

Domino Doctissimo

LAMBERTO VAN VELTHUYSEN

B. D. S.

Ex editione quam ex autographo a se comparato, quodque nunc est Th. Wageneri Berolinensis, fecit H. W. Tydeman professor Lugdunobatavus (Utrechtische Volksalmanak 1844).

Præstantissime Clarissimeque Domine,

Miror Neostadium * nostrum dixisse, me animo volvere refutationem

* Jacobi Neostadii consulis Alcmariani filiam anno 1655 uxorem duxerat

eorum scriptorum, quæ ab aliquo tempore contra meum tractatum sunt edita, et inter ea mihi refutandum proponere manuscriptum tuum. Nam scio, me nunquam in mente habuisse, meorum quemquam adversariorum refellere; adeo omnes mihi indigni visi sunt, quibus responderem; nec domino Neostadio aliud me dixisse memini, quam quod proposuerim prædicti tractatus loca quædam obscuriora notis illustrare *, iisque manuscriptum tuum una cum mea responsione adjungere, si hoc bona tua venia posset fieri, Quam ut abs te peteret, ipsum rogavi, addens, quod si forte hanc nobis veniam concedere ea de causâ nolles, quod in mea responsione quædam asperius dicta sint, ut tibi eadem vel corrigendi vel delendi integra esset potestas. Sed interim domino Neostadio nihil succenseo; tibi tamen rem, ut est, indicare volui, ut si, quam peto, veniam impetrare non potero; ostenderem saltem, me manuscriptum tuum te invito nequaquam vulgare voluisse. Et, quamvis credam, posse id fieri absque ullo tuæ famæ periculo, si modo nomen tuum eidem non inscribatur, nihil tamen faciam, nisi mihi ejusdem evulgandi licentiam concedas. Sed, ut verum fatear, rem mihi multo magis gratam faceres, si argumenta illa, quibus te meum tractatum impugnare posse credis, velis scribere, et manuscriptum tuum iisdem augere; quod ut facias enixissime rogo. Nam nemo est, cujus ego argumenta libentius perpendere velim; scio enim, te solo veritatis studio teneri, et singulari tui animi candorem novi, per quem te ego iterum atque iterum oro, ut hoc laboris ad te suscipere non graveris, et me esse credas

tui observantissimum

B. DE SPINOZA.

Reinerus Neuhuffus; cf. hujus vita Epistolarum Famil. Centuriis IV novis (Amstelod. 1678) præmissa. Eodem anno in Album Studiorum Leidenstum relatus erat Cornelius Neostadius Alcmariensis, viginti annos natus, jurisprudentiæ operam daturus, de quo hic sermo esse videtur.

* Ex his verbis cum Ep. LXVIII exitu comparatis, præeunte Brudero, Epistolæ statem colligimus.

EPISTOLA LXX.

Præstantissimo acutissimoque Philosopho

B. D. S.

G. H. SCHULLER, Med. Dr.

Ex autographo, quod Amstelodami apud Teleiobaptistarum ecclesiam fervatur.

Doctissime ac Præstantissime Domine, Fautor summopere colende,

Ultimas meas una cum Processu Anonymi Tibi rite fuisse traditas spero, simulque Te adhuc bene valere, prout Ego bene valeo. Cæterum intra trimestre spatium a Nostro Tschirnhausio nihil literarum habui, unde tristes conjecturas formaveram, ipsum ex Anglia in Gallias tendentem iter funestum fecisse; jam vero iis acceptis, gaudio plenus, eas juxta ejus petatum cum Domino communes facere debui, atque significare cum officiosissima salute, Eum saluum Parisios advenisse, D^m Hugenium ibidem, prout præmonueramus, offendisse, quaque de causa se ipsius ingenio omnimode accommodaverat, adeo ut ab ipso magni æstimeretur; mentionem fecerat, Dominationem vestram ei conversationem ipsius (Hugenii) commendasse, ejusque personam plurimi facere, quod ei valde arriserat, adeo ut et, se similiter vestram personam magni facere, responderit, jamque nuper Tr. Theol. Pol. ab illa obtinuerit, qui a permultis ibidem æstimatur, seduloque inquiritur, numquid plura ejusdem Authoris scripta lucem videant, ad quod D^m Tschirnh. responderat, sibi nulla præter Demonstr. in 1. et 2. partem Princ. Cartesii esse nota; cæterum de Domino nihil præter jam dicta retulit, unde sperat, id ei quoque non ingratum fore. Nuper Hugenius nostrum Tschirnhausium ad se accersi curaverat, eique indicaverat, Dominum Colbert desiderare aliquem, qui ejus filium in Mathematicis instrueret, quodsi ejusmodi conditio ei arrideret, eam compararet, ad quæ Noster aliquod dilationis tempus petens, tandem se promptum declaraverat. Rediit itaque Hugenius cum responso, quod D^o. Colbert ista propositio maxime placuisset, præsertim cum ex imperitia linguæ Gallicæ ejus filium Latine alloqui tenebitur. Ad nuperrime factam objectionem

respondet, pauca illa verba, quæ jussu Domini scripseram, ipsi sensum intimius aperuisse, sequæ easdem cogitationes jam modo fovisse (quandoquidem hisce duobus modis explicationem præcipue admittant), quod vero eam quæ nuper in objectione erat contenta, secutus fuerit, duæ sequentes effecerant rationes, quarum prima, quod sibi alias videantur adversari prop. 5. et 7., lib. 2^{di}: In prima n. harum statuitur, Ideata esse causam idearum efficientem, quod tamen per demonstrationem posterioris videtur evinci propter citatum axioma 4. p. 1.; Vel (quod mihi potius persuadeo) applicationem hujus axiomatis juxta Authoris intentum non recte instituo, quod sane perlibenter ab ipso, si negotia ejus ferant, perciperem. Secunda, quo minus exhibitam explicationem sequerer, causa fuit, quod hac ratione Attributum cogitationis se multo latius quam attributa cætera extendere statuatur; cum vero unumquodque attributorum Essentiam Dei constituat, non video sane, qua ratione hoc huic non contrarietur. Hoc saltem insuper dicam, si alia Ingenia ex meo judicare liceat, propositiones 7. et 8^{am} lib. 2. admodum difficulter intellectum iri, idque non alia de causa, quam quia Authori placuit (cum non dubitem, quod ipsi tam planæ fuerunt visæ) demonstrationes iis adjunctas tam brevibus et non verbosius explicatis complecti. Refert præterea, se Parisiis invenisse Virum insigniter eruditum, inque variis scientiis versatissimum ut et a vulgaribus Theologiæ præjudiciis liberum, Leibniz appellatum, quocum familiaritatem contraxit intimam, cum sit subiectum, quod una cum eo intellectûs perfectionem continuare allaborat, imo hoc ipso nihil melius æstimat, utiliufve censet. In Moralibus eum, inquit, esse exercitatissimum, qui sine ullo affectuum impetu ex solo Rationis dictamine loquitur. In Physicis, et præsertim Metaphysicis studiis de Deo et Anima, pergit, illum esse expertissimum. Tandem concludit, eum esse dignissimum, cui scripta Domini, concessa prius venia, communicentur, cum credat, quod Authori magnum inde provenit commodum, prout prolixè ostendere promittit si Dominationi Tuæ id placuerit; sin vero minus, nullum moveat scrupulum, quin juxta datam fidem ingenue ea sit celaturus, uti ne vel minimam eorum mentionem fecit. Idem ille Leibniz magni æstimat Tr. Theol. Polit. de cujus materia Domino, si meminerit,

Epistolam aliquando scripsit. Rogarem itaque Dominum, ut nisi fontica subit causa, id pro generosa Tua humanitate permittere ne graveris, sed, si fieri possit, quam proxime resolutionem Tuam aperias, cum acceptis responforiis Tuis, nostro Tschirnhausio respondere potero, quod avide Die Martis vesperi facerem, nisi impedimenta graviora Domino moram neſtere coegerint. D. Brefferus, ex Clivia redux factus, multam cereviſiæ patriæ quantitatem huc miſit; monui ipſum ut dimidiam Tonnam Domino concederet, quod cum amiciffima ſalutatione præſtare promiſit. Denique ſtyli ruditati calamique celeritati ignoſcas quæſo, mihiſque ad ſervitia Tua exequenda imperes, ut occaſionem realem habeam teſtandi me eſſe,

Vir Praſtantiffime,
ſervum Tibi paratiſſimum
 G. H. SCHULLER.

Amſterd. 14. Novemb. 1675.

ÉPISTOLA LXXI (OLIM XX).

Clariffimo Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS

P. S.

Quantum video ex tuis noviffimis, in periculo verſatur Libri a te publico deſtinati Editio. Non poſſum non probare inſtitutum tuum, quo illuſtrare et mollire te velle ſignificas, quæ in Tractatu Theologico-Politico crucem Lectoribus fixere. Ea imprimis eſſe putem, quæ ambigue ibi tradita videntur de Deo et Natura; quæ duo a te confundi quamplurimi arbitrantur. Adhæc multis tollere videris miraculorum authoritatem et valorem, quibus ſolis Divinæ Revelationis certitudinem adſtrui poſſe, omnibus fere Christianis eſt perſuaſum. Inſuper de Jeſu Chriſto, Mundi Redemptore et unico hominum Mediatore, deque ejus Incarnatione et Satisfactione, ſententiam tuam celare te ajunt, poſtulantque, ut de tribus hiſce capitibus mentem

tuam dilucide aperias. Quod si feceris, in eoque Christianis cordatis et Ratione valentibus placueris, in tuto res tuas fore opinor. Hæc paucis te scire volui, qui sum tui studiosissimus. Vale.

Dab. die 15. Novemb. 1675.

P.S. Fac, quæso, brevi sciam, has meas lineolas tibi rite traditas fuisse.

EPISTOLA LXXII.

Dottissimo Epistolam Viro

G. H. S C H U L L E R

B. D. S.

Responso ad Epistolam LXX.

Ex editione in Supplemento anni 1862. (p. 317) facta. Autographon emerit in auctione Voorstiana m. Jan. a. 1860. habita G. M. Claus Lipsiensis.

Expertissime D^e, Amice plurimum colende,

Pergratum mihi fuit, ex literis tuis, hodie acceptis, intelligere, quod bene valeas, et quod Tschirnhausius noster feliciter iter suum in Galliam confecerit. In sermonibus, quos cum D^e. Hugenio de me habuit, prudenter sane, meo quidem iudicio, se gessit, et præterea summopere gaudeo, quod tam opportunam occasionem ad finem, quem sibi destinaverat, invenerit. Quid autem in axiomate 4^o p. 1. repererit, ex quo contradicere videatur prop. 5. p. 2., non video; in hac enim prop. affirmatur, quod ideæ cujuscunque essentia Deum, quatenus ut res cogitans consideratur, pro causa habet; in illo autem axiomate, quod effectus cognitio sive idea, a cognitione sive idea causæ pendet. Sed, ut verum fatear, tuæ epistolæ sensum hac in re non satis assequor, et vel in tua epistola, vel in ipsius exemplari, errorem festinantis calami esse credo. Nam scribis, in prop. 5. affirmari, ideata esse causam efficientem idearum, cum tamen hoc ipsum in eadem propositione expresse negetur; atque hinc omnem confusionem oriri nunc existimo, ac proinde frustra in præsentiarum de hac

materia prolixius scribere conarer, sed expectandum mihi est, donec ipsius mentem mihi clarius explices, et sciam an satis emendatum habeat exemplar. Lijbnizium, de quo scribit, me per epistolas novisse credo, sed qua de causa in Galliam profectus sit, qui Francfurti consiliarius erat, nescio. Quantum ex ipsius epistolis conjicere potui, visus est mihi homo liberalis ingenii et in omni scientia versatus. Sed tamen ut tam cito ei mea scripta credam, inconsultum esse judico. Cuperem prius scire, quid in Gallia agat, et iudicium nostri Tschirnh. audire, postquam ipsum diutius frequentaverit, et ipsius mores intimius noverit. Cæterum nostrum istum amicum meo nomine saluta, et si qua in re ipsi servire possim, quicquid velit, imperet, et me sibi ad omnia obsequia paratissimum reperiet. Adventum sive reditum Domini et amici colendissimi Breßeri gratulor; pro promissa deinde cerevisia magnas ago gratias, et quocunque modo potero etiam referam. Tui denique parentis processum nondum experiri tentavi, nec credo quod animum ad id tentandum applicare potero. Nam quo magis rem ipsam cogito, mihi magis persuadeo, te non aurum confecisse, sed parum quod in antimonio latebat separavisse. Sed de hoc alias fusius; nunc temporis angustia præcludor; interim si aliqua in re tibi operam præstare possim, ecce me, quem semper invenies,

vir præstantissime,

Tibi amicissimum et servum

Hagæ Comitum, 18. Novembri 1675.

B. DESPINOZA.

Epistolæ Inscriptio.

*Mijn Heer,
Mijn Heer G. H. Schuller *
der medecynen Doctör, woonende in de Kortsteeg in de
gestoefeerde hoet*

Port.

Amsterdam.

* Suppl.: Schaller.

EPISTOLA LXXIII (OLIM XXI).

Viro Nobilissimo ac Doctissimo

HENRICO OLDENBURGIO

B. D. S.

Responso ad Epistolam LXXI.

Alterum exemplum, quod ab Oldenburgio, ut videtur, obtinuerat Leibnitius, in hujus Operibus Philos. (Bd. I. Berlin 1875.) edidit C. J. Gerhardt.

Nobilissime Domine,

Perbreves tuas literas, 15. Nov. ad me datas, die Saturni modo* elapsa accepi: in iis ea tantummodo indicas, quæ in Tractatu Theologico-Politico crucem lectoribus fixere. Cum tamen ex iis etiam cognoscere speraverim, quænam eæ opiniones essent, quæ religiose virtutis praxin labefactare viderentur, de quibus antea monueras. Sed, ut de tribus illis capitibus, quæ notas, mentem meam tibi aperiã, dico, et quidem ad primum, me de Deo et Natura sententiam fovere longe diversam** ab ea, quam Neoterici Christiani defendere solent. Deum enim rerum omnium causam immanentem, ut ajunt, non vero transeuntem statuo. Omnia, inquam, in Deo esse et in Deo moveri, cum Paulo affirmo, et forte etiam cum omnibus antiquis Philosophis, licet alio modo; et auderem etiam** dicere, cum antiquis omnibus Hebræis, quantum ex quibusdam traditionibus, tametsi multis modis adulteratis, conjicere licet. Attamen quod quidam putant, Tractatum Theologico-Policum eo niti, quod Deus et Natura (per quam massam quandam, sive materiam corpoream † intelligunt) unum et idem sint, tota errant via. Ad miracula deinde quod attinet, mihi contra persuasum est ††, divinæ revelationis certitudinem sola doctrinæ sapientia, non autem miraculis, hoc est ignorantia, adstrui posse, quod satis prolixè Cap. 6. de Miraculis ostendi. Hoc tantum hic addo, me inter Religionem et Superstitio-nem hanc præcipuam agnoscere differentiam, quod hæc ignorantiam, illa autem sapientiam pro fundamento habeat; et hanc causam esse

* Ed. Pr. omittit modo.

** Gerh.: longe div. fov. sent.

. Gerh. omittit etiam.

† Gerh.: incorpoream.

†† Gerh.: fit.

credo, cur Christiani non fide, neque charitate, neque reliquis Spiritus Sancti fructibus, sed sola opinione inter reliquos dignoscuntur; nempe quia, ut omnes, solis miraculis, hoc est ignorantia, quæ omnis malitiæ fons est, se defendunt, atque adeo fidem, licet veram, in superstitionem vertunt. Verum an huic malo remedium adhibere * reges unquam concedent, valde dubito. Denique, ut de tertio etiam capite mentem meam clarius aperiam, dico, ad salutem non esse omnino necesse, Christum secundum carnem noscere; sed de æterno illo filio Dei, hoc est, Dei æterna sapientia, quæ sese in omnibus rebus, et maxime in Mente humana, et omnium ** maxime in Christo Jesu * * manifestavit, longe aliter sentiendum. Nam nemo absque hac ad statum beatitudinis potest pervenire, utpote quæ sola docet, quid verum et † falsum, bonum et malum sit. Et quia, uti dixi, hæc sapientia per Jesum Christum maxime manifestata fuit, ideo ipsius discipuli eandem, quatenus ab ipso ipsis †† fuit revelata, prædicaverunt, seseque spiritu illo Christi supra reliquos gloriari posse ostenderunt. Cæterum quod quædam Ecclesiæ his addunt, quod § Deus naturam humanam assumpsit §§, monui expresse, me quid dicant nescire; imo, ut verum fatear, non minus absurde mihi loqui videntur, quam si quis mihi diceret, quod circulus naturam quadrati induerit. Atque hæc sufficere arbitror ad explicandum, quid de tribus illis capitibus sentiam. An eadem Christianis, quos nosti, placitura sint, id tu melius scire poteris. Vale.

EPISTOLA LXXIV (OLIM XXII).

Clarissimo Doctissimoque Viro

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS

S. P.

Responsio ad præcedentem.

Quandoquidem accusare me videris nimis brevitas, culpam illam

* Gerh.: *attribuere.*
Christi Jesu. † Gerh.: *quid verum, quid falsum.*

§ Gerh.: *ut quod.*

** Gerh. *omittit omnium.*
§§ Gerh.: *sumserit.*

* * Gerh.: *in mente*
†† Gerh. *omittit ipsi.*

hac vice nimia prolixitate eluam. Expectaveras; ut video, earum in Scriptis tuis opinionum enarrationem, quæ Religiosæ virtutis praxin convellere Lectoribus tuis videantur. Dicam quid sit rei, quod potissimum eos excruciet. Fatalem videris rerum et actionum omnium necessitatem adstruere: atqui illâ concessâ assertâque, legum omnium, omnis virtutis et religionis incidi nervos, omnesque remunerationes et pœnas inanes esse, autumant. Quicquid cogit, vel necessitatem infert, excusare iidem arbitrantur; proindeque neminem inexcusabilem in Dei conspectu fore censent. Si fatis agamur, durâque revolutâ manu omnia certo et inevitabili tramite vadunt, quis culpæ pœnarumque sit locus, illi equidem non assequuntur. Quis huic nodo adhiberi possit cuneus, perquam ardua res dictu est. Tu quid opis hanc in rem suppeditare posses, scire et discere pervelim.

Ad sententiam illam tuam, quam de tribus capitibus, a me notatis, aperire mihi dignaris, hæc inquirenda subeunt. Primo, quonam sensu *Miracula et Ignorantiam* pro Synonymis et æquipollentibus habeas, ut in novissimis tuis sentire videris; cum Lazari a mortuis resuscitatio et Jesu Christi a morte resurrectio omnem Naturæ creatæ vim superare, et soli potentiæ divinæ competere videatur, neque id ignorantiam culpabilem arguat, quod intelligentiæ finitæ, certisque repagulis constrictæ, limites excedat necessum est. An non convenire censet creatæ Menti et scientiæ, increatæ Mentis ac supremi Numinis talem scientiam potentiamque agnoscere, quæ penetrare ac præstare ea possit, quorum ratio ac modus a nobis homuncionibus reddi et explicari nequeat? Homines fumus, humani nihil a nobis alienum ducendum videtur. Deinde, cum capere te nequire fatearis, Deum revera naturam humanam assumpsisse, quærere ex te fas sit, quomodo illa Evangelii nostri et Epistolæ ad Hebræos scriptæ locos intelligas, quorum prior affirmat, *verbum carnem factum esse*, posterior, *Filium Dei non Angelos, sed semen Abrahamæ assumpsisse*. Et totius Evangelii tenorem id inferre putem, Filium Dei unigenitum λόγον (quî et Deus, et apud Deum erat) in natura humana se ostendisse, et pro nobis peccatoribus ἀντίλυτρον, redemptionis pretium, passione et morte sua exsolvisse. Quid de his et similibus dicendum, ut sua constet Evangelio et Christianæ Religioni, cui te favere opinor, veritas, lubens edoceri vellem.

Plura scribere statueram, sed interpellant amici invisentes, quibus negare humanitatis officia nefas duco. Sed et hæc, quæ congeffi hac Epistola, suffecerint, et fortasse tædium tibi Philosophanti creaverint. Vale igitur, et me jugem Eruditionis et Scientiæ tuæ cultorem crede.

Dab. Londini die 16. Decemb. 1675.

EPISTOLA LXXV (OLIM XXIII).

Viro Nobilissimo ac Doctissimo

HENRICO OLDENBURGIO

B. D. S.

Responso ad præcedentem.

Alterum exemplum una cum Epist. LXXIII a Gerhardto editum.

Nobilissime Domine,

Video tandem, quid id fuerit, quod a me postulabas ne evulgarem; sed quia id ipsum præcipuum est fundamentum eorum omnium, quæ in Tractatu, quem edere destinaveram, habentur, volo hic paucis explicare, qua ratione ego fatalem omnium rerum et actionum necessitatem statuam. Nam Deum nullo modo fato subjicio, sed omnia inevitabili necessitate ex Dei natura sequi concipio eodem modo, ac omnes concipiunt, ex ipsius Dei natura sequi, ut Deus se ipsum intelligat; quod sane nemo negat ex divina natura necessario sequi, et tamen nemo concipit, Deum fato aliquo coactum, sed omnino libere, tametsi necessario, se ipsum intelligere *.

Deinde hæc inevitabilis rerum necessitas nec jura divina nec humana tollit. Nam ipsa moralia documenta, sive formam legis seu juris ** ab ipso Deo accipiant sive non, divina tamen sunt et salutaria, et

* Gerh.: quod Deus concipit intelligat.

** Gerh.: legis cujusvis.

si bonum, quod ex virtute et amore divino sequitur, a Deo tanquam Iudice accipiamus, vel * ex necessitate Divinæ naturæ emanet, non erit propterea magis aut ** minus optabile, ut nec contra mala, quæ ex pravis actionibus et affectibus sequuntur, ideo, quia necessario ex iisdem sequuntur, minus timenda sunt, et denique, si ea, quæ agimus, necessario vel *.* contingenter agamus, spe tamen et metu ducimur.

Porro homines coram Deo nulla alia de causa sunt inexcusabiles, quam quia in ipsius Dei potestate sunt, ut lutum in potestate figuli, qui ex eadem massa vasa facit, alia ad decus, alia ad dedecus. Ad hæc pauca si attendere velis aliquantulum †, non dubito quin facili negotio ad omnia argumenta, quæ in hanc sententiam objici solent, respondere possis, ut multi jam mecum experti sunt.

Miracula et ignorantiam pro æquipollentibus sumpsisti, quia ii, qui Dei existentiam et Religionem miraculis adstruere conantur, rem obscuram per aliam magis obscuram, et quam maxime ignorant, ostendere volunt, atque ita novum argumentandi genus adferunt, redigendo scilicet non ad impossibile, ut ajunt, sed †† ignorantiam. Cæterum meam de miraculis sententiam satis, ni fallor †††, explicui in Tractatu Theologico-Politico. Hoc tantum hic addo, quod si ad hæc attendas, quod scilicet Christus non Senatui, nec Pilato, nec cuiquam infidelium, sed sanctis tantummodo apparuerit, et quod Deus neque dextram neque sinistram habeat, nec in loco, sed ubique secundum essentiam sit, et quod materia ubique sit eadem, et quod Deus extra Mundum in spatio, quod fingunt, imaginario sese non manifestet, et quod denique Corporis humani compages intra debitos limites solo aëris pondere coërceatur, facile videbis, hanc Christi apparitionem non abfimilem esse illi §, qua Deus Abrahamo apparuit, quando hic §§ vidit homines, quos ad secum prandendum invitavit. At dices, Apostolos omnes omnino §§§ credidisse, quod Christus a morte resurrexerit, et ad cælum revera ascenderit: quod ego non

* Gerh.: *vel quod.*

** Gerh.: *vel.*

. Gerh.: *si ve.*

† Gerh.: *aliquando attendere velis.*

†† Gerh.: *sed ad.*

††† Gerh.: *opinor.*

§ G.: *ab illa.*

§§ G.: *quando tres.*

§§§ G.: *Apostolos omnino.*

nego. Nam ipse etiam Abrahamus credidit, quod Deus apud ipsum prorsus fuerit, et omnes Israëlitarum, quod Deus e caelo igne circumdatus * ad montem Sinai descenderit, et cum iis immediate locutus fuerit **, cum tamen haec, et plura alia ** hujusmodi apparitiones seu revelationes fuerint, captui et opinionibus eorum hominum accommodatae, quibus Deus mentem suam iisdem revelare voluit. Concludo itaque, Christi a mortuis resurrectionem revera spirituales, et solis fidelibus ad eorum captum revelatam fuisse, nempe quod Christus aeternitate donatus fuit †, et a mortuis (mortuos hic intelligo eo sensu, quo Christus dixit: *snite mortuos mortuos suos sepelire*) surrexit, simulatque vita et morte singularis sanctitatis exemplum dedit, et eatenus discipulos suos a mortuis suscitavit, quatenus ipsi hoc vitae ejus et mortis exemplum sequuntur. Nec difficile esset totam Evangelii doctrinam secundum hanc hypothesein explicare. Imo †† caput 15. Ep. 1. ad Corinthios ex sola hac hypothesei explicari potest, et Pauli argumenta intelligi, cum alias communem hypothesein sequendo infirma appareant, et facili negotio refelli possint; ut jam ††† taceam, quod Christiani omnia, quae Judaei carnaliter, spiritualiter interpretati sunt. Humanam imbecillitatem tecum agnosco. Sed te contra rogare mihi liceat, an nos homunciones tantam Naturae cognitionem habeamus, ut determinare possimus, quousque ejus vis et potentia se extendit, et quid ejus vim superat §: quod quia nemo sine arrogancia praesumere potest, licet ergo absque jaecantia, miracula per causas naturales, quantum fieri potest, explicare, et quae explicare non possumus, nec etiam demonstrare, quod absurda sint, satius erit judicium de iis suspendere, et Religionem, uti dixi, sola Doctrinae sapientia adstruere. Loca denique Evangelii Johannis et Epistolae ad Hebraeos iis, quae dixi, repugnare credis, quia Linguarum orientalium phrasas Europaeis loquendi modis metiris; et, quamvis Johannes suum Evangelium Graece scripserit, hebraizat tamen. Quicquid sit, an credis, quando Scriptura ait, quod Deus

* G.: *circumdatus*, cui vocabulo adscriptus Leibnitius: *puto circumdatus*.

** G.: *descenderit, cum tamen*.

*** G.: *haec pluresque aliae*.

† G.: *fuerit*.

†† G.: *Primo*.

††† G.: *ut taceam*.

§ G.: *extendat . . . superet*.

in Nube sese manifestaverit, aut quod in Tabernaculo et in Templo habitaverit, quod ipse Deus naturam Nubis, Tabernaculi, et * Templi assumpserit **? Atqui hoc sumum est, quod Christus de se ipso dixit **, se scilicet templum Dei esse, nimirum quia, ut in meis præcedentibus † dixi, Deus sese maxime in Christo manifestavit; quod Johannes ut efficacius exprimeret, dixit, verbum factum esse carnem. Sed de his satis.

EPISTOLA LXXVI (OLIM LXXIV).

Nobilissimo Juveni

A L B E R T O B U R G H

B. D. S.

S. D.

Responsio ad Epistolam LXVII.

Quod, ab aliis mihi relatum, credere vix potueram, ex tuis tandem literis intellexi; nimirum te non tantum Romanæ Ecclesiæ membrum effectum, ut ais, sed et ejus acerrimum propugnatorem esse, jamque maledicere, et petulanter in tuos adversarios debacchari didicisse. Ad eandem nihil respondere proposueram, certis tibi magis opus esse temporis usu quam Ratione, ut ad te tuosque restituaris; ut jam taceam alias causas, quas tu olim probasti, quando de Stenonio †† (cujus nunc vestigia sequeris) sermo inter nos fuit. Sed amici

* G.: aut. ** G.: sumserit. ** G.: dixerit. † G.: præcedentibus meis.

†† Nic. Stenonis f. (Niels Stensen), anno 1638 Havnix natus, medicus, d. 27. m. Julii a. 1660. in Album Studiosorum Lugduno-Batavorum relatus, triennium in Hollandia degerat. Deinde anno 1669. Florentiæ, ubi Lector erat Anatomix, in ecclesiam Romanocatholicam receptus, anno 1675. Sacerdos factus, post Spinozæ mortem Vicarium Apostolicum egit in Germania Inferiori et Dania. Mortuus est Suerini a. 1686. Florentiæ scriptum ediderat contra Spinozæ Tractatum Theologico-politicum, c. t. *Epistola ad novæ philosophiæ reformatorem* (1675), deque sua ipsius conversione egit in epistola altera, a. 1680. Hanoveræ edita, in qua, uti et in priori illa, Spinozæ ejusque asseclarum mentio fit. Cf. Manni, *Vita del Monsign. Nicolo Stenone di Danemarca* (Firenze, 1775.), et quæ amica manu nobiscum communicavit vir doct. Harald Höffding Havniensis.

quidam, qui ex egregia tua indole magnam spem mecum conceperant, me summopere rogarunt, ne amici officio deessem, et id potius cogitarem, quod nuper fueris, quam quod nunc sis, et alia hujusmodi; quibus tandem adductus sum hæc pauca tibi scribere, enixe rogans, ut eadem æquo animo legere digneris.

Neque hic Sacerdotum et Pontificum vitia, ut Ecclesiæ Romanæ adversarii solent, narrabo, quo te ab iisdem avertam. Solent enim hæc sæpe malo ex affectu vulgari, et magis ad irritandum quam ad docendum adduci. Imo concedam, in Romana plures reperiri magnæ eruditionis viros, et probatæ vitæ, quam in alia quacunquæ Ecclesia Christiana: plures enim hujus Ecclesiæ membra cum sint, plures etiam cujuscunquæ conditionis viri in eadem reperiuntur. Hoc tamen negare minime poteris, nisi forte cum Ratione memoriam etiam amisisti, in quacunquæ Ecclesia plures dari viros honestissimos, qui Deum justitia et charitate colunt; plures enim hujus generis inter Lutheranos, Reformatos, Mennonitas, et Enthusiastas novimus, et, ut alios taceam, parentes tuos nosti, qui tempore Ducis Albani pari animi constantia ac libertate omnium tormentorum genera propter Religionem passi sunt; ac proinde concedere debes, vitæ sanctitatem non esse Romanæ Ecclesiæ propriam, sed omnibus communem. Et quia per hoc novimus (ut cum Apostolo Joh. I. Epist. cap. 4. vers. 13. loquar), quod in Deo manemus, et Deus manet in nobis, sequitur, quicquid Romana Ecclesia ab aliis distinguit, superfluum omnino esse, et consequenter ex sola superstitione institutum. Est enim, ut cum Johanne dixi, justitia et charitas unicum et certissimum veræ fidei Catholicæ signum, et veri Spiritus Sancti fructus, et ubicunquæ hæc reperiuntur, ibi Christus revera est, et ubicunquæ desunt, deest Christus. Solo namque Christi Spiritu duci possumus in amorem justitiæ et charitatis. Hæc si tecum recte voluisses perpendere, nec te perdidisses, nec tuos parentes in acerbum mœrorem conjecisses, qui tuam fortunam nunc misere desunt.

Sed ad tuam Epistolam revertor; in qua primo desies, quod me a scelerum Spirituum Principe circumduci patiar. Sed quæso bono animo sis, atque ad te redi. Cum mentis compos eras, Deum infinitum, ni fallor, adorabas, cujus virtute omnia absolute fiunt et

conservantur: jam vero Principem Dei hostem somnias, qui invito Deo homines plerisque (rari quippe boni) circumducit et decipit, quos propterea Deus huic scelerum magistro in æternum cruciandos tradit. Patitur ergo divina justitia, ut Diabolus homines impune decipiat; at minime, homines, misere ab ipso Diabolo deceptos et circumductos, manere impunes.

Atque hæc absurda toleranda adhuc essent, si Deum adorares infinitum et æternum, non illum, quem Chastillon in oppido Tienen, sic a Belgis nuncupato, equis comedendum impune dedit. Et me desles miser? meamque Philosophiam, quam nunquam vidisti, chymæram vocas? O mente destitute juvenis, quis te fascinavit, ut summum illud et æternum te devorare et in intestinis habere credas?

Ratione tamen velle uti videris, meque rogas, *quomodo sciam, meam Philosophiam optimam esse inter illas omnes, quæ unquam in mundo doctæ fuerunt, etiamnum docentur, aut unquam impofterum docebuntur?* quod profecto longe meliori jure te rogare possum. Nam ego non præsumo, me optimam invenisse Philosophiam, sed veram me intelligere scio. Quomodo autem id sciam, si roges; respondebo, eodem modo ac tu scis, tres Angulos Trianguli æquales esse duobus rectis; et hoc sufficere negabit nemo, cui sanum est cerebrum, nec spiritus immundos somniat, qui nobis ideas falsas inspirant veris similes: est enim verum index sui et falsi.

At tu, qui demum optimam Religionem, vel potius optimos viros invenisse præsumis, quibus credulitatem tuam addixisti, *quæ scis, eos optimos esse inter omnes, qui alias Religiones docuerunt, etiamnum docent, aut impofterum docebunt? an omnes illas religiones tam antiquas quam novas, quæ hic, et in India, et ubique per totum terrarum orbem docentur, examinasti? Et quamvis illas rite examinaveris, quomodo scis te optimam elegisse?* quandoquidem tuæ fidei rationem nullam dare potes. At dices, te in interno Spiritus Dei testimonio acquiescere, reliquos autem a scelestorum Spirituum Principe circumduci ac decipi; sed omnes, qui extra Ecclesiam Romanam sunt, eodem jure id, quod tu de tua, ipsi de sua prædicant.

Quod autem addis de communi hominum myriadam consensu,

deque non * interrupta Ecclesiæ successione, etc., ipsissima Phariseorum cantilena est. Hi namque, non minori confidentia quam Ecclesiæ Romanæ additi, testium myriadas exhibent, qui, æquali ac Romanorum testes pertinacia, audita tanquam ab ipsis experta referunt. Stirpem deinde suam ad Adamum usque proferunt. Eorum Ecclesiam in hunc usque diem propagatam, immotam, et solidam invito hostili Ethnorum et Christianorum odio permanere, pari arrogantia jactant. Antiquitate omnium maxime defenduntur. Traditiones ab ipso Deo acceptas, seque solos Verbum Dei scriptum et non scriptum servare, uno ore clamant. Omnes hærefes ex iis exiisse, ipsos autem constantes aliquot annorum millia absque ullo imperio cogente, sed solo superstitionis efficacia mansisse, negare nemo potest. Miracula, quæ narrant, delassare valent mille loquaces. Sed, quo sese maxime efferrunt, est, quod longe plures, quam ulla natio, martyres numerent, et numerum quotidie augeant eorum, qui pro fide, quam profitentur, singulari animi constantia passi sunt; neque hoc mendacio: ipse enim inter alios quendam Judam, quem fidum appellant **, novi, qui in mediis flammis, cum jam mortuus crederetur, hymnum, qui incipit, *Tibi Deus animam meam offero*, canere incepit, et in medio cantu exspiravit.

Ordinem Romanæ Ecclesiæ, quem tantopere laudas, politicum, et plurimis lucrosum esse fateor; nec ad decipiendam plebem et hominum animos coercendum commodiorem isto crederem, ni ordo Mahumedanæ Ecclesiæ esset, qui longe eundem antecellit. Nam a quo tempore hæc superstitio incepit, nulla in eorum Ecclesia schismata orta sunt.

Si igitur recte calculum in eas, id solum, quod tertio loco notas, pro Christianis esse videbis; quod scilicet viri indocti et viles totum fere orbem ad Christi fidem convertere potuerint. Sed hæc ratio non pro Romana Ecclesia, sed pro omnibus, qui Christi nomen profitentur, militat.

At pone, omnes, quas adfers, rationes solius Romanæ Ecclesiæ

* Ed. Pr. omittit non.

** Vallisoleti anno 1644. concrematum.

esse. Putasne te iisdem ejusdem Ecclesiæ auctoritatem mathematice demonstrare? Quod cum longe absit, cur ergo vis, ut credam, meas demonstrationes a scelestorum Spirituum Principe, tuas autem a Deo inspirari? præsertim cum videam, et tuæ literæ clare indicent, te hujus Ecclesiæ mancipium factum, non tam amore Dei ductum, quam inferorum metu, qui superstitionis est unica causa. Est ne hæc tua humilitas, ut nihil tibi, sed ut aliis, qui a plurimis damnantur, credas? an arrogantiae et superbiæ ducis, quod Ratione utar, et in hoc vero Dei Verbo, quod in Mente est, quodque nunquam depravari nec corrumpi potest, acquiescam? Apage hanc exitiabilem superstitionem, et, quam tibi Deus dedit, Rationem agnosce, eamque cole, nisi inter bruta haberi velis. Define, inquam, absurdos errores mysteria appellare, nec turpiter confunde illa, quæ nobis incognita vel nondum reperta sunt, cum iis, quæ absurda esse demonstrantur, uti sunt hujus Ecclesiæ horribilia secreta, quæ, quo magis rectæ Rationi repugnant, eo ipsa intellectum transcendere credis.

Cæterum Tractatus Theologo-Politici fundamentum, quod scilicet Scriptura per solam Scripturam debeat exponi, quodque tam proterve absque ulla ratione falsum esse clamas, non tantum supponitur, sed ipsum verum seu firmum esse apodictice demonstratur; præcipue cap. 7., ubi etiam adversariorum opiniones confutantur; quibus adde, quæ in fine cap. 15. demonstrantur. Ad hæc si attendere velis, et insuper Ecclesiæ Historias (quarum te ignarissimum video) examinare, ut videas, quam falso Pontificii plurima tradunt, et quo fato, quibusque artibus ipse Romanus Pontifex post sexcentos demum annos a Christo nato Ecclesiæ principatum adeptus est, non dubito, quin tandem respicias. Quod ut fiat tibi ex animo opto. Vale, etc.

EPISTOLA LXXVII (OLIM XXIV).

Viro Clarissimo

B. D. S.

HENRICUS OLDENBURGIUS

σὺ πρῶτισιν.

Responsio ad Epistolam LXXV.

Rem acu tetigisti, dum percipis causam, quare fatalem illam rerum

omnium necessitatem vulgari nollem, ne scilicet virtutis exercitium inde sufflaminaretur, nec præmia ac pœnæ vilescerent. Quæ in eam rem novissimæ tuæ litteræ suggerunt, necdum conficere hoc negotium, Mentemque humanam tranquillare videntur. Etenim, si nos homines in omnibus actionibus nostris, moralibus æque ac naturalibus, ita in potestate Dei sumus, ut lutum in manu figuli, qua fronte quæso accusari ullus nostrum potest, quod hoc vel illo modo egerit, cum secus agere ipsi omnino fuerit impossibile? An non ad unum omnes regerere Deo poterimus, Inflexibile fatum tuum ac irresistibilis tua potestas nos eo adegit, ut sic operaremur, nec operari aliter potuimus; cur igitur, et quo jure nos dirissimis pœnis mancipabis, quas nullatenus evitare potuimus, te omnia per supremam necessitatem pro arbitrio et beneplacito tuo operante et dirigente? Cum tu dicis, Homines coram Deo nulla alia de causa esse inexcusabiles, quam quia sunt in potestate Dei; Ego argumentum illud plane inverterem, diceremque majori, ut videtur, ratione, Homines ideo plane esse excusabiles, quia in potestate Dei sunt. In promptu enim est omnibus objicere, Ineluctabilis est potestas tua, o Deus; quare merito, quod aliter non egi, excusandus videor.

Deinde, quod Miracula et Ignorantiam pro æquipollentibus etiamnum capis, videris potentiam Dei, et Hominum etiam acutissimorum scientiam, iisdem finibus concludere; quasi nihil agere vel producere Deus queat, cujus rationem reddere homines non possint, si omnes ingenii vires intendant. Adhæc Historia illa de Christi Passione, Morte, Sepultura, Resurrectione vivis adeo coloribus genuinisque descripta videtur, ut vel appellare conscientiam tuam ausim, credasne illa Allegorice potius quam literaliter esse accipienda, dummodo de Historiæ veritate fueris persuasus? Circumstantiæ illæ, quæ ab Evangelistis ea de re adeo dilucide sunt consignatæ, urgere penitus videntur, historiam illam ad literam esse capiendam. Hæc paucis ad argumentum illud notare porro volui, quibus ut ignoscas, et pro candore tuo amice respondeas, enixe rogo. Dom. Boylius te officiose resalutat. Quid Regia Societas nunc agat, alia vice exponam. Vale et me amare perge.

Londini, 14. Januar. 1676.

EPISTOLA LXXVIII (OLIM XXV).

Viro Nobilissimo ac Doctissimo

HENRICO OLDENBURGIO

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Exemplum alterum una cum Ep. LXXIII et LXXV a Gerhardto editum.

Nobilissime Domine,

Quod in præcedentibus meis dixi, nos ideo esse inexcusabiles, quia in Dei potestate sumus, ut lutum in manu figuli, hoc sensu intelligi volui, videlicet quod nemo Deum redarguere potest, quod ipsi naturam infirmam seu animum impotentem dederit. Sicut enim absurde circulus conquereretur *, quod Deus ipsi globi proprietates, vel infans, qui calculo cruciatur, quod ei corpus sanum non dederit; sic etiam homo animo impotens queri non potest **, quod Deus ipsi fortitudinem veramque ipsius Dei cognitionem et amorem negaverit, quodque ipsi naturam adeo infirmam dederit, ut cupiditates suas nec coercere nec moderari possit. Nam naturæ *.* cuiuscunque rei nihil aliud competit quam id, quod ex data ipsius causa necessario sequitur. Quod autem naturæ *.* uniuscujusque † hominis non competat, ut animo forti sit, et quod in nostra potestate †† non magis sit, Corpus sanum, quam Mentem sanam habere, negare nemo potest, nisi qui tam experientiam quam Rationem negare velit. At, instas, si homines ex naturæ necessitate peccant, sunt ergo excusabiles; nec quod inde concludere velis, explicas: an scilicet quod Deus in eos irasci nequeat, an vero quod beatitudine, hoc est Dei cognitione et amore, digni sint. Sed, si primum putas, omnino concedo, Deum non irasci, sed omnia ex ipsius sententia fieri; at nego, quod propterea omnes beati esse debeant: possunt quippe homines excusabiles

* Gerh.: *quereretur.*† G.: *cujusque.*** Gerh. — Ed. Pr.: *queri possit.*†† G.: *in pot. nostra.**.* G.: *ad naturam.*

esse, et nihilominus beatitudine carere, et multis modis cruciari. Est enim equus excusabilis, quod equus et non homo sit; at nihilominus equus et non homo esse debet. Qui ex morfu canis furit, excusandus quidem est, et tamen jure suffocatur. Et qui denique cupiditates suas regere, et metu legum eandem coercere nequit, quamvis etiam ob infirmitatem excusandus sit, non potest tamen animi acquiescentiâ, Deique cognitione et amore frui, sed necessario perit. Neque hic necesse esse puto monere, quod Scriptura, quando * ait, Deum in peccatores irasci, eumque judicem esse, qui de hominum actionibus cognoscit, statuit, et judicat **, more humano et secundum receptas vulgi opiniones loquatur, quia ipsius intentum non est Philosophiam docere, nec homines doctos, sed obtemperantes reddere **.

Quo præterea † pacto videar, ex eo, quod miracula et ignorantiam pro æquipollentibus sumpserim, potentiam Dei et hominum scientiam pro iisdem finibus concludere, non video.

Cæterum Christi passionem, mortem; et sepulturam tecum literaliter accipio, ejus autem resurrectionem allegorice. Fateor quidem, hanc etiam ab Euangelistis iis narrari circumstantiis, ut negare non possimus, ipsos Euangelistas credidisse, Christi corpus surrexisset et ad cælum ascendisset, ut ad Dei dextram federet; et quod ab infidelibus etiam potuisset videri, si una in iis locis †† adfuissent, in quibus ipse Christus discipulis apparuit; in quo tamen, salva Evangelii doctrina, potuerunt decipi, ut aliis etiam Prophetis contigit, cujus rei exempla in præcedentibus dedi. At Paulus, cui etiam Christus postea †† apparuit, gloriatur, quod Christum non secundum carnem, sed secundum spiritum noverit.

[Addit G.: Pro Catalogo librorum nobilissimi Domini Boylii maximas ago gratias. Denique R. Societatis præsentia negotia data occasione ex te scire expecto.] Vale, Vir amplissime, et me omni studio atque affectu tuum esse crede.

[Hagæ Comitum, 7. Feb. 1676.]

* G.: quod quando scriptura.

** G.: judicat et statuit.

*** G.: facere.

† G.: propterea.

†† G.: iis in locis.

††† G.: Christus postea etiam.

E P I S T O L A LXXIX.

Clarissimo Viro

DOM. BENEDICTO DE SPINOSA

H E N R. O L D E N B U R G

S. P.

Responsio ad præcedentem.

Ex autographo Amstelodamensi.

In novissimis tuis 7 Febr. ad me exaratis supersunt nonnulla, quæ stricturam mereri videntur. Ais, queri hominem non posse, quod Deus ipsi veram sui cognitionem, et sufficientes ad peccata vitanda vires, negaverit, cum naturæ cujusque rei nihil aliud competat, quam quod ex causâ ejus necessario sequitur. At dico Ego, quandoquidem Deus creator hominum ipsos ad suam imaginem formaverit, quæ sapientiam et bonitatem et potentiam in conceptu suo videtur implicare, omnino sequi videtur, magis in potestate hominis esse, Mentem sanam quam corpus sanum habere, cum physica Corporis sanitas a principiis mechanicis, sanitas vero Mentis a προαιρέσει et consilio dependat. Subjungis, posse homines esse inexcusabiles, et tamen multis modis cruciari. Hoc durum primo aspectu videtur; quodque probationis loco subnectis, ex morfu canem furentem excusandum quidem esse, sed tamen jure trucidari, rem conficere non videtur; cum ejusmodi canis occisio sævitiam argueret, nisi necessaria ad id foret, ut alii canes aliave animalia, et ipsi homines, a furibundo ejusmodi morfu essent præservandi. At si Deus Mentem sanam inderet hominibus, uti potest, nulla foret vitiorum contagies pertimescenda. Et sane crudele admodum videtur, Deum æternis, vel saltem diris ad tempus cruciatibus devovere homines ob peccata, quæ nullatenus poterant ab iis evitari. Adhæc totius S. Scripturæ tenor id supponere et implicare videtur, posse homines abstinere a peccatis: abundat quippe abominationibus et promissis præmiorum et pœnarum denunciationibus, quæ omnia videntur contra peccandi necessitatem militare, et pœnarum evitandarum possibilitatem inferre: quo negato

Mens humana non minus mechanice quam humanum corpus agere dicenda foret.

Porro, quod Miracula et Ignorantiam pro æquipollentibus fumere pergis, hoc fundamento niti videtur, quod creatura possit debeatque infinitam creatoris potentiam et sapientiam perspectam habere; quod utique secus se habere, mihi hætenus est persuasissimum.

Denique quod affirmas, Christi passionem, mortem, et sepulturam literaliter quidem accipienda esse, Resurrectionem vero ejus allegorice, nullo, quod mihi apparet, argumento a Te fulcitur. Æque literaliter tradi in Evangeliiis videtur Resurrectio Christi, ac reliqua. Et hoc Resurrectionis articulo tota Religio Christiana ejusque veritas nititur, eaque sublata Christi Jesu missio ac Doctrina cœlestis collabscit. Latere te non potest, quantopere laboraverit Christus a mortuis resuscitatus, ut discipulos suos de Resurrectionis proprie sic dictæ veritate convinceret. Omnia illa in allegorias vertere velle, idem est ac si quis omnem Evangelicæ Historiæ veritatem convellere fatagat.

Pauca hæc rursus in medium adferre volui, pro mea philosophandi libertate, quam ut boni consulas, enixe rogo.

Dabam Londini d. 11. Febr. 1676.

Maxime de Regiæ Societatis studiis et exercitiis præsentibus tecum agam, si Deus vitam et valetudinem concefferit.

EPISTOLA LXXX (OLIM LXIX).

Acutissimo atque Doctissimo Philosopho

B. D. S.

EHRENFR. WALTH. DE TSCHIRNHAUS.

Vir Clarissime,

Primo difficulter admodum concipere queo, qui a priori corporum existentia demonstratur, quæ motus et figuras habent; cum in Extensione, absolute rem considerando, nil tale occurrat. Secundo erudiri abs te vellem, quomodo intelligendum sit, cujus meministi

Epistolâ de Infinito * his verbis, *Nec tamen concludunt talia omnem numerum superare ex partium multitudine.* Nam revera omnes Mathematici mihi videntur circa talia infinita semper demonstrare, quod partium numerus sit tam magnus, ut omnem assignabilem numerum superent, et in exemplo, de duobus circulis ibidem allato, non hoc ipsum declarare videris, quod tamen susceperas. Ibi enim tantum ostendis, quod non hoc ipsum concludunt ex nimia spatii interpositi magnitudine, et *quod ejus maximum et minimum non habeamus*; sed non demonstras prout volebas, quod id non concludant ex partium multitudine, etc.

2. Maji, 1676.

EPISTOLA LXXXI (OLIM LXX).

Nobilissimo atque Doctissimo Viro

EHRENFR. WALTH. DE TSCHIRNHAUS

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Nobilissime Vir,

Quod in Epistola de Infinito dixi, quod partium infinitatem ex earum multitudine non concludant, hinc patet, quod, si ea ex earum multitudine concluderetur, non possemus majorem partium multitudinem concipere, sed earum multitudo quavis data deberet esse major, quod falsum est: nam in toto spatio inter duos circulos, diversa centra habentes, duplo majorem partium multitudinem concipimus quam in ejusdem dimidio, et tamen partium numerus, tam dimidii quam totius spatii, omni assignabili numero major est. Porro ex Extensione, ut eam Cartesius concipit, molem scilicet quiescentem, corporum existentiam demonstrare non tantum difficile, ut ais, sed omnino impossibile est. Materia enim quiescens, quantum in se est,

* Epist. XII. Vide supra pag. 44.

in sua quiete perseverabit, nec ad motum concitabitur, nisi a causa potentiori externa; et hac de causa non dubitavi olim affirmare, rerum naturalium principia Cartesiana inutilia esse, ne dicam absurda

Hagæ 5 Maji, 1676.

EPISTOLA LXXXII (OLIM LXXI).

Acutissimo Doctissimoque Philosopho

B. D. S.

EHRENFR. WALTH. DE TSCHIRNHAUS.

Doctissime Vir,

Velim, ut hac in re mihi gratificeris, indicando, qui ex conceptu Extensionis secundum tuas meditationes varietas rerum a priori possit ostendi, quandoquidem meministi opinionis Cartesii, in qua Cartesius statuit, se eam ex Extensione nullo alio modo deducere posse, quam supponendo, motu a Deo excitato hoc effectum fuisse in Extensione. Deducit ergo juxta meam opinionem corporum existentiam non ex quiescente materia, nisi forte suppositionem motoris Dei pro nihilo haberes; quandoquidem, qui illud ex essentia Dei a priori necessario sequi debeat, abs te non sit ostensum; id quod Cartesius ostensurus captum humanum superare credebat. Quare a te hanc rem requiro, sciens bene, te alias cogitationes habere, nisi alia fontica subsit forte causa, quare illud hætenus manifestum facere nolueris; et si hoc, de quo non dubito, non opus fuisset, tale quid obscure indicares. Sed certo tibi persuasum habeas, quod, siue candide mihi aliquid indices, siue celes, meus tamen erga te affectus immutatus maneat.

Rationes tamen, cur illud specialiter desiderem, hæ sunt, quod in Mathematicis semper observarim, quod nos ex quavis re in se considerata, hoc est, ex definitione cujusque rei, unicam saltem proprietatem deducere valeamus; quod si autem plures proprietates desideremus, necesse esse, ut rem definitam ad alia referamus: tunc siquidem

ex conjunctione definitionum harum rerum novæ proprietates resultant. Ex. gr. si circuli peripheriam considerem solam, nihil aliud concludere potero, quam quod ubique sibi similis sive uniformis existat, qua quidem proprietate ab omnibus aliis curvis essentialiter differt, nec ulla alias unquam potero deducere. Verum si ad alia referam, nimirum ad radios ex centro deductos, ad duas lineas sese interfecantes, aut plures quoque, plures utique hinc proprietates deducere valebo. Quæ quidem aliquo modo videntur adversari Prop. 16. Ethices, quæ præcipua fere est I. lib. tui Tractatus; in qua tanquam notum assumitur, posse ex data cujuscunque rei definitione plures proprietates deduci; quod mihi videtur impossibile, si non ad alia referamus rem definitam, et quod porro effecit, ut non possim videre, qua ratione ex Attributo aliquo solo considerato, ex. gr. Extensione infinita, corporum varietas exurgere possit; vel si existimas hoc quoque non posse concludi ex unico solo considerato, sed omnibus simul sumptis, vellem hoc edoceri abs te, et qua ratione hoc concipiendum foret. Vale, etc.

Parisiis, 23 Jun. 1676.

EPISTOLA LXXXIII (OLIM LXXII).

Nobilissimo atque Doctissimo Viro

EHRENFR. WALTH. DE TSCHIRNHAUS

B. D. S.

Responsio ad præcedentem.

Nobilissime Vir,

Quod petis, an ex solo Extensionis conceptu rerum varietas a priori possit demonstrari, credo me jam satis clare ostendisse, id impossibile esse; ideoque materiam a Cartesio male definiri per Extensionem, sed eam necessario debere explicari per attributum, quod æternam et infinitam essentiam exprimat. Sed de his forsan aliquando,

si vita suppetit, clarius tecum agam. Nam huc usque nihil de his ordine disponere mihi licuit.

Quod autem addis, nos ex definitione cujusque rei, in se considerata, unicam tantum proprietatem deducere valere, locum forsan habet in rebus simplicissimis, vel entibus Rationis (ad quæ figuras etiam refero), at non in realibus. Nam ex hoc solo, quod Deum definio esse Ens ad cujus essentiam pertinet existentia, plures ejus proprietates concludo: nempe quod necessario existit, quod sit unicus, immutabilis, infinitus, etc.; et ad hunc modum plura alia exempla adferre possem, quæ impræsentiarum omitto. Denique rogo, ut inquiras an Tractatus D. Huet (nempe contra Tractatum Theologico-Politicum), de quo antea scripsisti, lucem jam viderit, et an mihi exemplar transmittere poteris; deinde an jam noveris, quænam ea sint, quæ de Refractione noviter inventa sint. Hisce vale, Nobilissime Vir, et amare perge, etc.

Hagæ Com. 15. Julii 1676.

KORTE VERHANDELING

VAN

G O D, D E M E N S C H,

EN DESZELFS

WELSTAND.

Voor deze in de Latijnsche taal beschreven door *B. D. S.* ten dienste van zijne leerlinge die zig wilde begeven tot de oefeninge der *Zeedekonst* en *waare Wijsbegeerte*,

En nu in de Neêrduytsche spraak overgezet ten dienste van de Liefhebbers van *waarheid en deugd*: op dat die daarvan zo breed opgeven, en hun drek en vuyligheid aan de eenvoudige voor amberdegryns in de vuyft duwen, een maal de mond geflopt mogten worden, en ophouden te lasteren, dat zy nog niet verstaan; *God, hun zelve, en malkanders welstand helpen in agt neemen*, En die krank in't verstand zijn door den geest der *Zagtmoedigheid* en *Verdraagzaamheid* geneezen, naa't Voorbeeld van de Heer Christus, onzen besten Leermeeester.

In cod. B (Johannis Monnikhoffii manu exarato) libelli titulus hic est:

E T H I C A
OF
Z E D E - L E E R,
VERVAT IN TWEE DEELEN,
WAAR IN GEHANDELD WORD

- I. Van Gods beftaan, en Eigenschappen.
- II. Van den Mensch, ten opzigte van den aart en oorfpronk hunner Hartstogten, het gebruyk haarer Reeden daar omtrent, en welk het middel is waar door zy tot hun Heyl en opperfte vrijhijd worden opgelijd.

Benevens een Anhangzel; behelfende, een kort ontwerp over de natuur der Zelfftandighijd; als meede die van de menfchelijke Ziel, en haar vereeneging met het Lichaam.

Z A M E N G E S T E L D

door

BENEDICTUS DE SPINOZA.

E E R S T E D E E L.

VAN

G O D.

CAP. I.

DAT GOD IS.

Belangende dan het eerste, namelijk of * 'er een God is? dat zeggen wy te kunnen bewezen worden:

Voor eerst (*a priori* of) van vooren aldus:

1. Alles wat wy klaar en onderscheiden verstaan aan de natuur ¹ van een zaak te behooren, dat kunnen wy ook met waarheid van die zaak bevestigen;

Maar dat de wezenthed aan de natuur Gods toebehoort, kunnen wy klaar en onderscheidentlijk verstaan;

Ergo.

Anderzints ook aldus:

2. De wezentheden van de zaken zijn van alle Ewigheid, en zullen in alle ewigheid onveranderlijk blijven;

* Cod. B.: *Belangende dit, dat.* Porro eas scriptiones, quibus fermonem tantum elegantiore reddere studuit Monnikhoffius, repetere superfedemus.

¹ Verstaat de bepaalde natuur, door dewelke de zake is dat ze is, en dat van haar in generlei wijze kan afgescheide worden, zonder ook met een die zaak te vernietigen: als dat tot het wezen van een Berg behoort dat hy een dal hebbe, of 't wezen van de Berg is dat hy een dal hebbe; hetwelk waarlijk eeuwig en onveranderlijk is, en altijd moet zijn in 't concept van een Berg, schoon hy nooyt was of is.

De wezentlijkheid Gods is wezentheid;

Ergo.

(*A posteriori* of) van agteren aldus:

Indien de mensch een Idea van God heeft, zo moet ¹ God formelijk zijn;

Maar de mensch heeft een Idea van God;

Ergo.

Het eerste bewijzen wy aldus:

Als 'er een Idea van God is, zo moet de oorzaak deszelfs formelijk zijn, en in zig vervatten alles wat de Idea voorwerpelijk heeft;

Maar daar is een Idea van God;

Ergo.

Om het eerste dezes bewijsredens te tonen, zo stellen wy deze volgende grondregulen, te weten:

1. dat de kennelijke dingen oneindelijk zijn;
2. dat een eyndig verftand het oneyndige niet kan begrijpen;
3. dat een eyndig verftand door zigzelfs, ten zij het van iet van buyten bepaald wordt, niet en kan verftaan; omdat, gelijk het geen magt heeft alles gelijkelijc te verftaan, alzo weinig heeft het ook magt om te konnen, *exempli gratia*, dit eer als dat, of dat eer als dit, beginnen of aanvangen te verftaan. Het eerste dan, nog ook het tweede niet konnende, zo en kan het niets.

De eerste (of *major*) wordt aldus bewezen:

Indien de verziëring van de mensch alleen oorzaak was van zijn

¹ Uyt de beschrijvinge hierna Cap. 2 van dat God oneyndige eygenschapen heeft, konnen wy zijne wezentheid aldus bewijzen: Al dat wy klaar en onderscheide zien tot de natuur van een zaak te behooren, dat konnen wy ook met waarheid van die zaak bevestigen; maar aan de natuur van een wezen dat oneyndige eygenschapen heeft, behoort een eygenschap, dewelke is Zijn; *Ergo.* Hierop nu te zeggen, dat dit [*B. dat is*] wel bevestigt van de Idea, maar niet van de zaak zelfs, is vals: want de Idea en bestaat niet materialiter van de eygenschap die tot dit wezen behoort, alzo dat [*B. om. dat*] het geen 't welk bevestigt wordt, en is noch van de zaak noch van datgeen 't welk van de zaak bevestigt word; alzo dat tusschen de Idea en het Ideatum een groot onderscheid is: en daarom dat het [*B. om. het*] geene dat men bevestigt van de zaak, dat en bevestigt men niet van de Idea, et vice versa.

Idea, zo zoude het onmogelijk zijn, dat hy iet zoude kunnen begrijpen; maar hy kan iet begrijpen; *Ergo*.

Het eerste wordt bewezen door de eerste grondregel: namelijk *dat de kennelijke dingen oneyndelijk zijn*. En volgens de tweede grondregel en kan hy niet alles verstaan, dewijl het menschelijk verstand bepaald is, en door geen uytterlijke dingen bepaald wordende, om dit eerder als dat, en dat eerder als dit te verstaan, zo zoude het onmogelijk zijn, dat het, volgens de derde regel, iets zoude kunnen verstaan. * 1

* B hanc paragraphum ita habet: *Wijders, wijl volgens de eerste grondregel, de kennelijke dingen oneyndelijk zijn, en volgens de tweede grondregel het eindige verstand niet alles kan begrijpen, en het zelve volgens de derde grondregel geen magt heeft om dit eerder als dat, en dat eerder als dit te verstaan, zoo zou, indien het door geen uytterlijke dingen daar toe wierd bepaald, 't onmogelijk zijn dat het iet zoude kunnen verstaan. Porro perperam in orationis contextum receptum annotationis partem priorem, quam A ita in marginem relegaverat, ut altera pars ad ipsius verba andere Ideas veluti nota quaedam secundaria adjecta esse videretur.*

1 Voorders te zeggen, dat deze Idea een verzierringe is, dat is ook vals: want het is onmogelijk die te hebben zo z'er niet en is; en dit word hier nu getoont pag. 264, daar wy dit nog by doen.

Het is wel waar, dat wy van een Idea die ons eenmaal eerst van de zaake zelfs is hergekomen, en zo in abstracto algemeen van ons gemaakt zijnde, dat daar na van die zelve in ons verstand veel bijzondere worden verziert, die wy dan ook veel andere, en van andere zaaken afgetrokkene eygenschappen kunnen toedigten. Maar dit is onmogelijk te kunnen doen, zonder alvorens de zaake zelfs, van dewelke zy aftrekkels zijn, gekend te hebben. Doch eens gesteld, dat deze Idea een verzierzel is, zo moeten dan alle *andere Ideas*, die wy hebben, niet min verzierzels zijn. Dit zo zijnde, *van waar* dan komt ons in dezelve zo groot een onderscheid? Want wy zien *eenige* die het onmogelijk is dat ze zijn; e. g. alle monsterdieren die men van twee naturen zoud t'zamen zetten, als een dier dat een vogel en een paard zoude zijn, en diergelijke, die onmogelijk in de Natuur, die wy bevinden anders te zijn gesteld, plaats kunnen hebben; *andere Ideas*, wel mogelijk maar niet noodzakelijk dat ze zijn; van dewelke nochtans of ze zijn of niet zijn, haar wezen altijd noodzakelijk is; als de Idea van een driehoek, en die van de liefde in de ziel zonder 't lichaam, enz.; also dat, alfchoon ik eerst dacht, dat ik die verziert hadde, daarna nochtans gedwongen worde te zeggen dat zy niet te min [*B add. in*] hetzelfde zijn, en zouden zijn, schoon ik of geen mensch ooyt om haar gedagt hadde. En hierom dan en zijn zy van my niet verziert, en moeten ook buyten my een subjectum hebben hetwelk ik niet en ben, zonder welk subjectum zy niet en kunnen zijn. Boven deze isser noch *een derde idea*, en die is maar een eenige; en deze brengt met zig een noodzakelijk zijn, en niet als de voorgaande

Uyt alle hetwelk dan het tweede bewezen word, namelijk *dat de oorzaak van de Idea des mensche niet is zijne verzierringe maar eenige uytwendige oorzaak, die hem dringt het eene eerder als het ander te verfaan*, zijnde niet anders, als dat die dingen formelijk zijn, en hem nader als andere, welkers voorwerpelijke wezentheid in zijn verstand is. Zo nu de mensch de Idea van God heeft, zo is het klaar dat God formelijk moet zijn, dog niet uytstekentlijk, aangezien boven of buyten hem niet wezentlijker of voortreffelijker is. Dat nu de mensch de Idea van God heeft, zulks is klaar, dewijl hy zijne eygenschappen ¹ verstaat, welke eygenschappen van hem

alleen dat ze kan zijn: want die haar wezen was wel noodzakelijk, maar niet haar wezentheid; maar van deze is de wezentheid ende het wezen beyde noodzakelijk, en is zonder de zelve niet. Alzo zie ik dan nu, dat van my geen waarheid, wezen, of wezentheid van eenige zake afhangt: want, als in de tweede soorte van Ideën getoont is, zonder my zijn zy 't geene dat ze zijn: of na 't wezen alleen, of na 't wezen en de wezentheid beyde. En zo ook dan, ja veel meer bevinde ik dit waar te zijn in deze derde eenige Idea, en dat niet alleen, dat het van my niet af en hangt, maar in tegendeel, dat hy *alleen* [*hanc vocem om. B.*] moet zyn het *subjeetum* van 't geen ik van hem bevestig. Alzo dat indien hy niet was, ik al heel van hem niets en zoude kunnen bevestigen; gelijk nogtans van de andere dingen, schoon zy niet wezentlijk zijn, gedaan word; ja ook, dat hy moet zijn het subjeetum van alle andere dingen.

Behalven dan dat uyt het tot noch toe gezeide klaar blijkt, dat de Idea van oneyndige eigenschappen aan het volmaakte wezen geen verzierring is, zo zullen wy dit volgende noch daar by doen:

Na voorgaande overweginge van de Natuur, zo en hebben wy in dezelve tot nog toe niet meer kunnen vinden, als alleen twee eygenschappen die aan dit al volmaakte wezen toebehoren. En deze en geven ons geen vergenoeginge door dewelke wy ons zelve kunnen voldoen; want dat [*intellige: wel verre dat*] deze het al zoude zijn, van de welke dit volmaakte wezen zoude beslaan, ja maar integendeel bevinden wy in ons *zulks iets* hetwelk ons opentlijk aanzeid van niet alleen nog meer, maar ook van noch oneyndige volmaakte eigenschappen, die dit volmaakte wezen eigen zijn, eer 't volmaakt gezeid kan worden. En van waar is deze Idea van volmaaktheid? Dit *zulks iets* dan en kan niet voortkomen van deze twee: want twee en geeft maar twee, en geen oneyndige, ergo dan van waar? Van my altijd niet, of ik most ook dat ik niet hadde kunnen geven. Van waar dan anders als van de oneyndige eigenschappen zelve, die ons zeggen dat z'er zijn, zonder nogtans ons tot nog toe te zeggen wat zy zijn: want van twee en weten wy maar wat zy zijn.

¹ *Zijne eygenschappen*: beter is 't, dewijl hy 't geen aan God eigen is verstaat; want die dingen zijn geen eigenschappen Gods. God is wel zonder deze geen God, maar niet door deze, dewijl ze niet zelfstandigs te kennen

niet kunnen voortgebracht worden, omdat hy onvolmaakt is. Maar dat hy nu deze eigenschappen verftaat, is hier uyt blijkelyk, dat hy namerlyk weet, dat het oneyndige van geen verſcheide bepaalde deelen kan tezamengezet worden; datter geen twee oneyndelijke en kunnen zijn, maar *Een Eenig*; dat het volmaakt en onveranderlyk is, als wel wetende dat geen zaake door zig zelfs haar eygen vernietinge zoekt; en meede, dat het tot of in iet beter niet en kan veranderen ¹, aangezien het volmaakt is, 't welk het als dan niet en zoude zijn; of ook dat het zulks niet en kan onderworpen zijn, door iet dat van buyten komt, nadien het almagtig is, enz.

Uyt dit alles dan volgt klaarlyk, dat men en (*a priori*) van vooren en (*a pofteriori*) van agteren bewijzen kan dat God is. Ja nog beter *a priori*. Want de dingen, die men als zoodanig bewijft, moet men door haar uytterlyke oorzaake betonen, het welke in haar is een openbaare onvolmaaktheid, als dewelke hun zelve door hun zelve niet en kunnen te kennen geven, maar alleen door uytterlyke oorzaaken. Dog God, de eerfte oorzaak aller dingen, en ook de oorzaak zijns zelfs, die geeft hem zelve te kenne door hem zelve. Wefhalven van niet veel belang is het zegge van *Thomas Aquina*, namerlyk dat God *a priori* niet en zoude kunnen beweezen worden, omdat hy kwanfuys geen oorzaak heeft.

CAP. II.

WAT GOD IS.

Nadat wy nu als boven bewezen hebben, dat God is, zo zal het nu tijd zijn te tonen wat hy is. Namerlyk hy is, zeggen wy, *een*

geven, maar zijn alleen als adjectiva, die substantiva vereifchen om verklaart te worden.

¹ De oorzaak van deze veranderinge zoude moeten zijn van buyten of in haar. Niet van buyten, want geen zelfstandigheid die als deze door zig zelfs is, hangt van iets buyten hem af: ergo geen *verandering daaryan onderwurpen*. Ook niet in haar; want geen zaak, veel min deze, wil zijn zelfs verderf; alle verderf is van buyten aankomende.

wezen van dewelke alles ofte oneyndelijke eygenscappen gezeyd worden ¹, van welke eygenscappen een yder deszelfs in zijn geslagte oneyndelijk volmaakt is. Om dan onze meeninge in dezen klaar uyt te drukken, zullen wy deze vier navolgende dingen vooraf zeggen:

1. Datter geene bepaalde zelfstandigheid en is ², maar dat alle zelfstandigheid in zijn geslagte oneyndelijk volmaakt moet zijn, te wete, dat in het oneyndelijke verstand Gods geen zelfstandigheid volmaakter kan zijn als die alreeds in de Natuur is.

2. Dat er ook geen twe gelijke zelfstandigheeden zijn.

¹ De reden is, omdat de *Niet* geen eigenschappen konnende hebben, de *Al* dan alle eigenschappen moet hebben; en zo dan de *Niet* geen eigenschappen hebbende, omdat hy niet is, zoo heeft de *Iet* eigenschappen omdat hy *Iet* is. Ergo dan hoe hy meer *Iet* is hoe hy meer eigenschappen moet hebben, en dienvolgende dan God de volmaaktste, de oneyndige, de alle *Iet* zijnde, zo moet hy ook oneindige, volmaakte, en alle eigenschappen hebben.

² Konnende dan bewijzen, datter geen *Bepaalde zelfstandigheid* kan zijn, zo moet dan alle *zelfstandigheid* onbepaald aan 't goddelijk wezen behooren. Dit doen wy aldus: 1. Of ze moet *haar zelfs* bepaald hebben, of haar moet *een ander* bepaald hebben. Niet zy haar zelve, want, onbepaald geweest zijnde, zoude zy haar geheel wezen moeten verandert hebben. Van een ander iffe ook niet bepaalt: want die moet zijn bepaald of onbepaald; niet het eerste, ergo het leste; ergo 't is God. Deze dan zoude moeten bepaald hebben of omdat het hem aan de magt, of aan de wil ontbrak; maar 't eerste is tegen de almachtigheid, het tweede tegen de goetheid. 2. Datter geen *bepaalde zelfstandigheid kan zijn* is hier uyt klaar, omdat ze alsdan noodzaakelijk iet zoude moeten hebben, dat ze van de *Niet* heeft, 't welk onmogelijk is. Want van waar heeft ze dat daar in ze verschilt van God? Niet van God altijd, want die en heeft niet onvolmaakts of bepaalts, enz. ergo dan van waar als van de *Niet*? Ergo: geen zelfstandigheid als onbepaald. Waar uyt volgt, *datter geen twee gelijke onbepaalde zelfstandigheeden kunnen zijn*; want deze stellende, iffer noodzaakelijk bepaling. En uyt deze volgt weder, *dat de eene zelfstandigheid d'ander niet kan voortbrengen*; aldus: De oorzaak die deze zelfstandigheid zou voortbrengen, moet hebben dezelfde eigenschap van deze voortgebrachte, en ook of even zo veel volmaaktheid [*B has septem voces omittit*], of meerder, of minder. Niet het 1., want dan waren twee gelijke. Niet het 2., want dan waffer een bepaalde. Niet het 3., want van de niet komt geen *iet*. — Ten anderen: als van de onbepaalde een bepaalde kwam, zo wierd de onbepaalde [*B: de oorzaak*] ook bepaald, enz. Ergo de eene zelfstandigheid kan d' ander niet voortbrengen. En uyt dit volgt dan alweër, *dat alle zelfstandigheid formelyk moet zijn*, want niet zijnde daar is geen mogelijkheid te kunnen komen.

3. Dat d'eene zelfftandigheid d'ander niet kan voortbrengen.

4. Datter in het oneyndelijke verftand Gods geen zelfftandigheid is, als die formelyk in de Natuur is.

Wat dan aangaat het 1., namenlyk dat 'er geen bepaalde zelfftandigheid en is, enz., zo iemand het tegendeel des zelfs zoude willen fttaande houden, die vraagen wy aldus, te weete: of deze zelfftandigheid dan bepaald is door zig zelfs, namentlyk, dat ze zig zelfs zo bepaald, en niet onbepaalder heeft willen maaken; dan of zy zodanig is door haar oorzaak, welke oorzaak haar of niet meer heeft kunnen of niet meer heeft willen geven? Niet het eerfte is waar, omdat het niet mogelijk is, dat een zelfftandigheid zig zelfs zoude hebbe willen bepalen, en dat zo een zelfftandigheid die door zig zelfs geweeft is. *Ergo* dan, zeg ik, iffe door haar oorzaak bepaald, de welke noodzaakelyk God is. Voorder, indien zy dan door haar oorzaak bepaald is, zo moet dat zijn òf omdat die oorzaak niet meer heeft kunnen geven òf omdat die niet meer heeft willen geeven. Dat hy niet meer zoud hebben kunnen, zoude ftrijden tegen zijn almagtigheyd ¹; dat hy niet meer zoude hebben willen, aangezien hy wel konde, fmaakt na wangunft, dewelke in God, die alle goet en volheid is, geen zins en is.

Het tweede belangende, *datter geen twe gelijke zelfftandigheden zijn*, bewijzen wy, omdat ieder zelfftandigheid in zijn gellagte vol-

¹ Hierop te zeggen, *dat de natuur van de zaak zulk vereifchte, en derhalven niet anders konde zyn*, is niet [B: niets] gezeit: want de natuur van de zaak kan niets vereifchen als ze niet en is. Zegt gy dat men nogtans kan zien wat tot de natuur van een zaak behoort die niet en is: dat is waar *quo ad exiftentiam*, maar geen zins *quo ad effentiam*. En hierin is 't onderfcheid tuffchen *fcheppen* en *genereren*. Scheppen dan is een zaake daarftellen *quo ad effentiam et exiftentiam fimul*; maar genereren is, dat een zaake voortkomt *quo ad exiftentiam folam*. En daarom iffer nu in de Natuur geen fcheppen maar alleen genereren. Zo dat dan als God fchept, zo fchept hy de natuur van de zaak met de zaak gelijk. En zo zoude hy dan wangunftig zyn, zo hy (wel konnende maar niet willende) de zaak zodanig had gefchapen, dat zy met haar oorzaak in *effentia et exiftentia* niet zoude overeen komen. Doch 't geen wy hier fcheppen noemen, en kan eigentlyk niet gezeit worden ooyt gefchied te zyn, en is maar om aan te wijzen, wat wy, tuffchen *fcheppen* en *genereren* onderfcheid ftellende, daar van kunnen zeggen.

maakt is; want zo er twe gelijke waren, zo moft noodzakelijk de een de andere bepaalen en dienvolgende niet oneyndelijk zijn, gelijk al voor dezen bewezen hebben.

Nopende dan het derde, te wete, *dat de eene zelfftandigheid d'ander niet en kan voortbrengen*: zo wederom iemand het tegen-deel mogt fttaande houden, dat [*B: die*] vragen wy, of de oorzaak die deze zelfftandigheid zoude moeten voortbrengen, dezelfde eygenfchappen van het voortgebragte heeft, of niet en heeft? Niet het laafte is, want van de Niet kan geen Iet voortkomen; Ergo dan het eerfte. En dan vraagen wy voorder, of in die eygenfchap, die oorzaak zoude zijn van dit voortgebragte, even zo veel volmaakt-heyd is, of datter minder of datter meerder in is, als in dit voortgebragte? Minder kander niet in zijn, zeggen wy, om reeden vooren. Meerder ook niet, zeggen wy, omdat als dan deze tweede bepaald zoude zijn, hetwelk ftrijd tegen 't geen nu al van ons bewezen is. Ergo dan even zo veel, ergo dan gelijk, en twe gelijke zelfftandigheden, klaarlijk ftrijdende met ons voorige bewijs. Verder, 't geene gefchapen is, en is geen zins voortgekoomen van de Niet, maar moet noodzaakelijk van hem, die wezentlijk is, gefchapen zijn. Maar dat van hem iets zoude voortgekomen zijn, 't welke iets hy niet als dan en zoude minder hebben nadat het van hem is voortgekomen, dat en konnen wy met ons verftand niet begrijpen. Eyndelijk, zo wy de oorzaak van die zelfftandigheid, die het beginzel is van de dingen dewelke uyt haar eygenfchap voorkomen, willen zoeken, zo ftaat ons dan al wederom te zoeken de oorzaak van die oorzaak, en dan weder de oorzaak van die oorzaak, *et fic in infinitum*; zodat, indien wy noodzaakelijk ergens moeten ftuyten en ruften, gelijk wy moeten, zo is 't noodzaakelijk te ruften op deze allene zelfftandigheid.

5. Dat geene twelk in zich niet heeft iets van een ander dink, en kan ook geen oorzaak zijn van de wezentlijkheid van zulk een ander dink.

6. Dat geene 't welk een oorzaak is van zich zelfs, is onmogelijk dat het zich zelfs zoude hebben bepaald.

7. Dat geene door 't welke de dingen onderhouden worden, is wegens zijn natuur het eerste (eerder) in [*B*: wegens zijn natuur eerder als] zodanige dingen.

PROPOSITIO I.

Geen zelfftandigheid wezentlijk zijnde en kan toegepast worden een en dezelve eigenschap, welke toegepast word aan een ander zelfftandigheid; of (hetwelk hetzelfde is), in de Natuur en kunnen geen twee zelfftandigheden zijn tenzij zy dadelijk onderscheiden worden.

DEMONSTRATIO.

De zelfftandigheden twee zijnde, zijn verscheiden; en dien volgende (*Axioma 2.*) worden onderscheiden of dadelijk of toevallig; niet toevallig, want dan waren de toevallen door haar natuur eer als de zelfftandigheid, tegens de 1. axioma; ergo dadelijk; en volgens dien en kan (*Axioma 4.*) van d'eene niet gezeid worden, dat van de ander gezeid word, zijnde dat geene wy trachten te bewijzen.

PROPOSITIO II.

De eene zelfftandigheid en kan geen oorzaak zijn van de wezentlijkheid van een ander zelfftandigheid.

DEMONSTRATIO.

Zoodanigen oorzaak en kan (*Prop. 1.*) in zich niet hebben iets van zulk een uytwerking; want het verschil tuffchen hun is dadelijk, en gevolglijk zo en kan zy (*Axioma 5.*) die (wezentlijkheid) niet voortbrengen.

PROPOSITIO III.

Alle eygenfchappen of zelfftandigheid is door haar natuur oneyndig, en ten opperften volmaakt in zijn geflacht.

DEMONSTRATIO.

Geen zelfftandigheid is veroorzaakt van een ander (*Prop. 2.*); en by gevolg, zo ze wezentlijk is, zo iffe of een eigenfchap van God, of ze heeft buyten God geweest een oorzaak van zig zelfs. Indien het 1^e, zo iffe noodzakelijk oneyndig, en ten hoogften volmaakt in zijn geflacht, hoedaanig zijn alle andere eigenfchappen Gods. Indien het 2^e, zoo iffe noodzakelijk ook zodanig; want (*Axioma 6.*) zich zelfs en zoude ze niet kunnen bepaald gehad hebben.

PROPOSITIO IV.

Aan alle wezen van zelfftandigheid behoord van natuur de wezentlijkheid ook zo zeer, dat het onmogelijk is in eenig oneyndig verftand te kunnen ftellen de Idea van het wezen eenens zelfftandigheid, dewelke niet en zij wezentlijk in de Natuur.

DEMONSTRATIO.

Het ware wezen van een voorwerp is iets het welk dadelijk onderfcheiden is van de Idea des zelven voorwerps; en dit iets is (*Axioma 3.*) of dadelijk wezentlijk, of begrepen in een andere zaak die dadelijk wezentlijk is; van welke andere zaak men niet en zal kunnen dit wezen dadelijk maar alleen wijzelijk (*modaliter*) onderfcheiden; hoedanig zijn alle de wezens van dingen, die wy zien, dewelke te vooren niet wezentlijk zijnde, in de uytgebreidheid, beweging, en ruste begrepen waren, en wanneer zy wezentlijk zijn niet en worden onderfcheiden van de uytgebreidheid dadelijk, maar alleen wijzelijk. En ook, het wikkeld zich in tegenftrijdigheid, dat

een wezen van de zelfftandigheid op deze wijze in een andere zaake begrepen zij; als dewelke alsdan van dezelve niet dadelijk en zoude onderscheiden worden, tegen de 1^e propofitie; en ook dat ze als dan zoude kunnen voortgebracht zijn van het onderwerp 't welk haar begrijpt, tegen de 2^e propofitie; en eyndelijk zoude ze door haar natuur niet kunnen zijn oneyndig en ten opperften volmaakt in haar geflacht, tegen de 3^e prop. Ergo dan, dewijl haar wezen niet en is begrepen in eenig ander dingh, zoo iffe dan een zaake, die door zich zelve beftaat.

COROLLARIUM.

De natuur word gekent door zig zelfs, en niet door eenig ander dink. Zy beftaat van oneyndige eigenschappen, een ieder van dezelve oneyndig en volmaakt in zijn geflacht; aan welkers wezen de wezentlijkheid toebehoort, alzo dat buyten dezelve geen wezen of zijn meer en is, en zy alzo naaupuntig overeenkomt met het wezen van de alleen heerlijke en gezegende God.

VAN DE MENSCHELIJKE ZIEL.

De mensch aangezien hy een gefchapen eyndige zaak, enz. is, zo is 't noodzaakelijk, dat hetgeen hy heeft van Denking; en 't welk wy de Ziel noemen, zulks zij een eigenschap [*B*: wijziging] van die eigenschap die wy Denking noemen, zonder dat tot zijn wezen eenig ander ding als deze wijzing behoort: en dat zo zeer, dat zo deze wijzing te niet gaat, de ziel ook vernietigt word, alschoon dat de voorgaande eigenschap onveranderlijk blijft. Op dezelfde manier van 't geen hy heeft van Uytgebreidheid, 't welk wy Lichaam noemen, en is niet anders als een wijzing van de andere eigenschap die wy Uytgebreydheid noemen; die ook vernietigt wordende, is het menschelijk lichaam niet meer, alschoon ook de eigenschap van Uytgebreidheid onveranderlijk blijft.

Om nu te verftaan hoedanig deze wijzing zij, die wy ziel noemen, en hoe hy zijn oorfprong van het lichaam heeft, en ook, hoe zijne verandering (alleen) afhangt van het lichaam ('t welk by my is de vereeniging van ziel en lichaam), zo moet aangemerkt worden,

1. dat de wijzing de alderonmiddelijkste van de eigenschap, die wy denking noemen, voorwerpelijk in zig heeft het formelijke wezen van alle dingen; en dat zodanig, dat by aldien men stelde eenig formelijk ding, welkers wezen niet en was voorwerpelijk, in de voorgenoemde eigenschap, zo en waar ze alheel niet oneyndig, noch ten hoogsten volmaakt in haar geslacht; tegen 't geen nu al bewezen is door de 3^e propositie. En zijnde het zodanig, dat de Natuur of God een wezen is, van welke oneyndige eygenschapen gezeid worden, en de welke in zich bevat alle wezens van de geschaape dingen; zo ist noodzaakelijk, dat van al dat [*A add.* geene 't welk] in de Denking voortgebracht word eene oneindige Idea, dewelke in zich voorwerpelijk bevat de geheele Natuur, zulks als die in zig dadelijk is.

2. staat aan te merken, dat alle de overige wijzingen, gelijk als Liefde, Begeerte, Blijdschap, haaren oorspronk van deze eerste onmiddelijke wijzing hebben; ook zodanig, dat in gevale die niet alvoor en ging, daar geen liefde, begeerte enz. en zoude kunnen zijn. Waar uyt klaarlijk besloten word, dat de natuurlijke liefde, die in ieder zaak is tot behoudinge zijns lichaams [*A add.* (ik zeg de wijzing)] niet en kan eenige andere oorspronk hebben, als van de Idea of het voorwerpelijk wezen, hetwelk van zodaanig lichaam is in de denkende eigenschap. Verder, aangezien tot het wezentlijk zijn van een Idea (of voorwerpelijk wezen) geen ander dink vereyscht word, als de denkende eigenschap en het voorwerp (of vormelijk wezen), zoo is 'r dan zeker, 't geene wy gezeid hebben, dat de Idea, of 't voorwerpelijk wezen, de alderonmiddelijkste ¹ wijzing is van de eigenschap. En dienvolgende zoo en kan er in de denkende eigenschap geen andere wijzing gegeven worden, dewelke zoude behooren tot het wezen van de ziel enes gelijken [*B:* iogelijk'n] dings, als alleen de Idea, welke noodzakelijk van zulk een dink, wezentlijk zijnde, moet zijn in de denkende eigenschap: want zoodanig een Idea sleept met zich de overige wijzingen van

¹ Ik noem de alderonmiddelijkste wijzing van de eigenschap die wijzing de welke, om wezentlijk te zijn, niet van noden heeft eenige andere wijzing in dezelve eigenschap.

Liefde, Begeerte, enz. Nu dan, aangezien de Idea voortkomt van de wezentlijkheid des voorwerps, zoo moet dan ook het voorwerp, veranderende of vernietigende, dezelve Idea na graden veranderen of vernietigen, en dit zo zijnde, zo is zy datgeen, 't welk vereenigt is met het voorwerp.

Eyndelijk, indien wy zouden willen voortgaan, en aan het wezen van de ziel toefchrijven dat geene, door hetwelke zy wezentlijk zoude kunnen zijn, men zoude niet anders kunnen vinden als die eigenschap en het voorwerp van dewelke wy nu gefprooken hebben; en geen van deze en kan behoren an 't wezen van de ziel, aangezien het voorwerp van de Denking niets en heeft, en van de ziel dadelijk onderscheiden word. En de eigenschap aangaande: wy hebben nu ook al bewezen dat ze tot het voorgenoemde wezen niet en kan behoren; 't welk, door 't geene wy daar na gezeid hebben, noch klaarder gezien word; want de eigenschap als eigenschap en is niet vereenigt met het voorwerp, dewijl ze noch veranderd noch vernietigt, alfchoon het voorwerp veranderd of vernietigt.

Ergo dan zo bestaat het wezen van ziel alleen hierin, namelijk in het zijn van een Idea of voorwerpelijk wezen in de denkende eigenschap, ontstaande van het wezen eenes voorwerps, 't welk inder daad in de Natuur wezentlijk is. Ik zeg *van een voorwerp dat dadelijk wezentlijk is*, enz. zonder meer bijzonderheid, om dan hieronder te begrijpen niet alleen de wijzingen van de uytgebreidheid, maar ook de wijzingen van alle de oneyndige eygenschappen, de welke mede, zo wel als de uytgebreidheid, een ziele hebben. En om deze beschrijvinge wat besonderlijker te verstaan, dient acht geslaagen op 't geene ik nu al gezeid hebbe spreekende van de eigenschappen, dewelke ik gezeid hebbe niet na haar wezentlijkheit onderscheyden te worden, [*A add.* want zy zelve zijn de onderwerpen van haare wezens;] alsmede dat het wezen van een yder van de wijzingen in de nu genoemde eigenschappen van Een oneyndig Wezen is begrepen. Waaron ik ook deze Idea in het 9. Cap. van het 1. deel genoemt heb *een scepzel onmiddelijk van God geschapen*, aangezien ze in zich voorwerpelijk heeft het vormelijk wezen van alle dingen, zonder te nemen of te geven. [*A add.* En deze is noodzakelijk

maar een, in acht genomen, dat alle de wezens van de eygenschap- pen, en de wezens van de wijzingen begrepen in deze eygenschap- pen, het wezen zijn van een alleen oneyndig wezen.] Maar staat nogh aan te merken, dat deze wijzingen, in aanmerkinge, dat geen derzelve dadelijk is, zy nochtans gelijkmatig begrepen zijn in haare eigenschappen; en dewijl in de eigenschappen geen ongelijkheid ter wereld is, noch ook in de wezens van de wijzingen, zo en kan 'er in de Idea geen bijzonderheid zijn, aangezien die in de Natuur niet zijn. Maar zo wanneer eenig van deze wijze haare besondere we- zentlijkheid aandoen, en haar door dezelve op eenige wijs onder- scheiden van haare eigenschappen (dewijl aldan hare besondere we- zentlijkheid, welke zy in de eygenschap hebben, het onderwerp is van haar wezen), aldan vertoont er zig een bijzonderheid in de wezens van de wijzingen, en gevolglijk in de voorwerpelijke wezens, die van de zodanige noodzaakelijk begrepen worden in de Idea. En dit is de oorzaak waarom wy in de beschrijving gebruykt hebben deze woorden, dat de Idea [*B*: de ziel, het denkbeeld, of voor- werpelijk wezen in de denkende eygenschap] is *ontstaande uyt een voorwerp, 't welk wezentlijk in de Natuur is*. En hiermede achten wy dan genoegzaam verklaart, wat voor een ding de ziel in 't alge- meen is, verstaande onder het gezeide niet alleen de Ideën, welke ontstaan uyt de lichaamelyke wijzingen, maar ook die welke ontstaan uyt de wezentlijkheid van een ygelijke wijzing van de overige eygenschappen.

Maar aangezien wy van de overige eigenschappen niet en hebben zoodanige kennisse als wy hebben van de uytgebreidheid, zoo laat ons eens zien of wy, oogmerk neemende op de wijzingen van de uytgebreidheid, kunnen uytvinden een besonderlijker beschrijving, en die meer eigen is om 't wezen van onze zielen uyt te drukken, want dit is ons eigentlijke voornemen. Wy zullen dan hier voor- onderstellen als een zake, die bewezen is, dat in de uytgebreydheid geen andere wijzinge is als beweging en stilte, en dat ieder bezon- der lichaamelijk ding niets anders is als een zekere proportie van beweginge en stilte, ook zoozeer, dat by aldien in de uytgebreyd- heid niet anders was, dan alleen beweging of alleen stilte, zoo en

zoude in de geheele uytgebreidheid niet kunnen aangewezen worden of zijn eenig bijzonder ding; alzoo dat dan het menschelijk lichaam niet anders is, als een zekere proportie van beweginge en stilte. Het voorwerpelijke wezen dan, 't welk van deze wezentlijke proportie is in de denkende eigenschap, dat (zeggen wy) is de ziele van 't lichaam; zo wanneer nu een van deze twee wijzingen of in meer of in min (beweginge of stilte) veranderen, zo veranderd zig ook na graden de Idea. Als e. g. zo de stilte zig komt te vermeerderen, en de beweging te verminderen, zo word daar door veroorzaakt de pijn of droefheid die wy *koude* noemen; zo dit integendeel geschied in de beweging, zo word daar door veroorzaakt de pijn die wy *hitte* noemen. En zo wanneer het zij (en hier uyt ontstaat de verscheide wijs van pijn, die wy gevoelen, als ons met een stokje in de oogen of op de handen geslagen word), dat de graaden van beweging en stilte niet en zijn evengelyk in alle de deelen van ons lichaam, maar dat eenige meer van beweging en stilte hebben als andere, hier van daan is de verscheidenheid van gevoelen. En wanneer het zij (en hier uyt ontstaat het onderscheid van gevoel uyt het slaan met een hout of ijzer op een zelve hand) dat de uyerlijke oorzaaken, die ook deze veranderingen te weeg brengen, in zich verschillen, en niet alle dezelve uytwerkinge hebben, zo ontstaat hier uyt de verscheidenheid van 't gevoel in een en 't zelve deel. En wederom, indien de verandering, welke geschied in een deel, een oorzaak zij dat ze wederkeer tot haar eerste proportie, hier uyt ontstaat de blijdschap, die wy ruste, gemakelijke oeffening, en vrolijkheid noemen. Eyndelyk dan, dewijle wy nu verklaart hebben, wat het gevoel is, zo kunnen wy lichtelyk zien, hoe hier uyt komt te ontstaan een weerkeeringe Idea, off de kennisse zijns zelfs, de Ervaring en Redenering. En ook uyt alle deze (gelyk ook omdat onze ziel vereenigt is met God, en een deel is van de oneyndige Idea, van God onmiddelyk ontstaande) kan klaarlijk gezien worden den oorspronk van de klare kennisse, en de onsterfelykheid der ziele. Doch voor tegenwoordig zal het gezeide ons genoegh zijn.

RENATI DES CARTES
P R I N C I P I O R U M
P H I L O S O P H I Æ

P A R S I E T I I.

More Geometrico demonstrata

P E R

B E N E D I C T U M D E S P I N O Z A

Amstelodamensem.

Accefferunt Ejusdem

C O G I T A T A M E T A P H Y S I C A ,

*in quibus difficiliore, quæ tam in parte Metaphysices generali
quam speciali occurrunt, quæstiones breviter explicantur.*



C A N D I D O
L E C T O R I

S. P. D.

LUDOVICUS MEYER.

Mathematicorum in Scientiis investigandis ac tradendis Methodum, qua nempe ex Definitionibus, Postulatis, atque Axiomatis Conclusiones demonstrantur, optimam esse tutissimamque veritatis indaganda atque docenda viam, omnium, qui supra vulgus sapere volunt, unanimes est sententia. Et quidem jure merito. Etenim, cum omnis rei ignotæ certa ac firma cognitio non, nisi ex certo præcognitis, hauriri ac derivari queat, hæc necessario ab imo præstruenda erunt, tanquam stabile fundamentum, cui postmodum, ne sponte subsidat, aut minimo impetu pessum eat, totum cognitionis humanæ edificium superimponatur. Istius autem notæ esse, quæ passim Matheos cultoribus nomine Definitionum, Postulatorum, atque Axiomatum venire solent, nemini dubium esse poterit, qui nobilem istam disciplinam a limine tantum salutaverit. Definitiones enim nihil aliud sunt, quam terminorum atque nominum, quibus res tractanda designantur, apertissimæ explanationes. Postulata autem et Axiomata, seu communes animi Notiones, adeo claræ atque perspicuæ sunt Enunciationes, ut iis omnes, qui ipsa vocabula solummodo recte intellexerint, assensum negare nequaquam possint.

Verumenimvero, quamvis hæc ita se habeant, nullas tamen, si Mathematicas excipias, fere disciplinas ea Methodo conscriptas reperies; sed aliâ toto pane calo ab hac diversâ, qua nempe per Definitiones et Divisiones, inter se continuo concatenatas, atque hinc inde quæstionibus atque explicationibus intermixtas, totum absolvitur negotium. Judicarunt enim ferme omnes, ac etiamnum judicant multi, qui scientiis constituendis conscribendisque animum adjecerunt, Methodum istam Mathematicis disciplinis esse peculiarem, reliquasque omnes illam respicere atque aspernari. Unde factum, ut, quacunque in medium adducunt, nullis apodicticis rationibus demonstrant, sed tantum verisimilitudinibus probabilibusque argumentis adstruere contentur, magnam ea ratione magnorum librorum farraginem in lucem protrudentes, in quibus nihil stabilis invenias atque certi, sed omnia contentionis atque dissidii plena, et, quod ab uno ratiunculis quibusdam levibus utcumque confirmatum est, mox ab alio confutatum ac iisdem armis dirutum atque disjectum; adeo ut immotæ veritatis avida mens, ubi tranquillum studii sui stagnum, quod tuto et prospero cursu trajicere, ac quo trajeçto tandem optato cognitionis portu potiri posset, invenire putarat, in opinionum impetuoso se fluctuantem videat mari, ac tempestatibus contentionum undique circumcinctam, incertitudinumque fluxibus indefinenter, sine ulla ex iis unquam emergendi spe, jactatam atque abreptam.

Non defuere tamen aliqui, qui ab his seorsim senserunt, atque hanc miserrimam Philosophiæ sortem miserati, ab ista communi et ab omnibus trita scientias tradendi via recesserunt, ac novam eamque sane arduam multisque difficultatibus scatentem ingressi sunt, ut reliquas, ultra Mathefin, Philosophiæ partes Methodo atque certitudine mathematica demonstratas posteritati relinquerent. Quorum alii jam receptam et in scholis doceri solitam, alii novam, proprio Marte adinventam, istum in ordinem redegerunt Philosophiam, atque orbi litterario propinarunt. Et, quamvis diu multisque labor iste irritò successu susceptus fuerit, exortum tamen fuit tandem splendidissimum illud sæculi nostri jubar Renatus Des Cartes; qui postquam in Mathefi, quicquid veteribus inaccessum fuerat, quicquid insuper a Coætaneis suis desiderari posset, nova Methodo e tenebris in lucem protraxerat,

Philosophia fundamenta inconcussa eruit, quibus plurimas veritates ordine ac certitudine Mathematica superstrui posse, et ipse revera demonstravit, et omnibus, qui illius scriptis nunquam satis laudandis animum sedulo applicuerunt, luce Meridiana clarius apparet.

*Et quamvis Nobilissimi atque Incomparabilis hujus Viri scripta Philosophica Mathematicam demonstrandi rationem ac ordinem continent, non tamen ista communi, ac in Elementis Euclideanis caterisque Geometris usitata, qua nempe, præmissis Definitionibus, Postulatis, ac Axiomatibus, Propositiones earumque Demonstrationes subjunguntur, exarata sunt; sed alia multum ab hac diversa, quam ipse et veram optimamque ad docendum viam, et Analyticam vocat. Duplicem enim in fine Respon. ad secund. Objection. apodictice demonstrandi rationem agnoscit: unam per *Analyfin*, quæ veram viam ostendit, per quam res methodice et tanquam a priori inventa est, etc., alteram per *Synthesin*, quæ utitur longa definitionum, petitionum, axiomatum, theorematum, et problematum serie, ut, si quid ipsi ex consequentibus negetur, id in antecedentibus contineri statim ostendat, sicque a lectore, quantumvis repugnante ac pertinaci, assensionem extorqueat, etc.*

*Verumtamen, licet in utraque demonstrandi ratione certitudo, quæ extra omnem dubitationis aleam posita est, reperitur, non omnibus utraque æque utilis atque commoda existit. Plurimi enim Mathematicarum scientiarum plane rudes, adeoque Methodi, qua illæ conscriptæ sunt (*Syntheticæ*) et qua inventæ sunt (*Analyticæ*) prorsus ignari, res, quæ his in libris pertractantur, apodictice demonstratas, nec sibi met ipsis assequi, nec aliis exhibere queunt. Unde factum, ut multi, qui aut cæco impetu abrepti, aut aliorum auctoritate ducti, Cartesio nomen dederunt, ejus sententiam atque dogmata tantummodo memoria impresserunt, ac, ubi de iis sermo incidit, solum effutire, multaque de istis garrere, nihil autem demonstrare sciant, quemadmodum olim fuit et adhuc hodie Peripatetica Philosophia additis solenne est. Quocirca, ut his aliquid subsidii adferretur, sæpenumero optavi, aliquem tam *Analytici* quam *Syntheticici* ordinis peritum, ac in scriptis Cartesii apprime versatum, illiusque Philosophiæ penitus gnarum, manum operi admoveere, et, quæ ille ordine *Analytico* conscripserat, in*

Syntheticum redigere, ac more Geometris familiari demonstrare velle. Imo ipse, quamvis mea tenuitatis abunde conscius, ac tanto operi longe impar sim, id ipsum tamen præstare sæpe in animum meum induxi, quin etiam aggressus fui; sed aliæ, quibus sæpiissime distrahor, mihi illud peragendi viam obseperunt occupationes.

Gratissimum itaque mihi accidit ex Authore nostro intelligere, se discipulo cuidam suo, dum eum Cartesii Philosophiam doceret, Secundam Principiorum partem integram, ac partem Tertiæ, more illo Geometrico demonstratas, nec non præcipuas difficilioresque, quæ in Metaphysicis ventilantur, quæstiones, ac a Cartesio nondum emodatas, diçasse; atque, hæc una, a se correctâ atque auctâ, ut lucem aspicerent, amicis id summopere expetentibus atque extorquentibus concessisse. Unde etiam ego id probavi, simulque operam meam, si ea in edendo egeret, ex animo obtuli; ac suasi præterea, imo rogavi, ut primam quoque Principiorum partem similem redigeret in ordinem, ac his præmitteret, quo ab ovo res hoc modo disposita et melius intelligi, et magis placere posset. Quod cum summa ratione nisi videret, et amici precibus, et lætoris utilitati denegare noluit; meisque insuper curis totum tam impressionis, cum procul ab urbe ruri degat, adeoque illi adesse non possit, quam editionis negotium commisit.

Hæc igitur sunt, quæ tibi, candide Lætor, damus hoc in libello: nempe Renati Des Cartes primam et secundam Principiorum Philosophiæ partes, una cum fragmento tertiæ, quibus nostri Authoris Cogitata Metaphysica, nomine Appendicis, subjunximus. At vero primam Principiorum partem cum hic et nos dicimus, et libelli Titulus promittat, id non ita intellectum volumus, ac si omnia, quæ in ea a Cartesio diçta sunt, hic Geometrico ordine demonstrata exhiberentur, sed tantum, denominationem a potiori fuisse desumptam, adeoque præcipua, quæ ad Metaphysicam spectant, et in Meditationibus suis tractavit Cartesius (cæteris omnibus, quæ sunt Logicæ considerationis, et tantum historice narrantur ac recensentur, prætermisissis) inde esse decerpta. Quæ etiam quo facilius absolveret Author, huc verbosius fere omnia illa, quæ sub finem Resp. ad secund Object. Geometrico ordine disposita habet Cartesius, transtulit; omnes quidem illius Definitiones præmittendo, ac Propositiones suis inferendo; at Axiomata non

continuo Definitionibus subnectendo, sed post quartam demum Propositionem interponendo, eorumque ordinem, quo facilius demonstrari possent, immutando, ac quadam, quibus non egebat, omitendo. Et, quamvis hæc Axiomata (ut etiam habet ipse Cartesius Postulat. 7.) instar Theorematum demonstrari, ac etiam concinnius nomine Propositionum venire posse, Authorem nostrum non fugiat, nosque etiam, ut id effectum daret, petierimus; majora tamen, quibus est implicitus, negotia ei tantum duarum, quibus hoc opus absolvere coactus fuit, septimanarum octum concesserunt, adeoque in causa fuere, quo minus et suo et nostro desiderio satisfacere potuerit, sed brevem duntaxat subnectens explicationem, quæ demonstrationis vicem subire potest, majorem ac omnibus numeris absolutam in aliud tempus rejecerit, si forte post hanc distractam impressionem nova adornaretur. Ad quam augendam conabimur etiam ab ipso impetrare, ut totam tertiam Partem de Mundo aspectabili (cujus tantum adjunximus fragmentum, cum Author hic institutioni finem imposuerit, et nos eo, quantumcunque sit, lectorem privare noluerimus) absolvat. Atque hoc ut debito modo perficiatur, hinc inde in secunda Parte quadam de Fluidorum natura et proprietatibus Propositiones interspargendæ erunt; quod ut Author tum exsequatur, pro virili admittat.

Nec tantum in Axiomatibus proponendis explicandisque, sed etiam in ipsi Propositionibus caterisque Conclusionibus demonstrandis, a Cartesio sapissime recedit, ac Apodeixi longe ab illius diversa utitur noster Author. Quod sane nemo ita interpretetur, ac si clarissimum illum Virum in iis corrigere vellet, sed eum in finem tantum factum putet, ut suum jam receptum ordinem melius retinere posset, nec Axiomatum numerum nimium augetet. Qua eadem etiam de causa quamplurima, quæ Cartesius sine ulla demonstratione proposuit, demonstrare, et quæ plane prætermisit, addere coactus fuit.

Animadverti tamen vel imprimis velim in his omnibus, nempe, tam in 1. et 2. Princip. partibus, ac fragmento tertiæ, quam in Cogitatis suis Metaphysicis, Authorem nostrum meras Cartesii sententias illarumque demonstrationes, prout in illius scriptis reperiuntur, aut quales ex fundamentis ab illo jactis per legitimam consequentiam deduci debebant, proposuisse. Cum enim discipulum suum Cartesii Philosophiam

docere promississet, religio ipsi fuit, ab ejus sententia latum unguem discedere, aut quid, quod ejus dogmatibus aut non responderet, aut contrarium esset, dicere. Quamobrem judicet nemo, illum hic aut sua, aut tantum ea, quæ probat, docere. Quamvis enim quadam vera judicet, quadam de suis addita fateatur; multa tamen occurrunt, quæ tanquam falsa rejicit, et a quibus longe diversam fovet sententiam. Cujus notæ inter alia, ut ex multis unum tantum in medium afferam, sunt, quæ de Voluntate habentur Schol. Prop. 15. part. 1. Principior. et Cap. 12. part. 2. Appendic., quamvis satis magno molimine atque apparatu probata videantur. Neque enim eam distinctam ab Intellectu, multo minus tali præditam esse libertate existimat. Etenim in his afferendis, ut ex Dissertat. de Method. part. 4. et Meditat. 2. aliisque locis liquet, tantum supponit, non probat Cartesius, mentem humanam esse substantiam absolute cogitantem. Cum contra Auctor noster admittat quidem, in Rerum Natura esse substantiam cogitantem, attamen neget, illam constituere essentiam Mentis humanæ; sed statuat, eodem modo, quo Extensio nullis limitibus determinata est, Cogitationem etiam nullis limitibus determinari; adeoque, quemadmodum Corpus humanum non est absolute, sed tantum certo modo secundum leges Naturæ extensa per motum et quietem determinata extensio; sic etiam Mentem sive Animam humanam non esse absolute, sed tantum secundum leges Naturæ cogitantis per ideas certo modo determinatam cogitationem; quæ necessario dari concluditur, ubi corpus humanum existere incipit. Ex qua definitione non difficile demonstratu esse putat, Voluntatem ab Intellectu non distingui, multo minus ea, quam illi Cartesius adscribit, pollere libertate; quin imo ipsam affirmandi et negandi facultatem prorsus fictitiam; tò autem affirmare et negare nihil præter ideas esse; cæteras vero facultates, ut Intellectum, Cupiditatem, etc. in numerum figmentorum, aut saltem illarum notionum reponi debere, quas homines ex eo, quod res abstractæ concipiunt, formaverunt, quales sunt humanitas, lapideitas, et id genus aliæ.

Prætereundum etiam hic nequaquam est, in eundem censum venire debere, hoc est, ex Cartesii mente tantum dici, quod aliquibus in locis reperitur, nempe hoc aut illud captum humanum superare. Neque enim hoc ita accipiendum, ac si ex propria sententia talia proferret

noſter Author. Judicat enim iſta omnia, ac etiam plura alia magis ſublimia atque ſubtilia, non tantum clare ac diſtincte a nobis concipi, ſed etiam commodiſſime explicari poſſe, ſi modo humanus Intellectus alia via, quam quæ a Cartefio aperta atque ſtrata eſt, in veritatis inveſtigationem rerumque cognitionem deducatur; atque adeo ſcientiarum fundamenta a Cartefio eruta, et quæ iis ab ipſo ſuperædificata ſunt, non ſufficere ad omnes ac diſſicillimas, quæ in Metaphyſicis occurrunt, quæſtiones enodandas atque ſolvendas, ſed alia requiri, ſi ad illud cognitionis faſtigium intellectum noſtrum cupimus evehere.

Denique (ut præſandi finem faciam) Leſtores non ignorare volumus, omnes hos tractatus nullum alium in finem, quam veritatis indagandæ atque propagandæ, hominesque ad veræ ac ſincere Philoſophiæ ſtudium incitandi gratia, evulgari; adeoque omnes, antequam ſe leſioni accingant, ut ex ea uberem, quem cuique ex animo optamus, fruſtum capere queant, ſedulo monitos, ut omiſſa quædam ſuis locis inferant; et menda Typographica, quæ irreperunt, accurate corrigere velint: talia enim quædam interea ſunt, quæ obicem ponere poſſent, quo minus Demonſtrationis vis et Authoris mens recte perciperetur, ut quilibet ex eorum inſpectiõne facile deprehendet.

Ad Librum.

Ingenio feu te natum meliore vocemus,
Seu de Cartesii fonte renatus eas,
Parve Liber, quidquid pandas, id solus habere
Dignus, ab exemplo laus tibi nulla venit.
Sive tuum spectem genium, seu dogmata, cogor
Laudibus Auctorem tollere ad astra tuum.
Haftenus exemplo caruit, quod praestitit; at tu
Exemplo haud careas, obsecro, parve Liber;
Spinozae at quantum debet Cartesius uni,
Spinoza ut tantum debeat ipse sibi.

*I. B. M. D. **

* J. Breffer Med. Doct., ut videtur. Cf. supra pp. 120, 143, 236, 238.

P R I N C I P I A
P H I L O S O P H I Æ
M O R E G E O M E T R I C O
D E M O N S T R A T A .

P A R S I .

P R O L E G O M E N O N .

Antequam ad ipsas Propositiones earumque Demonstrationes accedamus, visum fuit in antecessum succincte ob oculos ponere, cur Cartesius de omnibus dubitaverit, quâ viâ solida scientiarum fundamenta eruerit, ac tandem, quibus mediis se ab omnibus dubiis liberaverit; quæ omnia quidem in ordinem Mathematicum redegissemus, nisi prolixitatem, quæ ad id præstandum requireretur, impedire judicavissemus, quo minus hæc omnia, quæ uno obtutu, tanquam in pictura, videri debent, debite intelligerentur.

Cartesius itaque, ut quam cautissime procederet in rerum investigatione, conatus fuit,

- 1°. Omnia præjudicia deponere.
- 2°. Fundamenta invenire, quibus omnia superstruenda essent.
- 3°. Causam erroris detegere.
- 4°. Omnia clare et distincte intelligere.

Ut vero primum, secundum, ac tertium assequi posset, omnia in dubium revocare aggreditur; non quidem ut Scepticus, qui sibi nullum alium præfigit finem quam dubitare, sed ut animum ab omnibus præ-

judiciis liberaret, quo tandem firma atque inconcussa scientiarum fundamenta, quæ hoc modo ipsum, si quæ essent, effugere non possent, inveniret. Vera enim scientiarum principia adeo clara ac certa esse debent, ut nulla indigeant probatione, extra omnem dubitationis aleam sint posita, et sine ipsis nihil demonstrari possit. Atque hæc, post longam dubitationem, reperit. Postquam autem hæc principia invenisset, non ipsi difficile fuit, verum a falso dignoscere, ac causam erroris detegere; atque adeo sibi cavere, ne aliquid falsum et dubium pro vero ac certo assumeret.

Ut autem quartum et ultimum sibi compararet, hoc est, omnia clare et distincte intelligeret, præcipua ejus regula fuit, omnes simplices ideas, ex quibus reliquæ omnes componuntur, enumerare, ac quamlibet sigillatim examinare. Ubi enim simplices ideas clare et distincte percipere posset, sine dubio etiam omnes reliquas, ex simplicibus illis confatas, eadem claritate et distinctione intelligeret. His ita prælibatis, breviter explicabimus, quomodo omnia in dubium revocaverit, vera Scientiarum principia invenerit, ac se ex dubitationum difficultatibus extricaverit.

*Dubitatio
de omnibus.*

Primo itaque sibi ob oculos ponit omnia illa, quæ a sensibus acceperat, nempe cælum, terram, et similia, atque etiam suum corpus; quæ omnia eousque in Rerum Natura esse putaverat. Ac de horum certitudine dubitat, quia sensus ipsum interdum sefellisse deprehenderat, et in somnis sibi sæpe persuaserat, multa extra se vere existere, in quibus postea, se delusum esse, compererat; ac denique quia alios etiam vigilantes asserere audierat, se in membris, quibus dudum caruerant, dolorem sentire. Quare non sine ratione etiam de sui corporis existentia dubitare potuit. Atque ex his omnibus vere concludere potuit, sensus non esse firmissimum fundamentum, cui omnis scientia superstruenda sit (possunt enim in dubium revocari), sed certitudinem ab aliis principiis nobis certioribus dependere. Ut autem porro talia investiget, secundo sibi ob oculos ponit omnia universalialia, qualia sunt natura corporea in communi, ejusque extensio, item figura, quantitas, etc., ut etiam omnes mathematicæ veritates. Et, quamvis hæc ipsi certiora viderentur, quam omnia quæ a sensibus hauserat, rationem tamen de iis dubitandi invenit; quo-

niam alii etiam circa ea errant, et præcipue, quoniam infixæ quædam erat ejus menti vetus opinio, Deum esse, qui potest omnia, et a quo talis, qualis existit, creatus est, quique adeo forsan fecerat, ut etiam circa illa, quæ ipsi clarissima videbantur, deciperetur. Atque hic est modus, quo omnia in dubium revocavit.

Ut autem vera scientiarum principio inveniret, inquisivit postea, num omnia, quæ sub ejus cogitationem cadere possent, in dubium revocaret, ut sic exploraret, an non forte quid reliquum esset, de quo nondum dubitaverat. Quod si vero quid, sic dubitando, inveniret, quod nullâ ex præcedentibus, nec etiam ulla alia ratione, in dubium revocari posset; id sibi tanquam fundamentum, cui omnem suam cognitionem superstruat, statuendum esse, merito judicavit. Et quamquam jam, ut videbatur, de omnibus dubitaret; nam æque de iis, quæ per sensus hauserat, quam de iis, quæ solo intellectu perceperat, dubitaverat, aliquid tamen, quod explorandum esset, reliquum fuit, ille nimirum ipse, qui sic dubitabat. Non quatenus capite, manibus, reliquisque corporis membris constabat, quoniam de his dubitaverat; sed tantum quatenus dubitabat, cogitabat, etc. Atque, hoc accurate examinans, comperit, se nullis prædictis rationibus de eo dubitare posse. Nam, quamvis somnians aut vigilans cogitet, cogitat tamen atque est; et quamvis alii, aut etiam ille ipse circa alia erravissent, nihilominus, quoniam errabant, erant. Nec ullum suæ naturæ autorem adeo callidum fingere potest, qui eum circa hoc decipiat; concedendum enim erit, ipsum existere, quamdiu supponitur decipi. Nec denique, quæcumque alia excogitetur dubitandi causa, ulla talis adferri poterit, quæ ipsum simul de ejus existentia non certissimum reddat. Imo, quo plures adferuntur dubitandi rationes, eo plura simul adferuntur argumenta, quæ illum de sua existentia convincunt. Adeo ut, quocumque se ad dubitandum vertat, cogatur nihilominus in has voces erumpere, *dubito, cogito, ergo sum.*

Hac igitur detecta veritate, simul etiam invenit omnium scientiarum fundamentum; ac etiam omnium aliarum veritatum mensuram ac regulam; scilicet, *Quicquid tam clare ac distincte percipitur, quam istud, verum est.*

Nullum vero aliud, quam hoc, scientiarum fundamentum esse posse, fati superque liquet ex præcedentibus: quoniam reliqua omnia facillimo negotio a nobis in dubium revocari possunt, hoc autem nequaquam. Verumenimvero circa hoc fundamentum hic apprime notandum, hanc orationem, *dubito, cogito, ergo sum*, non esse syllogismum, in quo major propositio est omissa. Nam, si syllogismus esset, præmissæ clariore et notiores deberent esse, quam ipsa conclusio, *ergo sum*: adeoque *ergo sum* non esset primum omnis cognitionis fundamentum; præterquam quod non esset certa conclusio: nam ejus veritas dependeret ab universalibus præmissis, quas dudum in dubium Autor revocaverat; ideoque *cogito, ergo sum*, unica est propositio, quæ huic, *ergo sum cogitans*, æquivalet.

Sciendum porro, ut confusionem in sequentibus vitemus (clare enim ac distincte res percipienda est), quid simus? Nam, hoc clare et distincte intellecto, nostram essentiam cum aliis non confundemus. Ut igitur id ex præcedentibus deducat, sic pergit noster Autor.

Omnes, quas olim de se habuit, cogitationes in memoriam revocat, ut, animam suam esse exiguum quid instar venti, vel ignis, vel ignis, vel ætheris, crassioribus sui corporis partibus infusum, et, corpus sibi notius esse quam animam, illudque a se clarius ac distinctius percipi. Atque hæc omnia clare pugnare cum iis deprehendit, quæ hucusque intellexerat. Nam de suo corpore dubitare poterat, non autem de sua essentia quatenus cogitabat. Adde, quod hæc neque clare neque distincte percipiebat, ac consequenter, ex suæ methodi præscripto, tanquam falsa rejicere debebat. Unde, cum talia ad se, quatenus hucusque sibi cognitum erat, pertinere intelligere non posset, pergit ulterius inquirere, quid ad suam essentiam proprie pertineat, quod in dubium revocare non potuerat, et ob quod suam existentiam concludere cogebatur. Talia autem sunt, *quod sibi cavere voluerit, ne deciperetur; multa cupiverit intelligere; de omnibus, quæ intelligere non poterat, dubitavit; unum tantum hucusque affirmavit; omnia reliqua negavit, et tanquam falsa rejecerit; multaque etiam invitus imaginatus fuerit; ac denique multa, tanquam a sensibus venientia, animadvertit*. Cumque ex singulis his æque evidenter suam existentiam colligere, nec ullum horum inter ea,

quæ in dubium revocaverat, recensere potuerit, ac denique omnia hæc sub eodem attributo concipi possint; sequitur, omnia hæc vera esse, et ad ejus naturam pertinere. Atque adeo, ubi dixerat, *cogito*, omnes hi cogitandi modi intelligebantur, nempe *dubitare, intelligere, affirmare, negare, velle, nolle, imaginari, et sentire*.

Apprime autem hic notandum venit, quod magnum usum in frequentibus, ubi de distinctione mentis a corpore agetur, habebit; nempe 1°. hos cogitandi modos clare ac distincte sine reliquis, de quibus adhuc dubitatur, intelligi; 2°. eorum clarum et distinctum quem habemus, conceptum, obscurum atque confusum reddi, si iis aliqua, de quibus adhuc dubitamus, adscribere vellemus.

Ut denique de iis, quæ in dubium revocaverat, certus redderetur, omneque dubium tolleretur, pergunt inquirere in naturam Entis perfectissimi, et an tale existat. Nam, ubi Ens perfectissimum existere deprehendit, cujus vi omnia producuntur et conservantur, cujusque naturæ repugnat, ut sit deceptor; tum illa ratio dubitandi tollitur, quam ex eo, quod suam causam ignorabat, habuit. Sciet enim, facultatem veri a falso dignoscendi a Deo summe bono et veraci ipsi non fuisse datam, ut deciperetur. Adeoque Mathematicæ veritates, seu omnia, quæ ipsi evidentissima esse videntur, minime suspecta esse poterunt. Progreditur deinde, ut cæteras causas dubitandi tollat, inquitque, undenam fiat, quod aliquando erremus? Quod ubi invenit ex eo oriri, quod libera nostra voluntate utamur ad assentiendum etiam iis, quæ tantum confuse percipimus; statim concludere potuit, se in posterum ab errore cavere posse, modo non nisi clare et distincte perceptis assensum præbeat. Quod unusquisque a se facile impetrare potest, quoniam potestatem habet cohibendæ voluntatis, ac proinde efficiendi, ut intra limites intellectus contineatur. Verum, quia in prima ætate multa hausimus præjudicia, a quibus non facile liberamur, pergunt porro, ut ab iis liberemur, et nihil, nisi quod clare et distincte percipimus, amplectamur, simplices omnes notiones et ideas, ex quibus omnes nostræ cogitationes componuntur, enumerare, easque singulatim examinare; ut quicquid in unaquaque clarum, quid obscurum est, animadvertere possit; sic enim facile clarum ab obscuro distinguere poterit, claraque ac distinctas cogita-

*Liberatio
ab omnibus
dubiis.*

tiones efformare; adeoque facile realem distinctionem inter animam et corpus invenire; et quid in iis, quæ a sensibus hausimus, clarum, quid obscurum sit; et denique, in quo somnium a vigiliis differat. Quo facto neque de suis vigiliis dubitare, neque a sensibus falli amplius potuit; ac sic se ab omnibus dubitationibus supra recensitis liberavit.

Verum, antequam hic finem faciam, iis satisfaciendum videtur, qui sic argumentantur: Cum Deum existere nobis per se non innotescat, de nulla re videmur posse unquam esse certi; nec, Deum existere, unquam nobis innotescere poterit. Nam ex incertis præmissis (omnia enim incerta esse diximus, quamdiu nostram originem ignoramus) nihil certi concludi potest.

Hanc difficultatem ut amoveat Cartesius, respondet hoc pacto: Ex eo, quod nondum sciamus, an forte originis nostræ autor nos tales creaverit, ut fallamur, etiam in iis, quæ nobis vel evidentissima apparent, dubitare nequaquam possumus de iis, quæ clare et distincte per se, vel per ratiocinationem, quamdiu nempe ad illam attendimus, intelligimus; sed tantum de iis, quæ antehac demonstravimus vera esse, quorum memoria potest recurrere, cum non amplius attendimus ad rationes, ex quibus ea deduximus, quarumque adeo sumus oblit. Quapropter, quamvis, Deum existere, non per se, sed tantum per aliud innotescere possit, poterimus tamen ad certam Dei existentiam cognitionem pervenire, dummodo ad omnes, ex quibus illam concludimus, præmissas accuratissime attendamus. *Vide Princip. part. 1. artic. 13. et Resp. ad secund. object. num. 3. et in fin. Meditat. 5.*

Verum, quoniam hæc responsio quibusdam non satisfacit, aliam dabo. Vidimus in præcedentibus, ubi de nostræ existentiam certitudine atque evidentia loquebamur, nos illam ex eo conclusisse, quod, quocumque mentis aciem convertebamus, nullam dubitandi rationem offendebamus, quæ eo ipso nos de nostri existentia non convinceret; sive ubi ad nostram propriam naturam attendebamus, sive ubi nostræ naturæ autorem callidum deceptorem fingebamus, sive denique aliam quamcunque, extra nos, dubitandi rationem accersebamus; quod, circa nullam aliam rem hucusque contingere deprehendimus. Nam,

quamvis ad naturam ex. gr. Trianguli attendentes, cogimur concludere, ejus tres angulos esse æquales duobus rectis, non tamen idem possumus concludere ex eo, quod forte a naturæ nostræ autore decipiamur; quemadmodum ex hoc ipso nostram existentiam certissime colligebamus. Quapropter non, quocunque mentis aciem convertimus, cogimur concludere, Trianguli tres angulos esse æquales duobus rectis, sed contra causam dubitandi invenimus; quia nempe nullam talem Dei ideam habemus, quæ nos ita afficiat, ut nobis impossibile sit cogitare, Deum esse deceptorem. Nam æque facile est ei, qui veram Dei ideam non habet, quam nos non habere jam supponimus, cogitare, suum autorem esse deceptorem, quam non esse deceptorem; quemadmodum illi, qui nullam habet Trianguli ideam, æque facile est cogitare, ejus tres angulos æquales esse, quam, non esse æquales duobus rectis. Quare concedimus, nos de nulla re, præter nostram existentiam, quamvis ad illius demonstrationem probe attendamus, posse esse absolute certos, quamdiu nullum Dei clarum et distinctum conceptum habemus, qui nos affirmare faciat, Deum esse summe veracem, sicuti idea, quam Trianguli habemus, nos cogit concludere, ejus tres angulos esse æquales duobus rectis; sed negamus, nos ideo in nullius rei cognitionem pervenire posse. Nam, ut ex omnibus jamjam dictis patet, cardo totius rei in hoc solo versatur: nempe ut talem Dei conceptum efformare possimus, qui nos ita disponat, ut nobis non æque facile sit cogitare, eum esse quam non esse deceptorem, sed qui nos cogat affirmare, eum esse summe veracem. Ubi enim talem ideam efformaverimus, illa de Mathematicis veritatibus dubitandi ratio tolletur. Nam, quocunque tum mentis aciem convertemus, ut de istarum aliqua dubitemus, nihil offendemus, ex quo ipso, quemadmodum circa nostram existentiam contigit, non concludere debeamus, illam esse certissimam. Ex. grat. si, post Dei ideam inventam, ad naturam Trianguli attendamus, hujus idea nos coget affirmare, ejus tres angulos esse æquales duobus rectis; sin ad ideam Dei, hæc etiam nos affirmare coget, eum summe veracem, nostræque naturæ esse autorem et continuum conservatorem, atque adeo nos circa istam veritatem non decipere. Nec minus impossibile nobis erit cogitare, ubi ad Dei ideam (quam nos invenisse jam

supponimus) attendimus, eum esse deceptorem, quam, ubi ad ideam Trianguli attendimus, cogitare, tres ejus angulos non esse æquales duobus rectis. Et, uti possumus talem Trianguli ideam formare, quamvis nesciamus, an autor nostræ naturæ nos decipiat; sic etiam possumus ideam Dei nobis claram reddere atque ob oculos ponere, quamvis etiam dubitemus, an nostræ naturæ autor nos in omnibus decipiat. Et, modo illam habeamus, quomocunque eam acquisiverimus, sufficiet, ut jamjam ostensum est, ad omne dubium tollendum. His itaque præmissis, ad difficultatem motam respondeo: nos de nulla re posse esse certos, non quidem, quamdiu Dei existentiam ignoramus (nam de hac re non locutus sum), sed quamdiu ejus claram et distinctam ideam non habemus. Quare, si quis contra me argumentari velit, tale debet esse argumentum: De nulla re possumus esse certi, antequam Dei claram et distinctam ideam habeamus. Atqui claram et distinctam Dei ideam habere non possumus, quamdiu nescimus, an nostræ naturæ autor nos decipiat. Ergo de nulla re possumus esse certi, quamdiu nescimus, an nostræ naturæ autor nos decipiat, etc. Ad quod respondeo, concedendo majorem, et negando minorem. Habemus enim claram et distinctam ideam Trianguli, quamvis nesciamus, an nostræ naturæ autor nos decipiat; et modo talem Dei ideam, ut modo fufe ostendi, habeamus, nec de ejus existentia, nec de ulla veritate mathematica dubitare poterimus.

Hæc præfati, rem ipsam nunc aggredimur.

DEFINITIONES.

I. *Cogitationis* nomine complector omne id, quod in nobis est, et cujus immediate conscii sumus.

Ita omnes voluntatis, intellectus, imaginationis, et sensuum operationes sunt cogitationes. Sed addidi immediate, ad excludenda ea, quæ ex iis consequuntur; ut motus voluntarius cogitationem quidem pro principio habet, sed ipse tamen non est cogitatio.

II. *Idea* nomine intelligo cujuslibet cogitationis formam illam, per cujus immediatam perceptionem ipsius ejusdem cogitationis conscii sum.

Adeo ut nihil possim verbis exprimere, intelligendo id, quod dico,

quin ex hoc ipso certum fit, in me esse ideam ejus, quod verbis illis significatur. Atque ita non solas imagines in phantasia depictas ideas voco; imo ipsas hic nullo modo voco ideas, quatenus sunt in phantasia corporea, hoc est, in parte aliqua cerebri depictæ, sed tantum quatenus mentem ipsam in illam cerebri partem conversam informant.

III. Per *realitatem objectivam* idea intelligo entitatem rei representatæ per ideam, quatenus est in idea.

Eodemque modo dici potest perfectio objectiva, vel artificium objectivum, etc. Nam quacunque percipimus tanquam in idearum objectis, ea sunt in ipsis ideis objective.

IV. Eadem dicuntur esse *formaliter* in idearum objectis, quando talia sunt in ipsis, qualia illa percipimus. Et *eminenter*, quando non quidem talia sunt, sed tanta, ut talium vicem supplere possint.

Nota, cum dico causam eminenter perfectiones sui effectûs continere, tum me significare velle, quod causa perfectiones effectûs excellentius quam ipse effectus continet. Vide etiam Axiom. 8.

V. Omnis res, cui inest immediate, ut in subjecto, sive per quam existit aliquid, quod percipimus, hoc est aliqua proprietas sive qualitas sive attributum, cujus realis idea in nobis est, vocatur *Substantia*.

Neque enim ipse substantia, præcise sumta, aliam habemus ideam, quam quod fit res, in qua formaliter vel eminenter existit illud aliquid, quod percipimus, sive quod est objective in aliqua ex nostris ideis.

VI. Substantia, cui inest immediate cogitatio, vocatur *Mens*.

Loquor autem hic de Mente potius, quam de Anima, quoniam Anima nomen est æquivocum, et sæpe pro re corporea usurpatur.

VII. Substantia, quæ est subjectum immediatum extensionis, et accidentium quæ extensionem præsupponunt, ut figuræ, situs, motus localis, etc., vocatur *Corpus*.

An vero una et eadem substantia fit, quæ vocatur Mens et Corpus, an duæ diversæ, postea erit inquirendum.

VIII. Substantia, quam per se summe perfectam esse intelligimus, et in qua nihil plane concipimus, quod aliquem defectum sive perfectionis limitationem involvat, *Deus* vocatur.

IX. Cum quid dicimus in alicujus rei naturam sive conceptum con-

tineri, idem est, ac si diceremus, id de ea re verum esse, sive de ipsa posse vere affirmari.

X. Duæ substantiæ realiter distingui dicuntur, cum unaquæque ex ipsis absque alia potest existere.

Cartesii Postulata hic omisimus, quia ex iis nihil in sequentibus concludimus; attamen lectores serio rogamus, ut ipsa perlegant atque attenta meditatione considerent.

AXIOMATA.

I. In cognitionem et certitudinem rei ignotæ non pervenimus, nisi per cognitionem et certitudinem alterius, quæ ipsa prior est certitudine et cognitione.

II. Dantur rationes, quæ nos de nostri corporis existentia dubitare faciunt.

Hoc re ipsa in Prolegomeno ostensum est, ideoque tanquam axioma hic ponitur.

III. Si quid præter Mentem et Corpus habemus, id nobis minus, quam Mens et Corpus, notum est.

Notandum, hæc axiomata nihil de rebus extra nos affirmare, sed tantum ea, quæ in nobis, quatenus sumus res cogitantes, reperimus.

PROPOSITIO I.

De nulla re possumus absolute esse certi, quamdiu nescimus nos existere.

DEMONSTRATIO.

Propositio hæc per se patet. Nam qui absolute nescit se existere, simul nescit se esse affirmantem aut negantem, hoc est, certo se affirmare aut negare.

Notandum autem hic, quod, quamvis multa magna certitudine affirmemus et negemus, ad hoc, quod existamus, non attendentes; tamen, nisi pro indubitato hoc præsupponatur, omnia in dubium revocari possent.

PROPOSITIO II.

Ego sum debet esse per se notum.

DEMONSTRATIO.

Si negas, non ergo innotescet, nisi per aliud, cujus quidem (*per Ax. I.*) cognitio et certitudo prior erit in nobis hoc enunciato, *ego sum*. Atqui hoc est absurdum (*per præc.*); ergo per se debet esse notum. *Q. E. D.*

PROPOSITIO III.

Ego, quatenus res constans corpore, sum, non est primum, nec per se cognitum.

DEMONSTRATIO.

Quædam sunt, quæ nos de existentia nostri corporis dubitare faciunt (*per Ax. 2.*); ergo (*per Ax. 1.*) in ejus certitudinem non pervenimus, nisi per cognitionem et certitudinem alterius rei, quæ ipsa prior est cognitione et certitudine. Ergo hæc enuntiatio, *ego, quatenus res constans corpore, sum, non est primum, nec per se cognitum. Q. E. D.*

PROPOSITIO IV.

Ego sum non potest esse primum cognitum, nisi quatenus cogitamus.

DEMONSTRATIO.

Hoc enunciatum, *ego sum res corporea aut constans corpore, non est primum cognitum (per præc.); nec etiam de mea existentia, quatenus consto alia re præter mentem et corpus, sum certus: nam si aliqua alia re, a mente et corpore diversa, constamus, ea nobis minus nota est quam corpus (per Ax. 3.): quare ego sum non potest esse primum cognitum, nisi quatenus cogitamus. Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Hinc patet, mentem sive rem cogitantem notiozem esse corpore.

Verum ad uberiozem explanationem legantur Art. 11. et 12. part. 1. Principiorum.

SCHOLIUM.

Unusquisque certissime percipit, quod affirmat, negat, dubitat, intelligit, imaginatur, etc.; sive, quod existit dubitans, intelligens,

affirmans, etc.; sive uno verbo, *cogitans*; neque potest hæc in dubium revocare. Quare hoc enunciatum, *cogito*, sive *sum cogitans*, unicum (*per Prop. 1.*) et certissimum est fundamentum totius Philosophiæ. Et, cum in scientiis nihil aliud quæri neque desiderari possit, ut de rebus certissimi simus, quam omnia ex firmissimis principiis deducere, eaque æque clara et distincta reddere, ac principia, ex quibus deducuntur; clare sequitur, omne, quod nobis æque evidens est, quodque æque clare et distincte, atque nostrum jam inventum principium, percipimus, omneque, quod cum hoc principio ita convenit, et ab hoc principio ita dependet, ut, si de eo dubitare velimus, etiam de hoc principio esset dubitandum, pro verissimo habendum esse. Verum, ut in iis recensendis quam cautissime procedam, ea tantum pro æque evidentibus, proque æque clare et distincte a nobis perceptis, in initio admittam, quæ unusquisque in se, quatenus cogitans, observat. Ut, ex. grat., se hoc et illud velle, se certas tales habere ideas, unamque ideam plus realitatis et perfectionis in se continere, quam aliam; illam scilicet, quæ objective continet esse et perfectionem substantiæ, longe perfectiorem esse, quam illam, quæ tantum objectivam perfectionem alicujus accidentis continet; illam denique omnium esse perfectissimam, quæ est entis summe perfecti. Hæc, inquam, non tantum æque evidenter et æque clare, sed forte etiam magis distincte percipimus. Nam non tantum affirmant, nos cogitare, sed etiam, quomodo cogitemus. Porro etiam illa cum hoc principio convenire dicemus, quæ non possunt in dubium revocari, nisi simul hoc nostrum inconcussum fundamentum in dubium revocetur. Ut, ex. grat., si quis dubitare velit, an ex nihilo aliquid fiat, simul poterit dubitare, an nos, quamdiu cogitamus, simus. Nam si de nihilo aliquid affirmare possum, nempe quod potest esse causa alicujus rei, potero simul eodem jure cogitationem de nihilo affirmare, ac dicere, me nihil esse quamdiu cogito. Quod cum mihi impossibile sit, impossibile etiam mihi erit cogitare, quod ex nihilo aliquid fiat. His sic consideratis, ea, quæ nobis impræsentiarum, ut ulterius pergere possimus, necessaria videntur, hic ordine ob oculos ponere constitui, numeroque Axiomatum addere; quandoquidem a Cartesio, in fine Responsionum ad secundas Objectiones, tanquam Axiomata

proponuntur, et accuratior, quam ipse, esse nolo. Attamen, ne ab ordine jam incepto recedam, ea utcumque clariora reddere, et, quomodo unum ab alio, et omnia ab hoc principio, *ego sum cogitans*, dependent, vel cum ipso evidentiâ et ratione conveniunt, ostendere conabor.

AXIOMATA

ex Cartesio deprompta.

IV. Sunt diversi gradus realitatis sive entitatis: nam substantia plus habet realitatis, quam accidens vel modus; et substantia infinita, quam finita; ideoque plus est realitatis objectivæ in idea substantiæ, quam accidentis; et in idea substantiæ infinitæ, quam in idea finitæ.

Hoc axioma ex sola contemplatione nostrarum idearum, de quarum existentia certi sumus, qua nempe modi sunt cogitandi, innotescit: scimus enim, quantum realitatis sive perfectionis idea substantiæ de substantia affirmat, quantum vero idea modi de modo. Quod cum ita sit, necessario etiam comperimus, ideam substantiæ plus realitatis objectivæ continere, quam ideam alicujus accidentis, etc. Vide Scholium Proposit. 4.

V. Res cogitans, si aliquas perfectiones novit, quibus careat, sibi statim ipsas dabit, si sint in sua potestate.

Hoc unusquisque in se, quatenus est res cogitans, observat; quare (per Schol. Prop. 4.) de ipso certissimi sumus; et eadem de causa non minus certi sumus de sequenti, nempe

VI. In omnis rei idea sive conceptu continetur existentia, vel possibilis vel necessaria (Vide Axiom. 10. Cartesii).

Necessaria in Dei, sive entis summe perfecti, conceptu; nam alias conciperetur imperfectum, contra quod supponitur concipi. Contingens vero, sive possibilis, in conceptu rei limitatæ.

VII. Nulla res, neque ulla rei perfectio, actu existens potest habere nihil, sive rem non existentem, pro causa suæ existentiæ.

Hoc axioma nobis æque perspicuum esse, ac est ego sum cogitans, in Scholio Proposit. 4. demonstravi.

VIII. Quicquid est realitatis sive perfectionis in aliqua re, est, vel formaliter vel eminenter, in prima et adæquata ejus causa.

Per eminenter intellego, cum causa perfectius continet omnem realitatem effectûs, quam effectus ipse; per formaliter vero, cum æque perfecte illam continet.

Hoc Axioma a precedenti dependet: nam, si supponeretur, nihil vel minus esse in causa, quam in effectû, nihil in causa esset causa effectûs. At hoc est absurdum (per præc.); quare non quæcunque res potest esse causa alicujus effectûs, sed præcise illa, in qua eminenter, vel ad minimum formaliter, est omnis perfectio, quæ est in effectû.

IX. Realitas objectiva nostrarum idearum requirit causam, in qua eadem ipsa realitas, non tantum objective, sed formaliter vel eminenter, contineatur.

Hoc Axioma apud omnes, quamvis multi eo abusi sunt, in confesso est. Ubi enim aliquis aliquid novi concepit, nullus est, qui non quærat causam illius conceptus sive ideæ. Ubi vero aliquam assignare possunt, in qua formaliter vel eminenter tantum realitatis contineatur, quantum est objective in illo conceptu, quiescunt. Quod exemplo machine Art. 17. Part. 1. Princ. a Cartesio allato satis explicatur. Sic etiam, si quis quærat, undenam homo ideas suæ cogitationis et corporis habeat, nemo non videt, illum eas ex se, formaliter nimirum continente omne, quod ideæ objective continent, habere. Quare, si homo aliquam haberet ideam, quæ plus realitatis objectivæ contineret, quam ipse formalis; necessario, Lumine Naturali impulsus, aliam causam extra hominem ipsum, quæ omnem illam perfectionem formaliter vel eminenter contineret, quæreremus. Nec ullus unquam aliam præter hanc causam assignavit, quam æque clare et distincte conceperit. Porro, quod ad veritatem hujus Axiomatis attinet, ea a precedentibus pendet. Nempe (per 4. Ax.) dantur diversi gradus realitatis sive entitatis in ideis; ac proinde (per 8. Ax.), pro gradu perfectionis, perfectiorem causam requirunt. Verum cum gradus realitatis ¹, quos in ideis advertimus, non sint in ideis, quatenus tanquam modi cogitandi considerantur, sed quatenus una substantiam, alia modum tantum substantiæ representat, seu uno verbo, quatenus ut imagines rerum considerantur;

¹ De hoc etiam certi sumus, quia id in nobis quatenus cogitantes comperimus. Vide præc. Schol.

hinc clare sequitur, idearum nullam aliam primam causam posse dari, præter illam, quam omnes Lumine Naturali clare et distincte intelligere, modo ostendebamus, nempe in qua eadem ipsa realitas, quam habent objective, formaliter vel eminenter continetur. Hanc conclusionem, ut clarius intelligatur, uno aut altero exemplo explicabo. Nempe, si quis libros aliquos (puta unum alicujus insignis Philosophi, alterum alicujus nugatoris) una eademque manu scriptos videt, nec ad sensum verborum (hoc est, quatenus veluti imagines sunt), sed tantum ad delineamenta characterum et ordinem literarum attendit; nullam inæqualitatem, quæ ipsum cogat diversas causas quærere, inter ipsos agnoscat, sed ipsi ab eadem causa eodemque modo processisse videbuntur. Verum, si ad sensum verborum et orationum attendat, magnam inter ipsos inæqualitatem reperiet, &c proinde concludet, unius libri causam primam valde diversam a prima causa alterius fuisse, unamque alia tanto perfectiorem revera fuisse, quantum sensum orationum utriusque libri, sive quantum verba, quatenus veluti imagines considerantur, ab invicem differre reperit. Loquor autem de prima causa librorum, quæ necessario debet dari, quamvis concedam, imo supponam, unum librum ex alio describi posse, ut per se est manifestum. Idem etiam clare explicari potest exemplo effigiei, puta alicujus Principis. Nam si ad ipsius materialia tantum attendamus, nullum inæqualitatem inter ipsam et alias effigies reperiemus, quæ nos cogat diversas causas quærere; imo nihil obstabit, quin possimus cogitare, illam ex alia imagine fuisse depictam, et istam rursus ex alia, et sic in infinitum. Nam ad ejus delineamenta nullam aliam causam requiri satis dignoscemus. Verum si ad imaginem, quatenus imago est, attendamus, statim causam primam cogemur quærere, quæ formaliter vel eminenter contineat id, quod illa imago representative continet. Nec video, quid ad confirmandum et dilucidandum hoc axioma ulterius desideretur.

X. Non minor causa requiritur ad rem conservandam, quam ad ipsam primum producendam.

Ex eo, quod hoc tempore cogitamus, non necessario sequitur, nos postea cogitaturos. Nam conceptus, quem nostræ cogitationis habemus, non involvit, sive non continet, necessariam cogitationis existentiam;

possum enim cogitationem¹, quamvis supponam eam non existere, clare et distincte concipere. Cum autem uniuscujusque causa natura debeat in se continere aut involvere perfectionem sui effectûs (per Ax. 8.); hinc clare sequitur, aliquid in nobis, aut extra nos, quod nondum intelleximus, adhuc necessario dari, cujus conceptus sive natura involvat existentiam, quodque sit causa, cur nostra cogitatio inceptis existere, et etiam, ut existere pergat. Nam, quamvis nostra cogitatio inceptis existere, non ideo ejus natura et essentia necessariam existentiam magis involvit, quam antequam existeret, ideoque eadem vi eget, ut in existendo perseveret, qua eget, ut existere incipiat. Est hoc, quod de cogitatione dicimus, dicendum etiam de omni re, cujus essentia non involvit necessariam existentiam.

XI. Nulla res existit, de qua non possit quæri, quænam sit causa (sive ratio), cur existat. Vide Ax. I. Cartesii.

Cum existere sit quid positivum, non possumus dicere, quod habeat nihil pro causa (per Ax. 7.); ergo aliquam positivam causam, sive rationem, cur existat, assignare debemus, eamque externam, hoc est, quæ extra rem ipsam est, vel internam, hoc est, quæ in natura et definitione rei ipsius existentis comprehenditur.

Propositiones quatuor sequentes ex Cartesio desumptæ.

PROPOSITIO V.

Dei existentia ex sola ejus naturæ consideratione cognoscitur.

DEMONSTRATIO.

Idem est dicere, aliquid in rei alicujus natura sive conceptu contineri, ac dicere, id ipsum de ea re esse verum (per Def. 9.). Atqui existentia necessaria in Dei conceptu continetur (per Ax. 6.); Ergo verum est de Deo dicere, necessariam existentiam in eo esse, sive ipsum existere.

SCHOLIUM.

Ex hac propositione multa præclara sequuntur; imo ab hoc solo, quod ad Dei naturam pertinet existentia, sive, quod Dei conceptus involvit necessariam existentiam, sicut conceptus trianguli, quod ejus

¹ Hoc unusquisque in se, quatenus est res cogitans, comperit.

tres anguli sint æquales duobus rectis; five, quod ejus existentia, non secus atque ejus essentia, sit æterna veritas; omnis fere Dei attributorum cognitio, per quam in illius amorem (sive summam beatitudinem) ducimur, dependet. Quare magnopere desiderandum esset, ut humanum genus tandem aliquando hæc nobiscum amplecteretur. Fateor quidem, quædam dari præjudicia ¹, quæ impediunt, quo minus unusquisque hoc adeo facile intelligat. Verum si quis bono animo, et solo veritatis suæque veræ utilitatis amore impulsus, rem examinare velit, eaque secum perpendere, quæ in Medit. 5. quæque in fine Responſionum ad primas Objeciones habentur, et simul quæ de æternitate Cap. 1. Part. 2. nostræ Appendicis tradimus; is procul dubio rem quam clarissime intelliget, et nullus dubitare poterit, an aliquam Dei ideam habeat (quod fane primum fundamentum est humanæ beatitudinis). Nam simul clare videbit, ideam Dei longe a cæterarum rerum ideis differre: ubi nempe intelliget Deum, quoad essentiam et existentiam, a cæteris rebus toto genere discrepare. Quare, circa hæc Lectorem diutius hic detinere, non est opus.

PROPOSITIO VI.

Dei existentia ex eo solo, quod ejus idea sit in nobis, a posteriori demonstratur.

DEMONSTRATIO.

Realitas objectiva cujuscumque ex nostris ideis requirit causam, in qua eadem ipsa realitas, non tantum objective, sed formaliter vel eminenter, contineatur (*per Ax. 9.*). Habemus autem ideam Dei (*per Def. 2. et 8.*); hujusque idæ realitas objectiva nec formaliter nec eminenter in nobis continetur (*per Ax. 4.*), nec in ullo alio, præterquam in ipso Deo, potest contineri (*per Def. 8.*). Ergo hæc idea Dei, quæ in nobis est, requirit Deum pro causa, Deusque proinde existit (*per Ax. 7.*).

SCHOLIUM.

Quidam sunt, qui negant, se ullam Dei ideam habere, quem tamen, ut ipsi ajunt; colunt et amant. Et, quamvis ipsis Dei Definitionem

¹ Lege art. 16. part. 1. Principiorum.

Deique attributa ob oculos ponas, nihil tamen proficies; non hercle magis, quam si virum a nativitate cæcum colorum differentias, prout ipsos videmus, docere moliaris. Verum, nisi eos tanquam pro novo animalium genere, medio scilicet inter homines et bruta, habere velimus, eorum verba parum curare debemus. Quomodo, quæso, alio modo alicujus rei ideam ostendere possumus, quam ejus definitionem tradendo, ejusque attributa explicando? quod cum circa Dei ideam præstemus, non est quod verba hominum, Dei ideam negantium, propterea tantum, quod nullam ejus imaginem in cerebro formare possunt, moram nobis injiciant.

Deinde notandum, quod Cartesius, ubi citat Ax. 4. ad ostendendum, quod realitas objectiva ideæ Dei nec formaliter nec eminenter in nobis continetur, supponit, unumquemque scire, se non esse substantiam infinitam, hoc est summe intelligentem, summe potentem, etc. Quod supponere potest; qui enim scit, se cogitare, scit etiam, se de multis dubitare, nec omnia clare et distincte intelligere.

Denique notandum, quod ex Def. 8. etiam clare sequatur, non posse dari plures Deos, sed tantum unum, ut Propos. II. hujus, et in 2. Parte nostræ Appendicis cap. 2. clare demonstramus.

PROPOSITIO VII.

Dei existentia demonstratur etiam ex eo, quod nos ipsi habentes ejus ideam existamus.

SCHOLIUM.

Ad hanc propositionem demonstrandam assumit Cartesius hæc duo Axiomata, nempe 1. *Quod potest efficere id, quod majus est sive difficilius, potest etiam efficere id, quod minus.* 2. *Majus est creare sive (per Ax. 10.) conservare substantiam, quam attributa sive proprietates substantiæ;* quibus quid significare velit, nescio. Nam quid facile, quid vero difficile vocat? nihil enim absolute ¹, sed tantum

¹ Ne alia exempla quæras, cape exemplum aranæ, quæ telam facile textit, quam homines non nisi difficillime texerent; homines contra quam plurima facillime faciunt, quæ forte angelis impossibilia sunt.

respectu causæ, facile aut difficile dicitur. Adeo ut una et eadem res eodem tempore, respectu diversarum causarum, facilis et difficilis dici possit. Verum si illa difficilia vocat, quæ magno labore, facilia autem, quæ minori labore ab eadem causa confici queunt; ut ex. g. vis, quæ sustollere potest 50 libras, duplo facilius sustollere poterit 25 libras; non erit sane axioma absolute verum, nec ex eo id, quod intendit, demonstrare poterit. Nam ubi ait, *si haberem vim me ipsum conservandi, etiam haberem vim mihi dandi omnes perfectiones, quæ mihi desunt* (quia scilicet non tantam potestatem requirunt); ipsi concederem, quod vires, quas impendo ad me conservandum, possent alia plura longe facilius efficere, nisi iis eguisssem ad me conservandum: sed, quamdiu iis utor ad me conservandum, nego me posse eas impendere ad alia, quamvis faciliora, efficienda, ut in nostro exemplo clare videre est. Nec difficultatem tollit, si dicatur, quod, cum sim res cogitans, necessario deberem scire, num ego in me conservando omnes meas vires impendam, et etiam num ea sit causa, cur ego mihi non dem cæteras perfectiones. Nam (præterquam quod de hac re jam non disputatur, sed tantum, quomodo ex hoc axioma necessitas hujus propositionis sequatur), si id scirem, major essem, et forte majores vires requirerem, quam quas habeo, ad me in majori illa perfectione conservandum. Deinde nescio, an major sit labor, substantiam, quam attributa creare (sive conservare); hoc est, ut clarius et magis Philosophice loquar, nescio, an substantia non indigeat tota sua virtute et essentia, qua se forte conservat, ad conservanda sua attributa. Sed hæc relinquamus, et quæ nobilissimus Autor hic vult, ulterius examinemus; videlicet, quid per facile, quid per difficile intelligat. Non puto, nec mihi ullo modo persuadeo, eum per difficile intelligere id, quod impossibile (ac proinde nullo modo potest concipi, quomodo fiat), et per facile id, quod nullam implicat contradictionem (ac proinde facile concipitur, quomodo fiat); quamvis in 3. Medit. primo obtutu id videatur velle, ubi ait, *Nec putare debeo, illa forsitan, quæ mihi desunt, difficilius acquiri posse, quam illa, quæ jam in me sunt. Nam contra manifestum est, longe difficilius fuisse, me, hoc est rem sive substantiam cogitantem, ex nihilo emergere, quam, etc.* Nam id nec cum verbis Autoris con-

veniret, nec etiam ejus ingenium redoleret. Etenim, ut primum omittam, inter possibile et impossibile, five inter id, quod intelligibile est, et inter id, quod non intelligibile est, nulla datur ratio; sicuti neque inter aliquid et nihil, et potestas ad impossibilia non magis quadrat, quam creatio et generatio ad non entia: ideoque nullo modo inter se comparanda. Adde quod illa tantum inter se comparare et eorum rationem cognoscere possum, quorum omnium clarum et distinctum habeo conceptum. Nego igitur sequi, quod qui potest impossibile facere, possit etiam facere id, quod possibile est. Quæso enim, quænam esset hæc conclusio: Si quis potest facere circulum quadratum, poterit etiam facere circulum, cujus omnes lineæ, quæ a centro ad circumferentiam possunt duci, sint æquales; aut, Si quis potest facere, ut *res nihil* patiatur, eoque uti tanquam materia, ex qua aliquid producat, etiam habebit potestatem, ut ex aliqua re aliquid faciat? Nam, uti dixi, inter hæc et similia nulla datur convenientia, neque analogia, neque comparatio, neque ulla quæcunque ratio. Atque hoc unusquisque videre potest, modo ad rem parum attendat. Quare hoc ab ingenio Cartesii prorsus alienum existimo. Verum, si ad 2. Axioma ex duobus modo allatis attendo, videtur, quod per majus et difficilius intelligere vult id, quod perfectius est, per minus vero et facilius, id, quod imperfectius. At hoc etiam valde obscurum videtur. Nam eadem hic est difficultas, quæ superius. Nego enim, ut supra, eum, qui potest majus facere, posse, simul et eadem opera, ut in Propositione debet supponi, quod minus est, facere. Deinde, ubi ait, *majus est creare five conservare substantiam, quam attributa*, sane per attributa non intelligere potest id, quod in substantia formaliter continetur, et ab ipsa substantia non nisi Ratione distinguitur. Nam tum idem est creare substantiam, quam creare attributa. Nec etiam, propter eandem rationem, intelligere potest proprietates substantiæ, quæ ex ejus essentia et definitione necessario sequuntur. Multo etiam minus intelligere potest, quod tamen videtur velle, proprietates et attributa alterius substantiæ; ut ex. gr., si dico, quod potestatem habeo ad me, substantiam scilicet cogitantem finitam, conservandum, non ideo possum dicere, quod habeam etiam potestatem mihi dandi perfectiones substantiæ infinitæ, quæ totâ

essentia a mea differt. Nam vis sive essentia, qua in meo esse me conservo ¹, toto genere differt a vi sive essentia, qua substantia absolute infinita se conservat, a qua ejus vires et proprietates non nisi Ratione distinguuntur. Ideoque (quamvis supponerem me meipsum conservare), si vellem concipere, me mihi posse dare perfectiones substantiæ absolute infinitæ, nihil aliud supponerem, quam quod possem totam meam essentiam in nihilum redigere, et denuo substantiam infinitam creare. Quod sane longe majus esset, quam tantum supponere, quod possem me substantiam finitam conservare. Cum itaque nihil horum per attributa sive proprietates intelligere possit, nihil aliud restat, quam qualitates, quas ipsa substantia eminenter continet (ut hæc et illa cogitatio in mente, quas mihi deesse clare percipio), non vero quas altera substantia eminenter continet (ut hic et ille motus in extensione: nam tales perfectiones mihi, rei scilicet cogitanti, non sunt perfectiones, ideoque non mihi desunt). Sed tum id, quod Cartesius demonstrare vult, nullo modo ex hoc Axiomate concludi potest. Nempe quod, si me conservo, etiam habeo potestatem mihi dandi omnes perfectiones, quas ad ens summe perfectum clare reperio pertinere; ut ex modo dictis fati constat. Verum, ne rem indemonstratam relinquamus, et omnem confusionem vitemus, visum fuit, sequentia Lemmata in antecessum demonstrare, ac postea iis demonstrationem hujus 7. Propositionis superstruere.

L E M M A I.

Quo res sub naturâ perfectior est, eo majorem existentiam et magis necessariam involvit; et contra, quo magis necessariam existentiam res sub naturâ involvit, eo perfectior est.

DEMONSTRATIO.

In omni rei idea sive conceptu continetur existentia (*per Ax. 6.*). Ponatur igitur A esse res, quæ decem gradus habet perfectionis. Dico, quod ejus conceptus plus existentia involvit, quam si suppo-

¹ Nota, quod vis, qua substantia se conservat, nihil est præter ejus essentiam, et non nisi nomine ab eadem differt; quod maxime locum habebit, ubi in Appendice de Dei potentia agemus.

neretur quinque tantum gradus perfectionis continere. Nam, cum de nihilo nullam possimus affirmare existentiam (*vide Schol. Propos. 4.*), quantum ejus perfectioni cogitatione detrahimus, ac proinde magis ac magis de nihilo participare concipimus, tantum etiam possibilitatis existentiae de ipso negamus. Ideoque, si ejus gradus perfectionis in infinitum diminui concipiamus usque ad 0 sive ciphram; nullam existentiam, sive absolute impossibilem existentiam continebit. Si autem contra ejus gradus in infinitum augeamus, summam existentiam, ac proinde summe necessariam, involvere concipiemus. Quod erat primum. Deinde, cum hæc duo nullo modo separari queant (*ut ex Ax. 6. totaque prima parte hujus satis constat*); clare sequitur id, quod secundo loco demonstrandum proponebatur.

Nota I., quod, quamvis multa dicantur necessario existere ex eo solo, quod datur causa determinata ad ipsa producenda, de iis hic non loquamur, sed tantum de ea necessitate et possibilitate, qua ex sola natura sive rei essentia consideratione, nulla habita ratione causa, sequitur.

Nota II., quod hic non loquimur de pulchritudine, et de aliis perfectionibus, quas homines ex superstitione et ignorantia perfectiones vocare voluerunt. Sed per perfectionem intelligo tantum realitatem, sive esse; ut ex gr. in substantia plus realitatis contineri percipio, quam in modis sive accidentibus; ideoque ipsam magis necessariam et perfectiorem existentiam continere clare intelligo, quam accidentia, ut ex Axiom. 4. et 6. satis constat.

COROLLARIUM.

Hinc sequitur, quicquid necessariam existentiam involvit, esse ens summe perfectum, seu Deum.

LEMMA II.

Qui potentiam habet se conservandi, ejus natura necessariam involvit existentiam.

DEMONSTRATIO.

Qui vim habet se conservandi, vim etiam habet se creandi (*per Ax. 10.*), hoc est (ut facile omnes concedent), nullâ indiget causâ

externâ ad existendum, sed sola ipsius natura erit causa sufficiens, ut existat, vel possibiliter vel necessario. At non possibiliter; nam (*per id, quod circa Ax. 10. demonstravi*) tum ex eo, quod jam existeret, non sequeretur, ipsum postea exiturum (*quod est contra Hyp.*). Ergo necessario; hoc est, ejus natura necessariam involvit existentiam. Q. E. D.

DEMONSTRATIO

Propositionis VII.

Si vim haberem me ipsum conservandi, talis essem naturæ, ut necessariam involverem existentiam (*per Lemm. 2.*); ergo (*per Coroll. Lemm. 1.*) mea natura omnes contineret perfectiones. Atqui in me, quatenus sum res cogitans, multas imperfectiones invenio, ut quod dubitem, quod cupiam, etc., quibus (*per Schol. Propos. 4.*) sum certus; ergo nullam vim habeo me conservandi. Nec dicere possum, quod ideo jam careo illis perfectionibus, quia eas mihi jam denegare volo; nam id clare primo Lemmati et ei, quod in me (*per Ax. 5.*) clare reperio, repugnaret.

Deinde non possum jam existere, quin conservem, quamdiu existo, sive a me ipso, siquidem habeam istam vim, sive ab alio, qui illam habet (*per Ax. 10. et 11.*). Atqui existo (*per Schol. Propos. 4.*), et tamen non habeo vim me ipsum conservandi, ut jam jam probatum est; ergo ab alio conservor. Sed non ab alio, qui vim non habet se conservandi (*per eandem rationem, qua modo me meipsum conservare non posse demonstravi*); ergo ab alio, qui vim habet se conservandi, hoc est (*per Lemm. 2.*), cujus natura necessariam involvit existentiam, hoc est (*per Coroll. Lemm. 1.*), qui omnes perfectiones, quas ad ens summe perfectum clare pertinere intelligo, continet; ac proinde ens summe perfectum, hoc est (*per def. 8.*) Deus, existit, *ut er. dem.*

COROLLARIUM.

Deus potest efficere id omne, quod clare percipimus, prout id ipsum percipimus.

DEMONSTRATIO.

Hæc omnia clare sequuntur ex præcedenti Propositione. In ipsa enim, Deum existere, ex eo probatum est, quod debeat aliquis existere, in quo sint omnes perfectiones, quarum idea aliqua est in nobis. Est autem in nobis idea tantæ alicujus potentiæ, ut ab illo solo, in quo ipsa est, cælum, et terra, et alia etiam omnia, quæ a me ut possibilia intelliguntur, fieri possint. Ergo simul cum Dei existentia hæc etiam omnia de ipso probata sunt.

PROPOSITIO VIII.

Mens et corpus realiter distinguuntur.

DEMONSTRATIO.

Quidquid clare percipimus, a Deo fieri potest, prout illud percipimus (*per Coroll. præc.*). Sed clare percipimus mentem, hoc est (*per Def. 6.*) substantiam cogitantem absque corpore, hoc est (*per Def. 7.*) absque substantia aliqua extensa (*per Propos. 3. et 4.*), et vice versa corpus absque mente (*ut facile omnes concedunt*). Ergo saltem per divinam potentiam mens esse potest sine corpore, et corpus sine mente.

Jam vero substantiæ, quæ esse possunt una absque alia, realiter distinguuntur (*per Def. 10.*); atqui mens et corpus sunt substantiæ (*per Def. 5, 6, 7.*), quæ una absque alia esse possunt (*ut mox probatum est*); ergo mens et corpus realiter distinguuntur.

Vide Proposit. 4. Cartesii in fine Responsionum ad 2. Objectiones; et quæ habentur I. Parte Principiorum ab Art. 22. usque ad Art. 29. Nam ea hic describere non operæ pretium judico.

PROPOSITIO IX.

Deus est summe intelligens.

DEMONSTRATIO.

Si neges: ergo Deus aut nihil, aut non omnia, seu quædam tantum, intelligit. At quædam tantum intelligere, et cætera ignorare, limitatum et imperfectum intellectum supponit, quem Deo adscribere absurdum est (*per Defin. 8.*). Deum autem nihil intelligere, vel in-

dicat in Deo carentiam intellectiōnis, ut in hominibus, ubi nihil intelligunt, ac imperfectionem involvit, quæ in Deum cadere non potest (*per eand. Definit.*), vel indicat, quod perfectioni Dei repugnet, ipsum aliquid intelligere. At, cum sic intellectio de ipso prorsus negetur, non poterit ullum intellectum creare (*per Axiom. 8.*). Cum autem intellectus clare et distincte a nobis percipiatur, Deus illius causa esse poterit (*per Coroll. Propof. 7.*). Ergo longe abest, ut Dei perfectioni repugnet, ipsum aliquid intelligere. Quare erit summe intelligens. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Quamvis concedendum sit, Deum esse incorporeum, ut Propof. 16. demonstratur; hoc tamen non ita accipiendum, ac si omnes Extensionis perfectiones ab eo removendæ sint, sed tantummodo quatenus extensionis natura et proprietates imperfectionem aliquam involvunt. Quod idem etiam de Dei intellectu dicendum est, quemadmodum omnes, qui ultra vulgus Philosophorum sapere volunt, fatentur, ut fuse explicabitur in nostr. Append. Part. 2. cap. 7.

PROPOSITIO X.

Quicquid perfectionis in Deo reperitur, a Deo est.

DEMONSTRATIO.

Si neges: ponatur in Deo aliquam perfectionem esse, quæ a Deo non est. Erit illa in Deo, vel a se, vel ab aliquo a Deo diverso. Si a se, ergo necessariam, sive minime possibilem, habebit existentiam (*per Lemm. 2. Prop. 7.*), adeoque (*per Coroll. Lemm. 1. ejusdem*) erit quid summe perfectum, ac proinde (*per Definit. 8.*) Deus. Si itaque dicatur aliquid in Deo esse, quod a se est, simul dicitur id esse a Deo. *Q. E. D.* Si vero ab aliquo a Deo diverso fit, ergo Deus non potest concipi per se summe perfectus, contra Definit. 8. Ergo quicquid perfectionis in Deo reperitur, a Deo est. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XI.

Non dantur plures Dii,

DEMONSTRATIO.

Si neges: concipe, si fieri potest, plures Deos, ex. grat. A et B; tum necessario (*per Propof. 9.*) tam A quam B erit summe intelligens, hoc est, A intelliget omnia, se scilicet et B; et vicissim B intelliget se et A. Sed, cum A et B necessario existant (*per Propof. 5.*), ergo causa veritatis et necessitatis ideæ ipsius B, quæ est in A, est ipse B; et contra causa veritatis et necessitatis ideæ ipsius A, quæ est in B, est ipse A. Quapropter erit aliqua perfectio in A, quæ non est ab A; et in B, quæ non est a B; ideoque (*per præced.*) nec A nec B erunt Dii; adeoque non dantur plures. Q. E. D.

Notandum hic, quod ex hoc solo, quod aliqua res ex se necessariam involvit existentiam, qualis est Deus, necessario sequatur, illam esse unicam; ut unusquisque apud se attenta meditatione deprehendere poterit, atque etiam hic demonstrare potuiffem, sed modo non ita ab omnibus perceptibili, quemadmodum in hac propositione factum est.

PROPOSITIO XII.

Omnia quæ existunt, a sola vi Dei conservantur.

DEMONSTRATIO.

Si neges: supponatur aliquid se ipsum conservare; quare (*per Lemm. 2. Propof. 7.*) ejus natura necessariam involvit existentiam; ac proinde (*per Corollar. Lem. 1. ejusdem*) esset Deus, darenturque plures Dii, quod est absurdum (*per præc.*). Ergo nihil existit, quod sola vi Dei non conservetur. Q. E. D.

COROLLARIUM I.

Deus est omnium rerum Creator.

DEMONSTRATIO.

Deus (*per præc.*) omnia conservat, hoc est (*per Ax. 10.*), omnia, quæ existunt, creavit et adhuc continuo creat.

COROLLARIUM II.

Res nullam ex se habent essentiam, quæ sit causa cognitionis Dei; sed contra, Deus est causa rerum, etiam quoad earum essentiam.

DEMONSTRATIO.

Cum nihil perfectionis in Deo reperiatur, quod a Deo non sit (*per Propos. 10.*); nullam res ex se habebunt essentiam, quæ possit esse causa cognitionis Dei. Sed contra, cum Deus omnia non ex alio generarit, sed prorsus crearit (*per Prop. 12. cum Cor.*), et actio creandi nullam agnoscat causam præter efficientem (*sic enim creationem definitio*), quæ Deus est; sequitur, res ante creationem prorsus nihil fuisse; ac proinde etiam Deum causam fuisse earum essentia. *Q. E. D.*

Notandum, hoc Corollarium ex eo etiam patere, quod Deus sit omnium rerum causa five creator (*per Coroll. 1.*), et quod causa omnes effectus perfectiones in se continere debeat (*per Axiom. 8.*), quemadmodum unusquisque facile videre potest.

COROLLARIUM III.

Hinc clare sequitur, Deum non sentire, nec proprie percipere: nam illius intellectus a nulla re extra se determinatur, sed omnia ab eo profluunt.

COROLLARIUM IV.

Deus est causalitate prior rerum essentia et existentia, ut clare ex 1. et 2. Corollar. hujus Proposit. sequitur.

PROPOSITIO XIII.

Deus est summe verax, minimeque deceptor.

DEMONSTRATIO.

Deo (*per Def. 8.*) nihil affingere possumus, in quo aliquid imperfectionis deprehendimus. Et cum omnis deceptio (*ut per se notum*¹), aut fallendi voluntas, non nisi ex malitia vel metu procedat; metus autem diminutam potentiam supponat; malitia vero privationem

¹ Hoc axioma inter axiomata non recensui, quia minime opus fuit. Nam eo non egebam, nisi ad solam hanc Prop. demonstr., et etiam quia, quamdiu Dei existentiam ignorabam, nolui aliqua pro veris assumere, nisi quæ poteram ex primo cognito *ego sum* deducere, ut in Prop. 4. Scholio monui. Porro definitiones metus et malitiæ non etiam inter definitiones posui, quia nemo eas ignorat, et iis non egeo nisi ad solam hanc propositionem.

bonitatis; nulla deceptio, aut fallendi voluntas, Deo, enti scilicet summe potenti et summe bono, erit adscribenda, sed contra summe verax minimeque deceptor dicendus. *Q. E. D.* Vide Responſion. ad ſecundas Objectiones, num. 4.

PROPOSITIO XIV.

Quidquid clare et diſtincte percipimus, verum eſt.

DEMONSTRATIO.

Facultas veri a falſo dignoſcendi, quæ (ut unusquiſque in ſe comperit, et ex omnibus, quæ jam demonſtrata ſunt, videre eſt) in nobis eſt, a Deo creata eſt et continuo conſervatur (*per Prop. 12. cum Coroll.*); hoc eſt (*per præc.*), ab ente ſumme veraci minimeque deceptore; neque ullam facultatem (ut unusquiſque in ſe comperit) nobis donavit abſtinendi, ſive non aſſentiendi iis, quæ clare et diſtincte percipimus. Quare, ſi circa ea deciperemur, omnino a Deo eſſemus decepti, eſſetque deceptor, quod (*per præc.*) eſt abſurdum. Quidquid igitur clare et diſtincte percipimus, verum eſt. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Cum ea, quibus neceſſario, ubi a nobis clare et diſtincte percipiuntur, aſſentiri debemus, neceſſario ſint vera; atque facultatem habemus iis, quæ obſcura et dubia ſunt, ſive quæ ex certiffimis principiis non ſunt deducta, non aſſentiendi, ut unusquiſque in ſe comperit; clare ſequitur, nos ſemper poſſe cavere, ne in errores incidamus, et ne unquam fallamur (quod idem adhuc clarius ex ſequentibus intelligetur); modo ſerio apud nos conſtituamus, nihil affirmare, quod non clare et diſtincte percipimus, ſive quod ex per ſe claris et certis principiis non deductum eſt.

PROPOSITIO XV.

Error non eſt quid poſitivum.

DEMONSTRATIO.

Si error quid poſitivum eſſet, ſolum Deum pro cauſa haberet, a quo continuo deberet procreari (*per Propoſ. 12.*). Atqui hoc eſt abſurdum (*per Propoſ. 13.*). Ergo error non eſt quid poſitivum. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Cum error non sit quid positivum in homine, nihil aliud poterit esse, quam privatio recti usus libertatis (*per Schol. Propos. 14.*); ideoque non nisi eo sensu, quo dicimus absentiam Solis causam esse tenebrarum, vel quo Deus, propterea quod infantem, excepto visu, aliis similem fecit, causa cœcitatatis dicitur, Deus causa erroris dicens: nempe quia nobis intellectum ad pauca tantum se extendentem dedit. Quod ut clare intelligatur, et simul etiam, quomodo error a solo abusu nostræ voluntatis pendeat, ac denique, quomodo ab errore cavere possimus; modos quos cogitandi habemus, in memoriam revocemus, nempe omnes modos percipiendi (ut sentire, imaginari, et pure intelligere) et volendi (ut cupere, averfari, affirmare, negare, et dubitare); nam omnes ad hos duos referri possunt.

Circa eos autem venit notandum, 1^o, quod mens, quatenus res clare et distincte intelligit, iisque assentitur, non potest falli (*per Propos. 14.*): neque etiam quatenus res tantum percipit, neque iis assentitur. Nam, quamvis jam percipiam equum alatum, certum est, hanc perceptionem nihil falsitatis continere, quamdiu non assentior, verum esse, dari equum alatum, neque etiam quamdiu dubito, an detur equus alatus. Et cum assentiri nihil aliud sit, quam voluntatem determinare, sequitur, errorem a solo usu voluntatis pendere.

Quod ut adhuc clarius pateat, notandum 2^o, quod nos non tantum habeamus potestatem iis assentiendi, quæ clare et distincte percipimus, verum etiam iis, quæ quocunque alio modo percipimus. Nam nostra voluntas nullis limitibus determinata est. Quod clare unusquisque videre potest, modo ad hoc attendat, nempe quod, si Deus facultatem nostram intelligendi infinitam reddere vellet, non ipsi opus esset, nobis ampliorem facultatem assentiendi dare, quam ea est, quam jam habemus, ut omnibus a nobis intellectis assentiri possimus. Sed hæc eadem, quam jam habemus, rebus infinitis assentiendis sufficeret. Et re ipsa etiam experimur, quod multis assentiamur, quæ ex certis principiis non deduximus. Porro ex his clare videre est, quod, si intellectus æque se latius extenderet ac volendi facultas, sive, si volendi facultas non latius se extendere posset

quam intellectus, vel denique si facultatem volendi intra limites intellectus continere possemus, nunquam in errorem incideremus (*per Propos. 14.*).

Verum ad duo priora præstanda nullam habemus potestatem: nam implicat, ut voluntas non sit infinita et intellectus creatus finitus. Restat igitur tertium considerandum: nempe an habeamus potestatem, facultatem nostram volendi intra limites intellectus continendi. Cum autem voluntas libera sit ad se determinandam, sequitur, nos potestatem habere, facultatem assentiendi intra limites intellectus continendi, ac proinde efficiendi, ne in errorem incidamus; unde evidentissime patet, a solo usu libertatis voluntatis pendere, ne unquam fallamur. Quod autem nostra voluntas libera sit, demonstratur Art. 39. Part. 1. Princ. et in 4. Meditatione, et a nobis in nostr. Append. Cap. ultimo fuse etiam ostenditur. Et, quamvis, ubi rem clare et distincte percipimus, non possumus ei non assentiri, necessarius iste assensus non ab infirmitate, sed a sola libertate et perfectione nostræ voluntatis pendet. Nam assentiri vero est in nobis perfectio (ut per se satis notum), nec voluntas unquam perfectior est, nec magis libera, quam cum se profus determinat. Quod cum contingere potest, ubi mens aliquid clare et distincte intelligit, necessario eam perfectionem statim sibi dabit (*per Ax. 5.*). Quare longe abest, ut per id, quod minime indifferentes sumus in amplectendo vero, nos minus liberos esse intelligamus. Nam contra pro certo statuimus, quo magis indifferentes sumus, eo nos minus liberos esse.

Restat itaque hic tantum explicandum, quomodo error respectu hominis nihil sit nisi privatio, respectu vero Dei mera negatio. Quod facile videbimus, si prius animadvertamus, nos ex eo, quod multa percipimus præter ea, quæ clare intelligimus, perfectiores esse, quam si ea non perciperemus: ut clare ex eo constat, quod, si supponeretur, nos nihil clare et distincte posse percipere, sed tantum confuse, nihil perfectius haberemus, quam res confuse percipere, nec aliud nostræ naturæ desiderari posset. Porro rebus, quamvis confusis, assentiri, quatenus etiam actio quædam est, perfectio est. Quod etiam unicuique manifestum erit, si, ut supra, supponat, naturæ hominis repugnare, ut res clare et distincte percipiat; tum enim perspicuum

evadet, longe melius homini esse, rebus, quamvis confusis, assentiri, et libertatem exercere, quam semper indifferentem, hoc est (ut modo ostendimus) in infimo gradu libertatis, manere. Et si etiam ad usum et utilitatem vitæ humanæ attendere volumus, id prorsus necessarium reperiemus, ut quotidiana experientia unumquemque satis docet.

Cum igitur omnes modi, quos cogitandi habemus, quatenus in se solis spectantur, perfecti sint; non potest eatenus in iis esse id, quod formam erroris constituit. Verum si ad modos volendi, prout ab invicem differunt, attendamus, alios aliis perfectiores inveniemus, prout alii aliis voluntatem minus indifferentem, hoc est magis liberam, reddunt. Deinde etiam videbimus, quod, quamdiu rebus confusis assentimur, efficiamus, ut mens minus apta sit ad verum a falso dignoscendum, ac proinde ut optima libertate careamus. Quare rebus confusis assentiri, quatenus quid positivum est, nihil imperfectionis, nec formam erroris continet; sed tantum quatenus eo optima libertate, quæ ad nostram naturam spectat, et in nostra potestate est, nos nosmet privamus. Tota igitur imperfectio erroris in sola optimæ libertatis privatione consistet, quæ error vocatur. Privatio autem dicitur, quia aliqua perfectione, quæ nostræ naturæ competit, privamur; Error vero, quia nostrâ culpâ ea perfectione caremus, quatenus, quemadmodum possumus, voluntatem non intra limites intellectus continemus. Cum igitur error nihil aliud sit respectu hominis, quam privatio perfecti sive recti usus libertatis; sequitur, illam non in ulla facultate, quam a Deo habet, nec etiam in ulla facultatum operatione, quatenus a Deo dependet, sitam esse. Nec dicere possumus, quod Deus nos majori intellectu, quam nobis dare potuerat, privavit, ac proinde fecit, ut in errores incidere possemus. Nam nullius rei natura a Deo aliquid exigere potest, nec aliquid ad aliquam rem pertinet, præter id, quod Dei voluntas ei largiri voluit; nihil enim ante Dei voluntatem extitit, nec etiam concipi potest (ut fuse in nostr. Appendic. cap. 7. et 8. explicatur). Quare Deus non magis nos majori intellectu, sive perfectiori facultate intelligendi privavit, quam circulum proprietatibus globi, et peripheriam proprietatibus spheræ.

Cum itaque nullastrarum facultatum, quomocunque confi-

deretur, ullam in Deo imperfectionem ostendere possit; clare sequitur, quod imperfectio illa, in qua forma erroris consistit, non, nisi respectu hominis, sit privatio; verum ad Deum, ut ejus causam, relata, non privatio, sed tantum negatio dici possit.

PROPOSITIO XVI.

Deus est incorporeus.

DEMONSTRATIO.

Corpus est subjectum immediatum motus localis (*per Def. 7.*); quare, si Deus esset corporeus, divideretur in partes; quod cum clare involvat imperfectionem, absurdum est de Deo (*per Def. 8.*) affirmare.

ALITER.

Si Deus esset corporeus, posset in partes dividi (*per Def. 7.*). Jam vel unaquæque pars per se posset subsistere, vel non posset subsistere: si hoc, esset similis cæteris, quæ a Deo creata sunt, ac proinde, ut omnis res creata, continuo eadem vi a Deo procrearetur (*per Propos. 10. et Ax. 11.*), et ad Dei naturam non magis, quam cæteræ res creatæ, pertineret, q. e. abf. (*per Prop. 5.*). Verum, si unaquæque pars per se existit, debet etiam unaquæque necessariam existentiam involvere (*per Lemm. 2. Propos. 7.*), et consequenter unaquæque ens esset summe perfectum (*per Coroll. Lemm. 2. Prop. 7.*). Sed hoc etiam est absurdum (*per Prop. 11.*); ergo Deus est incorporeus. Q. E. D.

PROPOSITIO XVII.

Deus est ens simplicissimum.

DEMONSTRATIO.

Si Deus ex partibus componeretur, deberent partes (ut facile omnes concedent) priores ad minimum naturâ Deo esse, quod est absurdum (*per Coroll. 4. Prop. 12.*). Est igitur ens simplicissimum. Q. E. D.

COROLLARIUM.

Hinc sequitur, Dei intelligentiam, voluntatem, seu Decretum et Potentiam, non distingui, nisi Ratione, ab ejus essentia.

PROPOSITIO XVIII.

Deus est immutabilis.

DEMONSTRATIO.

Si Deus esset mutabilis, non posset ex parte, sed deberet secundum totam essentiam mutari (*per Prop. 7.*). At essentia Dei necessario existit (*per Prop. 5, 6, et 7.*); ergo Deus est immutabilis. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XIX.

Deus est aternus.

DEMONSTRATIO.

Deus est ens summe perfectum (*per Def. 8.*); ex quo sequitur (*per Prop. 5.*), ipsum necessario existere. Si jam ipsi limitatam existentiam tribuamus, limites ejus existentiae necessario, si non a nobis, saltem ab ipso Deo, debent intelligi (*per Prop. 9.*), quia est summe intelligens; quare Deus ultra illos limites se, hoc est (*per Def. 8.*) ens summe perfectum, non existentem intelliget, quod est absurdum (*per Prop. 5.*). Ergo Deus non limitatam, sed infinitam habet existentiam, quam aeternitatem vocamus. *Vide Cap. I. Part. 2. nostr. Append.* Deus igitur est aternus. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XX.

Deus omnia ab aeterno praordinavit.

DEMONSTRATIO.

Cum Deus sit aternus (*per praeced.*), erit ejus intelligentia aeterna, quia ad ejus aeternam essentiam pertinet (*per Coroll. Prop. 17.*). Atqui ejus intellectus ab ejus voluntate sive decreto in re non differt (*per Coroll. Prop. 17.*); ergo, cum dicimus Deum ab aeterno res intellexisse, simul dicimus, eum ab aeterno res ita voluisse sive decrevisse. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Ex hac Propositione sequitur, Deum esse summe constantem in suis operibus.

PROPOSITIO XXI.

Substantia extensa in longum, latum, et profundum revera existit; Nosque uni ejus parti uniti sumus.

Res extensa, prout a nobis clare et distincte percipitur, ad Dei naturam non pertinet (*per Propos. 10.*). Sed a Deo creari potest (*per Coroll. Propos. 7. et per Prop. 8.*). Deinde clare et distincte percipimus (ut unusquisque in se, quatenus cogitat, reperit), substantiam extensam causam sufficientem esse ad producendam in nobis titillationem, dolorem, similesque ideas sive sensationes, quæ continuo in nobis, quamvis invitis, producuntur. At, si præter substantiam extensam, aliam nostrarum sensationum causam, puta Deum aut Angelum fingere volumus, statim nos clarum ac distinctum, quem habemus, conceptum destruimus. Quapropter ¹, quamdiu ad nostras perceptiones recte attendimus, ut nihil admittamus, nisi quod clare et distincte percipimus, profus propensi, seu minime indifferentes, erimus ad assentiendum, quod substantia extensa sola sit causa nostrarum sensationum; ac proinde ad affirmandum, quod res extensa a Deo creata existat. Atque in hoc sane falli non possumus (*per Prop. 14. cum Scholio*). Quare vere affirmatur, quod substantia extensa in longum, latum, et profundum existat. Quod erat primum.

Porro inter nostras sensationes, quæ in nobis (ut jam demonstravimus) a substantia extensa produci debent, magnam differentiam observamus, nempe ubi dico, me sentire seu videre arborem, seu ubi dico, me sentire, dolere, etc. Hujus autem differentię causam clare video me non posse percipere, nisi prius intelligam, me uni parti materiæ recte esse unitum, et aliis non item. Quod cum clare et distincte intelligam, nec ullo alio modo a me percipi possit; verum est (*per Propos. 14. cum Scholio*), me uni materiæ parti unitum esse. Quod erat secundum. Demonstravimus igitur, *Q. E. D.*

Nota: Nisi lector hic se consideret tantum ut rem cogitantem, et corpore carentem; et omnes rationes, quas antea habuit credendi, quod corpus existat, tanquam præjudicia deponat, frustra hanc demonstrationem intelligere conabitur.

¹ Vide demonstrationem Propos. 14. et Schol. Propos. 15.

PRINCIPIA
PHILOSOPHIÆ
MORE GEOMETRICO
DEMONSTRATA.

PARS II.

POSTULATUM.

Petit hic tantum, ut unusquisque ad suas perceptiones quam accuratissime attendat, quo clarum ab obscuro distinguere possit.

DEFINITIONES.

I. *Extensio* est id, quod tribus dimensionibus constat; non autem per extensionem intelligimus actum extendendi, aut aliquid a quantitate distinctum.

II. Per *Substantiam* intelligimus id, quod ad existendum solo Dei concursu indiget.

III. *Atomus* est pars materiæ suæ naturâ indivisibilis.

IV. *Indefinitum* est id, cujus fines (si quos habet) ab humano intellectu investigari nequeunt.

V. *Vacuum* est extensio sine substantia corporea.

VI. *Spatium* ab extensione non nisi Ratione distinguimus, sive, in re non differt. Lege Art. 10. Part. 2. Princip.

VII. Quod per cogitationem dividi intelligimus, id *divisibile* est, saltem potentiâ.

VIII. *Motus localis* est translatio unius partis materiæ, five unius corporis, ex vicinia eorum corporum, quæ illud immediate contingunt, et tanquam quiescentia spectantur, in viciniam aliorum.

Hac Definitione utitur Cartesius ad motum localem explicandum. Qua ut recte intelligatur, considerandum venit,

1°. quod per partem materiæ intelligit id omne, quod simul transfertur, etsi rursus id ipsum constare possit ex multis partibus.

2°. quod ad vitandam confusionem in hac definitione loquitur tantum de eo, quod perpetuo est in re mobili, scilicet translatione, ne confundatur, ut passim ab aliis factum est, cum vi vel actione, quæ transfert. Quam vim vel actionem vulgo putant tantum ad motum requiri, non vero ad quietem; in quo plane decipiuntur. Nam, ut per se notum, eadem vis requiritur, ut alicui corpori quiescenti certi gradus motus simul imprimantur, quæ requiritur, ut rursus eidem corpori certi isti gradus motus simul adimantur, adeoque plane quiescat. Quin etiam experientia probatur; nam fere aequali vi utimur ad navigium in aqua stagnante quiescens impellendum, quam ad idem, cum movetur, subito retinendum; et certe plane eadem esset, nisi ab aqua ab eo sublevata gravitate et lentore in retinendo adjuvaremur.

3°. quod ait, translationem fieri ex vicinia corporum contiguorum in viciniam aliorum, non vero ex uno loco in alium. Nam locus (ut ipse explicuit Art. 13. Part. 2.) non est aliquid in re, sed tantum pendet a nostra cogitatione, adeo ut idem corpus possit dici locum simul mutare et non mutare; non vero e vicinia corporis contigui simul transferri et non transferri: una enim tantum corpora eodem temporis momento eidem mobili contigua esse possunt.


4°. quod non ait absolute translationem fieri ex vicinia corporum contiguorum, sed eorum dumtaxat, quæ tanquam quiescentia spectantur. Nam, ut transferatur corpus A a corpore B quiescente, eadem vis et actio requiritur ex una parte, quæ ex altera; quod clare apparet exemplo scaphæ, luto five arenæ, quæ in fundo aquæ sunt, adherentis; hac enim ut propellatur, equalis necessario vis tam fundo quam scapha impingenda erit. Quapropter vis, qua corpora moveri debent,



aque corpori moto atque quiescenti impenditur. Translatio vero est reciproca; nam, si scapha separaretur ab arena, arena etiam a scapha separaretur. Si itaque absolute corporum, quæ a se invicem separantur, uni in unam, alteri in alteram partem, æquales motus tribuere, et unum non tanquam quiescens spectare vellemus, idque ob id solum, quod eadem actio fit in uno, quæ in altero; tum etiam corporibus, quæ ab omnibus tanquam quiescentia spectantur, e. g. arenæ, a qua scapha separatur, tantundem motûs tribuere cogeremur, quantum corporibus motis; nam, uti ostendimus, eadem actio requiritur ex una, quæ ex altera parte, et translatio est reciproca. Sed hoc a communi loquendi usu nimium abhorreret. Verum, quamvis ea corpora, a quibus separantur alia, tanquam quiescentia spectentur, ac etiam talia vocentur; tamen recordabimur, quod id omne, quod in corpore moto est, propter quod moveri dicitur, etiam fit in corpore quiescente.

5. denique ex Def. etiam clare apparet, quod unumquodque corpus habeat unum duntaxat motum sibi proprium, quoniam ab unis tantum corporibus sibi contiguis et quiescentibus recedere intelligitur. Attamen, si corpus motum sit pars aliorum corporum, alios motus habentium, clare intelligimus, ipsum etiam participare posse ex aliis innumeris; sed, quia non facile tam multi simul intelligi nec etiam omnes agnosci possunt, sufficiet, unicum illum, qui cuique corpori est proprius, in ipso considerare. Lege Art. 31. Part. 2. Princip.

IX. Per Circulum corporum motorum tantum intelligimus id, cum ultimum corpus, quod propter impulsum alterius movetur, primum motorum immediate tangit; quamvis linea, quæ ab omnibus corporibus simul per impulsum unius motus describitur, sit valde contorta.



AXIOMATA.

I. Nihili nullæ sunt proprietates.

II. Quidquid ab aliqua re tolli potest, eâ integrâ remanente, ipsius essentiam non constituit; id autem, quod, si auferatur, rem tollit, ejus essentiam constituit.

III. In duritie nihil aliud sensus nobis indicat, nec aliud de ipsâ

clare et distincte intelligimus, quam quod partes durorum corporum motui manuum nostrarum resistunt.

IV. Si duo corpora ad invicem accedant, vel ab invicem recedant, non ideo majus aut minus spatium occupabunt.

V. Pars materiæ, sive cedat sive resistat, non ideo naturam corporis amittit.

VI. Motus, quies, figura, et similia non possunt concipi sine extensione.

VII. Ultra sensibiles qualitates nihil remanet in corpore præter extensionem et ejus affectiones, in Part. I. Principior. memoratæ.

VIII. Unum spatium, sive extensio aliqua, non potest esse una vice major, quam aliâ.

IX. Omnis extensio dividi potest, saltem cogitatione.



De veritate hujus Axiomatis nemo, qui elementa Mathematicos tantum didicit, dubitat. Spatium enim datum inter Tangentem et Circulum infinitis aliis circulis majoribus dividi semper potest. Quod idem etiam ex Hyperbolæ Asymptosis patet.

X. Nemo fines alicujus extensionis sive spatii concipere potest, nisi simul ultra ipsos alia spatia, hoc immediate sequentia, concipiat.

XI. Si materia sit multiplex, neque una aliam immediate tangit, unaquæque necessario sub finibus, ultra quos non datur materia, comprehenditur.

XII. Minutissima corpora facile motui manuum nostrarum cedunt.

XIII. Unum spatium aliud spatium non penetrat, nec unâ vice majus est, quam aliâ.

XIV. Si canalis A sit ejusdem longitudinis ac C, at C duplo
 A  latior quam A; et aliqua materia fluida
 duplo celerius transeat per canalem A,
 quam quæ tranfit per canalem C; tan-
 c  tundem materiæ eodem temporis spatio

per canalem A transibit, quantum per C. Et si per canalem A tantundem transeat, atque per C, illa duplo celerius movebitur.


XV. Quæ uni tertio conveniunt, inter se conveniunt. Et quæ ejusdem tertii dupla sunt, inter se sunt æqualia.

XVI. Materia, quæ diversimode movetur, tot ad minimum habet

partes actu divisas, quot varii celeritatis gradus simul in ipsa observantur.

XVII. Linea inter duo puncta brevissima est recta.


XVIII. Corpus A a C versus B motum, si contrario impulsu repellatur, per eandem versus C movebitur lineam.



XIX. Corpora, quæ contrarios habent motus, cum sibi mutuo occurrunt, ambo aliquam variationem pati coguntur, vel ad minimum alterutrum.

XX. Variatio in aliqua re procedit a vi fortiori.

XXI. Si, cum corpus 1. movetur versus corpus 2., idque impellit, et corpus 8. ex hoc impulsu versus 1. moveatur, corpora 1, 2, 3, etc. non possunt esse in recta linea: sed omnia usque ad 8 integrum circulum componunt; vid. Defin. 9.



LEMMA I.

Ubi datur Extensio sive Spatium, ibi datur necessario Substantia.

DEMONSTRATIO.

Extensio sive spatium (*per Ax. 1.*) non potest esse purum nihil; est ergo attributum, quod necessario alicui rei tribui debet. Non Deo (*per Propos. 16. part. 1.*); ergo rei, quæ indiget solo concursu Dei ad existendum (*per Propos. 12. part. 1.*), hoc est (*per Def. 2. hujus*) substantiæ. Q. E. D.

LEMMA II.

Rarefactio et Condensatio clare et distincte a nobis concipiuntur, quamvis non concedamus, corpora in rarefactione majus spatium occupare quam in condensatione.

DEMONSTRATIO.

Possunt enim clare et distincte concipi per id solum, quod partes alicujus corporis ab invicem recedant, vel ad invicem accedant; Ergo (*per Ax. 4.*) non majus, neque minus spatium occupabunt.

Nam, si partes alicujus corporis, puta spongiæ, ex eo, quod ad invicem accedant, corpora, quibus ipsius intervalla replentur, expellant; per hoc solum istud corpus densius reddetur, nec ideo minus spatium, quam antea, ejus partes occupabunt (*per Ax. 4.*). Et si iterum ab invicem recedant, et meatus ab aliis corporibus repleantur; fiet rarefactio, nec tamen majus spatium occupabunt. Et hoc, quod ope sensuum clare percipimus in spongia, possumus solo intellectu concipere de omnibus corporibus, quamvis eorum intervalla humanum sensum plane effugiant. Quare Rarefactio et Condensatio clare et distincte a nobis concipiuntur, etc. Q. E. D.

Visum fuit hæc præmittere, ut intellectus præjudicia de Spatio, Rarefactione, etc. exueret, et aptus redderetur ad ea, quæ sequentur, intelligenda.

PROPOSITIO I.

Quamvis durities, pondus, et reliquæ sensiles qualitates a corpore aliquo separentur, integra remanebit nihilominus natura corporis.

DEMONSTRATIO.

In duritie, puta hujus lapidis, nihil aliud sensus nobis indicat, nec aliud de ipsa clare et distincte intelligimus, quam quod partes durorum corporum motui manuum nostrarum resistent (*per Ax. 3.*). Quare (*per Propos. 14. part. 1.*) durities etiam nihil aliud erit. Si vero istud corpus in pulvisculos quam minutissimos redigatur, ejus partes facile recedent (*per Ax. 12.*), nec tamen corporis naturam amittent (*per Ax. 5.*) Q. E. D.

In pondere, cæterisque sensilibus qualitibus, eodem modo procedit demonstratio.

PROPOSITIO II.

Corporis five Materiæ natura in sola extensione consistit.

DEMONSTRATIO.

Natura corporis non tollitur ex sublacione sensilium qualitatum (*per Propos. 1. hujus*); ergo neque constituunt ipsius essentiam (*per Ax. 2.*). Nihil ergo remanet præter extensionem et ejus affectiones (*per Ax. 7.*). Quare, si tollatur extensio, nihil remanebit, quod

ad naturam corporis pertineat, sed prorsus tolletur; ergo (*per Ax. 2.*) in sola extensione Corporis natura consistit. Q. E. D.

COROLLARIUM.

Spatium et Corpus in re non differunt.

DEMONSTRATIO.

Corpus et extensio in re non differunt (*per præced.*); spatium etiam et extensio in re non differunt (*per Defn. 6.*); ergo (*per Axiom. 15.*) spatium et corpus in re non differunt. Q. E. D.

SCHOLIUM.

Quamvis dicamus ¹, Deum esse ubique, non ideo conceditur Deum esse extensum, hoc est (*per præc.*) corporeum; nam esse ubique refertur ac solam potentiam Dei et ejus concursum, quo res omnes conservat; adeo ut Dei ubiquitas referatur non magis ad extensionem sive corpus, quam ad angelos et animas humanas. Sed notandum, quod, cum dicimus ipsius potentiam esse ubique, non secludamus ipsius essentiam; nam, ubi ipsius potentia, ibi etiam est ipsius essentia (*Coroll. Prop. 17. part. 1.*); sed solum, ut corporeitatem secludamus, hoc est, Deum non aliquâ potentiâ corporeâ esse ubique, sed potentiâ sive essentiâ divinâ, quæ communis est ad conservandam extensionem et res cogitantes (*Prop. 17. part. 1.*); quas profecto conservare non potuisset, si ipsius potentia, hoc est essentia, esset corporea.

PROPOSITIO III.

Repugnat, ut detur vacuum.

DEMONSTRATIO.

Per vacuum intelligitur extensio sine substantia corporea (*per Def. 5.*), hoc est (*per Propos. 2. hujus*), corpus sine corpore, quod est absurdum.

Ad uberiorem autem explicationem, et ad præjudicium de vacuo

¹ Vide de his fusius in Append. Part. 2. Cap. 3. et 9.

emendandum, legantur Art. 17. et 18. Part. 2. Princ., ubi præcipue notetur, quod corpora, inter quæ nihil interjacet, necessario se mutuo tangant, et etiam, quod nihili nullæ sint proprietates.

PROPOSITIO IV.

Una pars corporis non majus spatium occupat unâ vice quam aliâ; et contra, idem spatium unâ vice non plus corporis continet quam aliâ.

DEMONSTRATIO.

Spatium et corpus in re non differunt (*per Corol. Prop. 2. hujus*). Ergo, cum dicimus, spatium unâ vice non majus est quam aliâ (*per Ax. 13.*), simul dicimus, corpus non posse majus esse, hoc est majus spatium occupare, unâ vice quam aliâ. Quod erat primum. Porro ex hoc, quod spatium et corpus in re non differunt, sequitur, cum dicimus, corpus non posse majus spatium occupare unâ vice quam aliâ, nos simul dicere, idem spatium non plus corporis posse continere unâ vice quam aliâ. Q. E. D.

COROLLARIUM.

Corpora, quæ æquale spatium occupant, puta aurum et aër, æque multum materiæ, sive substantiæ corporeæ, habent.

DEMONSTRATIO.

Substantia corporea non in duritie e. g. auri, neque in mollitie e. g. aëris, neque in ulla sensilium qualitatem (*per Propof. 1. hujus*), sed in sola extensione consistit (*per Propof. 2. hujus*). Cum autem (*ex Hyp.*) tantundem spatii, sive (*per Def. 6.*) extensionis, sit in uno quam in alio; ergo etiam tantundem substantiæ corporeæ. Q. E. D.

PROPOSITIO V.

Nullæ dantur Atomî.

DEMONSTRATIO.

Atomî sunt partes materiæ indivisibiles ex sua natura (*per Def. 3.*). Sed, cum natura materiæ consistat in extensione (*per Prop. 2. hujus*), quæ naturâ suâ, quantumvis parva, est divisibilis (*per Ax. 9. et Def. 7.*);

ergo pars materiæ, quantumvis parva, naturâ suâ est divisibilis; h. e., nullæ dantur Atomi, sive partes materiæ natura sua indivisibiles.
Q. E. D.

SCHOLIUM.

Magna et intricata quæstio de Atomis semper fuit. Quidam afferunt dari Atomos, ex eo, quod infinitum non potest esse majus alio infinito; et si duæ quantitates, puta A et dupla ipsius A, sint divisibiles in infinitum, poterunt etiam potentiâ Dei, qui eorum infinitas partes uno intuitu intelligit, in infinitas partes actu dividi. Ergo, cum, ut dictum est, unum infinitum non majus sit alio infinito, erit quantitas A æqualis suo duplo, quod est absurdum. Deinde etiam quærent, an dimidia pars numeri infiniti sit etiam infinita; et an par sit an impar, et alia ejusmodi. Ad quæ omnia Cartesius respondit, nos non debere ea, quæ sub nostrum intellectum cadunt, ac proinde clare et distincte concipiuntur, rejicere propter alia, quæ nostrum intellectum aut captum excedunt, ac proinde non, nisi admodum inadæquate, a nobis percipiuntur. Infinitum vero et ejus proprietates humanum intellectum, natura scilicet finitum, excedunt; adeoque ineptum foret id, quod clare et distincte de spatio concipimus, tanquam falsum rejicere, sive de eo dubitare, propterea quod non comprehendamus infinitum. Et hanc ob causam Cartesius ea, in quibus nullos fines advertimus, qualia sunt extensio mundi, divisibilitas partium materiæ, etc., pro indefinitis habet. Lege Art. 26. Part. I. Princip.

PROPOSITIO VI.

Materia est indefinite extensa, materiaque cæli et terræ una eademque est.

DEMONSTRATIO

1. *Partis.* Extensionis, id est (*per Prop. 2. hujus*) materiæ, nullos fines imaginari possumus, nisi ultra ipsos alia spatia immediate frequentia (*per Ax. 10.*), id est (*per Def. 6.*) extensionem sive materiam, concipiamus, et hoc indefinite. Quod erat primum.

2. *Partis.* Essentia materiæ consistit in extensione (*per Propos. 2. hujus*), eaque indefinita (*per 1. partem*), hoc est (*per Def. 4.*),

quæ sub nullis finibus ab humano intellectu percipi potest; ergo (*per Ar. II.*) non est multiplex, sed ubique una eademque. Quod erat secundum.


SCHOLIUM.

Hucusque de natura sive essentia extensionis egimus. Quod autem talis, qualem illam concipimus, a Deo creata existat, Propositione ultima primæ Partis demonstravimus; et ex Proposit. 12. primæ Partis sequitur, nunc eandem eadem, qua creata est, potentiâ conservari. Deinde etiam eadem ultima Propos. prim. Part. demonstravimus, nos, quatenus res cogitantes, unitos esse parti alicui istius materiæ, cujus ope percipimus, dari actu omnes illas variationes, quarum, ex sola materiæ contemplatione, eam scimus esse capacem; uti sunt divisibilitas, motus localis, sive migratio unius partis ex uno loco in alium, quam clare et distincte percipimus, modo intelligamus, alias partes materiæ in locum migrantium succedere. Atque hæc divisio et motus infinitis modis a nobis concipiuntur, ac proinde infinitæ etiam materiæ variationes concipi possunt. Dico, eas clare distincteque a nobis concipi, quamdiu nempe ipsas tanquam extensionis modos, non autem tanquam res ab extensione realiter distinctas, concipimus, ut fuse est explicatum Princip. Part. 1. Et, quamvis Philosophi alios quamplures motus finxerunt, nobis tamen (nihil, nisi quod clare et distincte concipimus, admittentibus, quia nullius motus, præter localem, extensionem esse capacem, clare et distincte intelligimus, nec etiam ullus alius sub nostram imaginationem cadit) nullus etiam præter localem erit admittendus.

Verum Zeno, ut fertur, negavit motum localem, idque ob varias rationes, quas Diogenes Cynicus suo more refutavit, deambulando scilicet per Scholam, in qua hæc a Zenone docebantur, auditoresque illius sua deambulatione perturbando. Ubi autem sensit, se a quodam auditore detineri, ut ejus ambulationem impediret, ipsum increpuit, dicens, Cur sic ausus es tui magistri rationes refutare. Sed, ne forte quis, per rationes Zenonis deceptus, putet, sensus aliquid, motum scilicet, nobis ostendere, quod plane intellectui repugnet, adeo ut mens etiam circa ea, quæ ope intellectus clare et distincte

percipit, deciperetur; præcipuas ipsius rationes hic adferam, simulque ostendam, eas non nisi falsis niti præjudiciis: nimirum quia verum materiæ conceptum nullum habuit.

Primo itaque ajunt, ipsum dixisse, quod, si daretur motus localis, motus corporis circulariter summa celeritate moti non differret a quiete; atqui hoc absurdum; ergo et illud. Probat consequens. Illud corpus quiescit, cujus omnia puncta assidue manent in eodem loco; atqui omnia puncta corporis circulariter summa celeritate moti assidue manent in eodem loco; Ergo, etc. Atque hoc ipsum dicunt explicasse exemplo rotæ, puta A B C; quæ si quadam celeritate




circa centrum suum moveatur, punctum A citius per B et C absolvet circulum, quam si tardius moveretur. Ponatur igitur e. g., cum tarde incipit moveri, post lapsam horam esse in eodem loco, a quo incepit. Quod si vero duplo celerius moveri ponatur, erit in loco, a quo incepit moveri, post

lapsam dimidiam horam, et si quadruplo celerius, post lapsum quadrantem; et, si concipiamus hanc celeritatem in infinitum augeri, et tempus diminui usque in momenta, tum punctum A in summa illa celeritate omnibus momentis, sive assidue, erit in loco, a quo incipit moveri, atque adeo in eodem semper manet loco; et id, quod de puncto A intelligimus, intelligendum etiam est de omnibus punctis hujus rotæ; quocirca omnia puncta in summa illa celeritate assidue manent in eodem loco.

Verum, ut respondeam, venit notandum, hoc argumentum magis esse contra summam motus celeritatem, quam contra motum ipsum: attamen, an recte argumentetur Zeno, hic non examinabimus, sed potius ipsius præjudicia, quibus tota hæc argumentatio, quatenus ea motum impugnare putat, nititur, detegemus. Primo igitur supponit, corpora adeo celeriter posse concipi moveri, ut celerius moveri nequeant. Secundo, tempus componi ex momentis, sicut alii componi quantitatem ex punctis indivisibilibus conceperunt. Quod utrumque falsum. Nam nunquam motum adeo celerem concipere possumus, quo simul celeriore non concipiamus. Repugnat enim nostro intellectu, motum, quantumvis parvam lineam describentem, adeo

celerem concipere, ut celerior non dari possit. Atque idem etiam locum habet in tarditate: nam implicat concipere motum adeo tardum, ut tardior non dari possit. De tempore etiam, quod motus mensura est, idem asserimus, videlicet, quod clare repugnat nostro intellectui concipere tempus, quo brevius non dari possit. Quæ



omnia ut probemus, vestigia Zenonis sequamur. Ponamus igitur, ut ipse, Rotam ABC circa centrum tali celeritate moveri, ut punctum A omnibus momentis sit in loco

A, a quo movetur. Dico me clare concipere celeritatem hac indefinite celeriore, et consequenter momenta in infinitum minora. Nam ponatur, dum rota ABC circa centrum movetur, facere ope chordæ H, ut etiam alia rota DEF (quam ipsa duplo minorem pono) circa centrum moveatur. Cum autem rota DEF duplo minor supponatur rotæ ABC, perspicuum est, rotam DEF duplo celerius moveri rotæ ABC; et per consequens punctum D singulis dimidiis momentis esse iterum in eodem loco, a quo incepit moveri. Deinde, si rotæ ABC tribuamus motum rotæ DEF, tum DEF quadruplo celerius movebitur quam antea [ABC]; et si iterum hanc ultimam celeritatem rotæ DEF tribuamus rotæ ABC, tum DEF octuplo celerius movebitur; et sic in infinitum. Verum ex solo materiæ conceptu hoc clarissime apparet. Nam materiæ essentia consistit in extensione sive spatio semper divisibili, ut probavimus; ac motus sine spatio non datur. Demonstravimus etiam, quod una pars materiæ non potest simul duo spatia occupare; idem enim effet, ac si diceremus, unam partem materiæ æqualem esse suo duplo, ut ex supra demonstratis patet; ergo, si pars materiæ movetur, per spatium aliquod movetur, quod spatium, quantumvis parvum fingatur esse, et per consequens etiam tempus, per quod ille motus mensuratur, erit tamen divisibile, et per consequens duratio istius motus sive tempus divisibile erit, et hoc in infinitum. Q. E. D.

Pergamus jam ad aliud, quod ab ipso allatum dicitur sophisma,

nempe hujusmodi. Si corpus movetur, aut movetur in loco, in quo est, aut in quo non est. At non in quo est: nam, si alicubi est, necessario quiescit. Neque etiam in quo non est. Ergo corpus non movetur. Sed hæc argumentatio est plane similis priori; supponit enim etiam, dari tempus, quo minus non detur; nam si ei respondeamus, corpus moveri non in loco, sed a loco, in quo est, ad locum, in quo non est; rogabit, an in locis intermediis non fuit? Si respondeamus distinguendo, Si per *fuit* intelligitur *quiescit*, nos negare alicubi fuisse, quamdiu movebatur; sed si per *fuit* intelligitur *existit*, nos dicere, quod, quamdiu movebatur, necessario existebat; — iterum rogabit, ubinam existiterit, quamdiu movebatur. Si denuo respondeamus, Si per illud *ubinam existiterit*, rogare velit, *quem locum servaverit*, quamdiu movebatur, nos dicere, nullum servasse; si vero *quem locum mutaverit*, nos dicere omnia, quæ assignare velit, loca illius spatii, per quod movebatur, mutasse; perget rogare, an eodem temporis momento locum occupare et mutare potuit? Ad quod denique respondemus, distinguendo scilicet, Ipsum, si per temporis momentum intelligat tale tempus, quo minus dari non possit, rem non intelligibilem, ut satis ostensum est, rogare, ideoque responsione indignam; Si vero tempus eo sensu, quo supra explicui, sumit, id est suo vero sensu, numquam tam parvum tempus posse assignare, quo, quamvis etiam vel indefinite brevius ponatur, non posset corpus locum occupare et mutare; quod satis attendenti est manifestum. Unde clare patet, quod supra dicebamus, ipsum supponere tempus tam parvum, quo minus dari non possit, ac proinde etiam nihil probare.

Præter hæc duo, aliud adhuc Zenonis circumfertur argumentum, quod simul cum ejus refutatione legi potest apud Cartesii Epistol. pænultim. volum. prim.

Velim autem hic Lectores meos animadvertere, me rationibus Zenonis meas opposuisse rationes; adeoque ipsum Ratione redarguisse, non autem sensibus, quemadmodum Diogenes fecit. Neque enim sensus aliud quid veritatis inquisitori suggerere possunt, quam Naturæ Phænomena, quibus determinatur ad illorum causas investigandas, non autem unquam quid, quod intellectus clare et distincte verum esse deprehendit, falsum esse ostendere. Sic enim nos judicamus,

adeoque hæc nostra est Methodus: res, quas proponimus, rationibus clare et distincte ab intellectu perceptis demonstrare; insuper habentes, quidquid, quod iis contrarium videtur, sensus dicent; qui, ut diximus, intellectum solummodo determinare queunt, ut hoc potius quam illud inquireat, non autem falsitatis, cum quid clare et distincte percepit, arguere.

PROPOSITIO VII.

Nullum corpus locum alterius ingreditur, nisi simul illud alterum locum alicujus alterius corporis ingrediatur.

DEMONSTRATIO ¹.


Si negas, ponatur, si fieri potest, corpus A ingredi locum corporis B, quod suppono ipsi A æquale, et a suo loco non recedere. Ergo spatium, quod tantum continebat B, jam (*per hypothes.*) continet A et B; adeoque duplum substantiæ corporeæ, quam antea continebat; quod (*per Prop. 4. hujus*) est absurdum. Ergo nullum corpus locum alterius ingreditur, etc. Q. E. D.

PROPOSITIO VIII.

Cum corpus aliquod locum alterius ingreditur, eodem temporis momento locus ab eo derelictus ab alio corpore occupatur, quod ipsum immediate tangit.

DEMONSTRATIO.

Si corpus B movetur versus D, corpora A et C eodem temporis momento ad se invicem accedent ac se invicem tangent, vel non.



Si ad se invicem accedant et tangent, conceditur intentum. Si vero non ad se invicem accedant, sed totum spatium a B derelictum, inter A et C interjaceat, ergo corpus æquale ipsi B (*per Coroll. Propos. 2. hujus et Coroll. Prop. 4. hujus*) interjacet. At non (*per hypothes.*) idem B; ergo

aliud, quod eodem temporis momento ipsius locum ingreditur; et cum eodem temporis momento ingrediatur, nullum aliud potest esse, quam quod immediate tangit, *per Schol. Prop. 6. hujus*; ibi enim

¹ .Vide Fig. Prop. seq.

demonstravimus, nullum dari motum ex uno loco in alium, qui tempus, quo brevius semper datur, non requirat. Ex quo sequitur, spatium corporis B eodem temporis momento ab alio corpore non posse occupari, quod per spatium aliquod moveri deberet, antequam ejus locum ingrederetur. Ergo tantum corpus, quod B immediate tangit, eodem temporis momento illius locum ingreditur. Q. E. D.

SCHOLIUM.


Quoniam partes materiæ realiter ab invicem distinguuntur (*per Art. 61. Part. 1. Princip.*), una absque alia esse potest (*per Coroll. Propos. 7. part. 1.*), nec ab invicem dependent. Quare omnia illa figmenta, de Sympathia et Antipathia, ut falsa sunt rejicienda. Porro, cum causa alicujus effectûs semper positiva debeat esse (*per Axiom. 8. part. 1.*), nunquam dicendum erit, quod corpus aliquod movetur, ne detur vacuum, sed tantum ex alterius impulsu.

COROLLARIUM.

In omni motu integer Circulus corporum simul movetur.

DEMONSTRATIO.


Eo tempore, quo corpus 1. ingreditur locum corporis 2., hoc corpus 2. in alterius locum, puta 3., debet ingredi, et sic porro (*per Propos. 7. hujus*). Deinde eodem temporis momento, quo corpus 1. locum corporis 2. ingrediebatur, locus, a corpore 1. derelictus, ab alio occupari debet (*per Prop. 8. hujus*), puta 8, aut aliud, quod ipsum 1. immediate tangit; quod cum fiat ex solo impulsu alterius corporis (*per Scholium preced.*), quod hic supponitur esse 1., non possunt omnia hæc corpora mota in eadem recta linea esse (*per Axiom. 21.*), sed (*per Definit. 9.*) integrum circulum describunt. Q. E. D.



PROPOSITIO IX.

Si canalis A B C circularis sit aqua plenus, et in A sit quadruplo latior quam in B; eo tempore, quo illa aqua (vel aliud corpus fluidum) quæ est in A, versus B incipit moveri, aqua, quæ est in B, quadruplo celerius movebitur.

DEMONSTRATIO.



Cum tota aqua, quæ est in A, movetur versus B, debet simul tantundem aquæ ex C, quæ A immediate tangit, ejus locum ingredi (*per Propof. 8. hujus*); et ex B tantundem aquæ locum C debet ingredi (*per eandem*); ergo (*per Ax. 14.*) quadruplo celerius movebitur. Q. E. D.

Id, quod de circulari canali dicimus, etiam est intelligendum de omnibus inæqualibus spatii, per quæ corpora, quæ simul moventur, coguntur transire; demonstratio enim in cæteris eadem erit.

LEMMA.

Si duo Semicirculi ex eodem centro describantur, ut A et B, spatium inter peripherias erit ubi æquale. Si vero ex diversis centris describantur, ut C et D, spatium inter peripherias erit ubique inæquale.



Demonstratio patet ex sola definitione circuli.

PROPOSITIO X.

Corpus fluidum, quod per canalem A B C movetur, accipit indefinitos gradus celeritatis.

DEMONSTRATIO.

(*Vide Fig. Propof. præced.*) Spatium inter A et B est ubique inæquale (*per Lemm. præc.*); ergo (*per Propof. 9. hujus*) celeritas, qua corpus fluidum per canalem A B C movetur, erit ubique inæqualis. Porro, cum inter A et B indefinita spatia semper minora atque minora cogitatione concipiamus (*per Prop. 5. hujus*), etiam ipsius inæqualitates, quæ ubique sunt, indefinitas concipimus, ac proinde (*per Propof. 9. hujus*) celeritatis gradus erunt indefiniti. Q. E. D.

PROPOSITIO XI.

In materia, quæ per canalem A B C fluit, datur divisio in particulas indefinitas.

DEMONSTRATIO.

(*Vide Fig. Propof. 9.*) Materia, quæ per canalem A B C fluit, acquirit fimul indefinitos gradus celeritatis (*per Prop. 10. hujus*), ergo (*per Ax. 16.*) habet indefinitas partes revera divifas. Q. E. D. Lege Art. 34. et 35. Part. 2. Princip.

SCHOLIUM.

Hucusque egimus de natura motûs; oportet jam, ut ejus caufam inquiremus, quæ duplex est: primaria fcilicet, five generalis, quæ caufa est omnium motuum, qui funt in mundo, et particularis, a qua fit, ut fingulæ materiæ partes motus, quos prius non habuerunt, acquirant. Ad generalem quod attinet, cum nihil fit admittendum (*per Propof. 14. part. 1. et Schol. prop. 17. ejusd. part.*), nifi quod clare et diftincte percipimus, nullamque aliam caufam præter Deum (materiæ fcilicet creatorem) clare et diftincte intelligamus, manifefte apparet, nullam aliam caufam generalem præter Deum efle admittendam. Quod autem hic de motu dicimus, etiam de quiete intelligendum venit.

PROPOSITIO XII.

Deus eft caufa principalis motûs.

DEMONSTRATIO.

Infpiciatur Scholium proxime præcedens.

PROPOSITIO XIII.

Eandem quantitatem motûs et quietis, quam Deus femel materia impreffit, etiamnum fuo concursu confervat.

DEMONSTRATIO.

Cum Deus fit caufa motûs et quietis (*per Propof. 12. hujus*); etiamnum eâdem potentia, qua eos creavit, confervat (*per Ax. 10. part. 1.*); et quidem eâdem illâ quantitate, qua eos primo creavit, (*per Corollar. Prop. 20. part. 1.*) Q. E. D.

SCHOLIUM.

I. Quamvis in Theologia dicatur, Deum multa agere ex beneplacito.

cito, et ut potentiam suam hominibus ostendat; tamen, cum ea, quæ a solo ejus beneplacito pendet, non nisi divinâ revelatione innotescant, ista in Philosophia, ubi tantum in id, quod Ratio dicit, inquiritur, non erunt admittenda, ne Philosophia cum Theologia confundatur.

II. Quamvis motus nihil aliud sit in materia mota, quam ejus modus, certam tamen et determinatam habet quantitatem; quæ quomodo intelligenda veniat, patebit ex sequentibus. Lege Art. 36. Part. 2. Princ.

PROPOSITIO XIV.

Unaquæque res, quatenus simplex et indivisa est, et in se sola consideratur, quantum in se est, semper in eodem statu perseverat.

Propositio hæc multis tanquam axioma est; eam tamen demonstrabimus.

DEMONSTRATIO.

Cum nihil sit in aliquo statu, nisi ex solo Dei concursu (*per Prop. 12. part. 1.*); et Deus in suis operibus sit summe constans (*per Coroll. Propos. 20. part. 1.*); si ad nullas causas externas, particulares scilicet, attendamus, sed rem in se sola consideremus, affirmandum erit, quod illa, quantum in se est, in statu suo, in quo est, semper perseverat. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Corpus, quod semel movetur, semper moveri pergit, nisi a causis externis retardetur.

DEMONSTRATIO.

Patet hoc ex prop. præc.; attamen, ad præjudicium de motu emendandum, lege Art. 37. et 38. Part. 2. Princip.

PROPOSITIO XV.

Omne corpus motum ex se ipso tendit, ut secundum lineam rectam, non vero curvam, pergat moveri.

Hanc propositionem inter axiomata numerare liceret, eam tamen ex præcedentibus sic demonstrabo.

DEMONSTRATIO.

Motus, quia Deum tantum (*per Propof. 12. hujus*) pro causa habet, nullam unquam ex fe vim habet ad existendum (*per Axiom. 10. part. 1.*), fed omnibus momentis a Deo quafi procreatur (*per illa, quæ demonſtrantur circa Axioma jam citatum*). Quapropter, quamdiu ad folam motûs naturam attendimus, nunquam ipſi durationem tribuere poterimus, tanquam ad ejus naturam pertinentem, quæ major aliâ poteſt concipi. At ſi dicatur, ad naturam alicujus corporis moti pertinere, ut lineam curvam aliquam ſuo motu deſcribat, magis diuturnam durationem motûs naturæ tribueretur, quam ubi ſupponitur, de corporis moti natura eſſe, tendere ut moveri pergat ſecundum lineam rectam (*per Ax. 17.*). Cum autem (*ut jam demonſtravimus*) talem durationem motûs naturæ tribuere non poſſumus; ergo neque etiam ponere, quod de corporis moti natura ſit, ut ſecundum ullam lineam curvam, ſed tantum ut ſecundum rectam moveri pergat. *Q. E. D.*

SCHOLIUM.

Hæc Demonſtratio videbitur forſan multis non magis oſtendere, ad naturam motûs non pertinere, ut lineam curvam, quam ut lineam rectam deſcribat; idque propterea, quod nulla poſſit aſſignari recta, qua minor ſive recta ſive curva non detur, neque ulla curva, qua etiam alia curva minor non detur. Attamen, quamvis hæc confiderem, demonſtrationem nihilominus recte procedere judico: quandoquidem ipſa ex ſola univerſali eſſentia, ſive eſſentiali differentia, linearum (non vero ex uniuſcujuſque quantitate, ſive accidentali differentia) id, quod demonſtrandum proponebatur, concludit. Verum, ne rem per ſe fatiſ claram demonſtrando obſcuriorem reddam, Lectores ad ſolam motûs definitionem remitto, quæ nihil aliud de motu affirmat, quam translationem unius partis materiæ ex vicinia, etc., in viciniam aliorum, etc. Ideoque, niſi hanc translationem ſimpliciſſimam concipiamus; hoc eſt, eam ſecundum lineam rectam fieri; motui aliquid aſſingimus, quod in ejus definitione ſive eſſentia non continetur, adeoque ad ejus naturam non pertinet.

COROLLARIUM.

Ex propoſitione hac ſequitur, omne corpus, quod ſecundum lineam


curvam movetur, continuo a linea, secundum quam ex se pergeret moveri, deflectere; idque vi alicujus causæ externæ (*per Propof. 14. hujus*).

PROPOSITIO XVI.

Omne corpus quod circulariter movetur, ut lapis ex. gr. in funda, continuo determinatur, ut secundum tangentem pergat moveri.

DEMONSTRATIO.

Corpus, quod circulariter movetur, continuo a vi externa impeditur, ne secundum lineam rectam pergat moveri (*per Coroll. præcedentis*); qua cessante corpus ex se perget secundum lineam rectam moveri (*per Propof. 15.*). Dico præterea,



a causa externa determinari, ut secundum tangentem pergat moveri. Nam, si negas, ponatur lapis in B a funda ex. g. non secundum tangentem B D determinari, sed secundum aliam lineam ab eodem puncto extra aut intra circumferentiam conceptam, ut B F, quando funda ex parte L versus B venire supponitur; aut secundum B G (quam intelligo cum linea B H, quæ a centro ducitur per circumferentiam, eamque in puncto B secat, angulum constituit æqualem angulo F B H), si contra supponatur funda ex parte C versus B venire. At, si lapis in puncto B supponatur a funda, quæ ab L versus B circulariter movetur, determinari, ut versus F pergat moveri; necessario (*per Ax. 18.*), ubi funda contrariâ determinatione a C versus B movetur, determinabitur, ut secundam eandem lineam B F contrariâ determinatione pergat moveri, ac proinde versus K, non vero versus G tendet, quod est contra hypothefin. Et cum


1 nulla linea, quæ per punctum B potest duci, præter tangentem statui possit, cum linea B H angulos ad eandem partem, ut D B H et A B H, æquales efficiens; nulla præter tangentem datur, quæ eandem

¹ Patet ex prop. 18. et 19. Nb. 3. Elemt.

hypothesein fervare potest, five funda ab L versus B, five a C versus B moveatur; ac proinde nulla præter tangentem statuenda est, secundum quam tendit moveri. Q. E. D.

ALITER.

Concipiatur, loco circuli, Hexagonum A B H circulo inscriptum, et corpus C in uno latere A B quiescere: deinde concipiatur regula D B E hujus (cujus unam extremitatem in centro D fixam, alteram vero mobilem suppono) circa centrum D moveri, secans continuo lineam A B.



Patet, quod si regula D B E, dum ita concipitur moveri, corpori C occurrat eo tempore, quo lineam A B ad angulos rectos secat, ipsa regula corpus C suo impulsu determinabit, ut secundum lineam F B A G versus G pergat moveri, hoc est, secundum latus A B indefinite productum. Verum quia Hexagonum ad libitum assumimus, idem erit affirmandum de quacunque alia figura, quam

huic circulo concipimus posse inscribi: nempe quod, ubi corpus C, in uno figuræ latere quiescens, a regula D B E impellitur eo tempore, quo ipsa latus illud ad angulos rectos secat, ab illa regula determinabitur, ut secundum illud latus indefinite productum pergat moveri. Concipiamus igitur, loco Hexagoni, figuram rectilineam infinitorum laterum (hoc est circulum, ex def. Archimedis); patet, regulam D B E, ubicunque corpori C occurrat, ipsi semper occurrere eo tempore, quo aliquod talis figuræ latus ad angulos rectos secat; adeoque nunquam ipsi corpori C occurreret, quin ipsum simul determinabit, ut secundum illud latus indefinite productum pergat moveri. Cumque quodlibet latus ad utramvis partem productum, semper extra figuram cadere debeat; erit hoc latus indefinite productum tangens figuræ infinitorum laterum, hoc est, circuli. Si itaque loco regulæ concipiamus fundam circulariter motam, hæc lapidem continuo determinabit, ut secundum tangentem pergat moveri. Q. E. D.


Notandum hic est, utramque hanc demonstrationem posse accommodari quibuslibet figuris curvilineis.

PROPOSITIO XVII.

Omne corpus, quod circulariter movetur, conatur recedere a centro circuli, quem describit.

DEMONSTRATIO.

Quamdiu aliquod corpus circulariter movetur, tamdiu cogitur ab aliqua causa externa, qua cessante simul pergit moveri secundum lineam tangentem (*per præced.*), cujus omnia puncta præter id, quod circulum tangit, extra circulum cadunt (*per Prop. 16. lib. 3. Et.*), ac proinde longius a centro distant. Ergo, cum lapis, qui circulariter movetur in funda *E A*, est in puncto *A*, conatur pergere secundum lineam, cujus omnia puncta longius distant a centro *E*, quam omnia puncta circumferentiæ *L A B*; quod nihil aliud est, quam recedere conari a centro circuli, quem describit. *Q. E. D.*



PROPOSITIO XVIII.

Si corpus aliquod, puta A, versus aliud corpus quiescens B moveatur, nec tamen B propter impetum corporis A aliquid suæ quietis amittat; neque etiam A sui motus aliquid amittet, sed eandem quantitatem motus, quam antea habebat, prorsus retinebit.

DEMONSTRATIO.

Si negas, ponatur corpus *A* perdere de suo motu, nec tamen id, quod perdidit, in aliud transferre; puta in *B*; dabitur in Natura, cum id contingit, minor quantitas motus, quam antea, quod est absurdum (*per Prop. 13. hujus*). Eodem modo procedit Demonstratio respectu quietis in corpore *B*; quare, si unum in aliud nihil transferat, *B* omnem suam quietem, et *A* omnem suum motum retinebit. *Q. E. D.*



PROPOSITIO XIX.

Motus, in se spectatus, differt a sua determinatione versus certam aliquam partem; neque opus est, corpus motum, ut in contrariam partem feratur sive repellatur, aliquamdiu quiescere.

DEMONSTRATIO.

Ponatur, ut in præced., corpus A versus B in directum moveri, et a corpore B impedi, ne ulterius pergat; ergo (*per præced.*) A suum integrum motum retinebit, nec quantumvis minimum spatium temporis quiescet; attamen, cum pergat moveri, non movetur versus eandem partem, versus quam prius movebatur; supponitur enim a B impedi, ergo motu suo integro remanente, atque determinatione priore amissa, versus contrariam movebitur partem (*per illa, quæ cap. 2. Diopt. dicta sunt*); ideoque (*per Ax. 2.*) determinatio ad essentiam motûs non pertinet, sed ab ipsa differt, nec corpus motum, cum repellitur, aliquamdiu quiescit. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Hinc sequitur, motum non esse motui contrarium.

PROPOSITIO XX.

Si corpus A corpori B occurrat, et ipsum secum rapiat; tantum motûs, quantum B propter occursum A ab ipso A acquirat, de suo motu A amittet.

DEMONSTRATIO.

Si negas, ponatur B plus aut minus motûs ab A acquirere, quam A amittit; tota illa differentia erit addenda vel sub-



trahenda quantitati motûs totius Naturæ, quod est absurdum (*per Propos. 13. hujus*). Cum ergo

neque plus neque minus motûs corpus B possit acquirere, tantum ergo acquirat, quantum A amittet. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXI.

Si corpus A duplo majus sit quam B, et aque celeriter moveatur; habebit etiam A duplo majorem motum quam B, sive vim ad æqualem celeritatem cum B retinendam. (Vid. Fig. prop. præc.).

DEMONSTRATIO.

Ponatur e. g. loco A bis B, id est (*ex hyp.*) unum A in duas æquales partes divisum; utrumque B habet vim ad manendum in statu, in quo est (*per Prop. 14. hujus*), eaque vis in utroque (*ex hyp.*) est æqualis. Si jam hæc duo B jungantur, suam celeritatem retinendo, fiet unum A, cujus vis et quantitas erit æqualis duobus B five dupla unius B. Q. E. D.

Nota, hoc ex sola motûs definitione etiam sequi; quo enim corpus, quod movetur, majus est, eo plus materiæ datur, quæ ab alia separatur; daturque igitur plus separationis, hoc est (per Defin. 8.) plus motûs. Vide quæ 4. notavimus circa motûs definitionem.

PROPOSITIO XXII.

Si corpus A æquale sit corpori B, et A duplo celerius quam B moveatur, vis five motus in A erit duplex ipsius B. (Vide Fig. propof. 20.)

DEMONSTRATIO.

Ponatur B, cum primo certam vim se movendi acquisivit, acquisivisse quatuor gradus celeritatis. Si jam nihil accedat, perget moveri (*per Propof. 14. hujus*) et in suo statu perseverare. Supponatur denuo novam aliam vim acquirere ex novo impulsu priori æqualem; quapropter iterum acquireret, ultra quatuor priores, alios quatuor gradus celeritatis, quos etiam (*per eand. Propof.*) servabit, hoc est, duplo celerius, hoc est, æque celeriter ac A, movebitur, et simul duplam habebit vim, hoc est, æqualem ipsi A; quare motus in A est duplex ipsius B. Q. E. D.

Nota, nos hic per vim in corporibus motis intelligere quantitatem motûs; quæ quantitas in æqualibus corporibus pro celeritate motûs major esse debet, quatenus ea celeritate corpora æqualia a corporibus immediate tangentibus magis eodem tempore separantur, quam si tardius moverentur: adeoque (per Definit. 8.) plus motûs etiam habent. In quiescentibus autem per vim resistendi intelligere quantitatem quietis. Ex quibus sequitur

COROLLARIUM I.

Quo corpora tardius moventur, eo magis de quiete participant: cor-

poribus enim celerius motis, quæ ipsis occurrunt, et minorem, quam ipsa, vim habent, magis resistunt, et etiam minus a corporibus immediate tangentibus separantur.

COROLLARIUM II.

Si corpus A duplo celerius moveatur quam corpus B, et B duplo majus sit quam A, tantundem motus est in B majori, quam in A minori, ac proinde etiam equalis vis.

DEMONSTRATIO.

Sit B duplo majus quam A, et A duplo celerius moveatur quam B, et porro C duplo minus sit quam B, et duplo tardius moveatur quam A; ergo B (*per Propof. 21. hujus*) duplo majorem habebit motum, quam C, et A (*per Prop. 22. hujus*) duplo majorem motum habebit, quam C; ergo (*per Axiom. 15.*) B et A æqualem motum habent; est enim utriusque motus ejusdem tertii C duplex. *Q. E. D.*

COROLLARIUM III.

Ex his sequitur, *motum a celeritate distingui*. Concipimus enim corporum, quæ æqualem habent celeritatem, unum plus motus habere posse quam aliud (*per Propof. 21. hujus*); et contra, quæ inæqualem habent celeritatem, æqualem motum habere posse (*per Coroll. præced.*). Quod idem etiam ex sola motus definitione colligitur: nihil enim aliud est, quam translatio unius corporis ex vicinia, etc.

Verum hic notandum, Corollarium hoc tertium primo non repugnare. Nam celeritas duobus modis a nobis concipitur: vel quatenus corpus aliquod magis aut minus eodem tempore a corporibus illud immediate tangentibus separatur, et eatenus motus vel quietis plus vel minus participat; vel quatenus eodem tempore majorem vel minorem lineam describit, et eatenus a motu distinguitur.

Potuissem hic alias propositiones adjungere ad uberiorem explicationem Propositionis 14. hujus partis, et vires rerum in quocunque statu, sicut hic circa motum fecimus, explicare; sed sufficiet Art. 43. Part. 2. Princip. perlegere, et tantum unam propositionem annexere, quæ necessaria est ad ea, quæ sequentur, intelligenda.

PROPOSITIO XXIII.

Cum modi alicujus corporis variationem pati coguntur, illa variatio semper erit minima, quæ dari potest.

DEMONSTRATIO.

Satis clare sequitur hæc Propositio ex Propof. 14. hujus.

PROPOSITIO XXIV. Reg. 1.

Si duo corpora, puta A et B (vid. Fig. prop. 20.), essent plane aequalia, et in directum versus se invicem æque velociter moverentur; cum sibi mutuo occurrunt, utrumque in contrariam partem reflectetur nullâ suæ celeritatis parte amissâ.

In hac hypothefi clare patet, quod, ut horum duorum corporum contrarietas tollatur, vel utrumque in contrariam partem reflecti, vel unum alterum secum rapere debeat; nam quoad determinationem tantum, non vero quoad motum sibi sunt contraria.

DEMONSTRATIO.

Cum A et B sibi mutuo occurrunt, aliquam variationem pati debent (*per Ax. 19.*); cum autem motus motui non fit contrarius (*per Corol. Propof. 19. hujus*), nihil sui motûs amittere cogentur (*per Ax. 19.*). Quam ob rem in sola determinatione fiet mutatio; sed unius determinationem tantum, puta B, non possumus concipere mutari, nisi A, a quo mutari deberet, fortius esse supponamus (*per Ax. 20.*). At hoc esset contra hypothefin; ergo, cum mutatio determinationis in uno tantum fieri non possit, fiet in utroque, deflectentibus scilicet A et B in contrariam partem (*per illa, quæ cap. 2. Dioptric. dicta sunt*), et motum suum integrum retinentibus. Q. E. D.

PROPOSITIO XXV. Reg. 2.

Si mole essent inaequalia, B nempe majus quam A (vid. Fig. prop. 20.), cæteris ut prius positis, tunc solum A reflectetur, et utrumque eadem celeritate perget moveri.

DEMONSTRATIO.

Cum A supponatur minus quam B, habebit etiam (*per Propof.*

21. *hujus*) minorem vim quam B; cum autem in hac hypothesi, ut in præcedenti, detur contrarietas in sola determinatione, adeoque, ut in prop. præced. demonstravimus, in sola determinatione variatio fieri debeat, fiet tantum in A, et non in B (*per Ax. 20.*); quare A tantum in contrariam partem a fortiori B reflectetur, suam integram celeritatem retinendo. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXVI.

Si mole et celeritate sint inæqualia, B nempe duplo majus quam A (vid. Fig. prop. 20.), motus vero in B duplo celerior quam in A, cæteris ut prius positis, ambo in contrariam partem reflectentur, unoquoque suam, quam habebant, celeritatem retinente.

DEMONSTRATIO.

Cum A et B versus se invicem moventur, secundum hypothesin, tantundem motus est in uno quam in alio (*per Coroll. 2. Propos. 22. hujus*); quare motus unius motui alterius non contrariatur (*per Coroll. Prop. 19. hujus*), et vires in utroque sunt æquales (*per Coroll. 2. Propos. 22. hujus*). Quare hæc hypothesis prorsus est similis hypothesi Propositionis 24. hujus; adeoque per ejusdem demonstrationem A et B in contrariam partem, suum motum integrum retinendo, reflectentur. *Q. E. D.*

COROLLARIUM.

Ex tribus hisce præcedentibus Propositionibus clare apparet, quod determinatio unius corporis æqualem vim requirat, ut mutetur, quam motus; unde sequitur, corpus, quod plus quam dimidium suæ determinationis, et plus quam dimidiam partem sui motus amittit, plus mutationis pati, quam id, quod totam suam determinationem amittit.

PROPOSITIO XXVII. Reg. 3.

Si mole sint æqualia, sed B tantillo celerius moveatur quam A; non tantum A in contrariam partem reflectetur, sed etiam B dimidiam partem celeritatis, qua A excedit, in A transferet, et ambo æque celeriter pergent moveri versus eandem partem.

DEMONSTRATIO.

A (*ex hyp.*) non tantum sua determinatione opponitur B, sed etiam sua tarditate, quatenus illa de quiete participat (*per Coroll. Prop. 22 hujus*). Unde, quamvis in contrariam partem reflectatur, et sola determinatio mutetur, non ideo tollitur omnis horum corporum contrarietas; quare (*per Ax. 19.*) et in determinatione et in motu variatio fieri debet. Sed, cum B ex hypothefi celerius quam A moveatur, erit B (*per Propof. 22. hujus*) fortius quam A; quare (*per Ax. 20.*) mutatio in A a B procedet, a quo in contrariam partem reflectetur; Quod erat primum.



Deinde, quamdiu tardius quam B movetur, ipsi B (*per Coroll. 1. Propof. 22. hujus*) opponitur; ergo tamdiu variatio fieri debet (*per Ax. 19.*), donec non tardius quam B moveatur. Ut autem celerius quam B moveatur, a nulla causa adeo forti in hac hypothefi cogitur; cum igitur neque tardius quam B moveri possit, cum a B impellatur, neque celerius quam B, æque ergo celeriter ac B perget moveri. Porro, si B minus quam dimidiam partem excessûs celeritatis in A transferat, tunc A tardius quam B perget moveri; Si vero plus quam dimidiam partem, tunc A celerius quam B perget moveri; quod utrumque absurdum est, ut jamjam demonstravimus. Ergo variatio eousque continget, donec B dimidiam partem excessûs celeritatis in A transfulerit, quam B (*per Propof. 20. hujus*) amittere debet; adeoque ambo æque celeriter sine ulla contrarietate pergent moveri versus eandem partem. Q. E. D.


COROLLARIUM.

Hinc sequitur, quo corpus aliquod celerius movetur, eo magis determinatum esse, ut, secundum quam lineam movetur, moveri pergat; et contra, quo tardius, eo minus determinationis habere.

SCHOLIUM.

Ne hic Lectores vim determinationis cum vi motûs confundant, visum fuit pauca adjungere, quibus vis determinationis a vi motûs

distincta explicetur. Si igitur corpora A et C æqualia, et æquali



celeritate versus se invicem in directum
mota concipiantur, hæc duo (*per Prop.
24. hujus*) in contrariam partem, suum
motum integrum retinendo, reflectentur.
Verum si corpus C fit in B, et oblique
versus A moveatur, perspicuum est,
ipsum jam minus determinatum esse ad
se movendum secundum lineam B D,
vel C A. Quare, quamvis æqualem cum

A habeat motum, tamen vis determinationis C, in directum versus A moti, quæ æqualis est cum vi determinationis corporis A, major est vi determinationis ipsius C, ex B versus A moti, et tanto major, quanto linea B A major est lineâ C A: quanto enim linea B A major est lineâ C A, tanto etiam plus temporis (ubi B et A æque celeriter, ut hic supponuntur, moventur) requirit B, ut secundum lineam B D vel C A, per quam determinationi corporis A contrariatur, moveri possit. Adeoque, ubi C oblique ex B ipsi A occurrit, determinabitur, ac si secundum lineam A B' versus B' (quod suppono, ubi in eo puncto est, quo linea A B' lineam B C productam fecat, æque distare a C ac C distat a B) pergeret moveri. A vero, suum integrum motum et determinationem retinendo, perget versus C moveri, corpusque B secum pellet, quandoquidem B, quamdiu secundum diagonalem A B' ad motum determinatum est, et æquali cum A celeritate movetur, plus temporis requirit quam A, ut aliquam partem lineæ A C suo motu describat, et eatenus determinationi corporis A, quæ fortior est, opponitur. Sed, ut vis determinationis ipsius C ex B versus A moti, quatenus de linea C A participat, æqualis sit cum vi determinationis ipsius C in directum versus A moti (vel ex hyp. ipsius A), necessario B tot gradus motûs supra A debet habere, quot partibus linea B A major est lineâ C A, tumque, ubi corpori A oblique occurrit, A in contrariam partem versus A' et B versus B', unoquoque suum integrum motum retinente, reflectentur. Verum, si excessus B supra A major sit, quam excessus lineæ B A supra lineam C A, tum B repellat A versus A', eique tantum sui motûs

tribuet, donec motus B ad motum A se habeat, ut linea B A ad lineam C A, et tantum motûs, quantum in A transtulit, amittendo, perget, versus quam prius movebatur partem, moveri. Ex gr. si linea A C fit ad lineam A B ut 1 ad 2, et motus corporis A ad motum corporis B ut 1 ad 5, tum B transferet in A unum gradum sui motûs, ipsumque in contrariam partem repellet, et B cum quatuor residuis gradibus perget versus eandem partem, versus quam prius tendebat, moveri.

PROPOSITIO XXVIII. *Reg. 4.*

Si corpus A (vid. Fig. prop. 27.) plane quiesceret, essetque paulo majus quam B; quacunque cum celeritate B moveatur versus A, nunquam ipsum A movebit, sed ab eo in contrariam partem repelletur, suum integrum motum retinendo.

Nota, horum corporum contrarietatem tolli tribus modis: vel ubi unum alterum secum rapit, et postea æque celeriter versus eandem partem pergunt moveri; vel ubi unum in contrariam partem reflectitur, et alterum suam integram quietem retinet; vel ubi unum in contrariam partem reflectitur, et aliquid sui motûs in aliud quiescens transfert; quartus autem casus non datur (*ex vi Prop. 13. hujus*). Jam igitur erit (*per Prop. 23. hujus*) demonstrandum, quod secundum nostram hypothesin minima mutatio in hisce corporibus contingit.

DEMONSTRATIO.

Si B moveret A, donec eadem celeritate pergerent ambo moveri, deberet (*per Propof. 20. hujus*) tantum sui motûs in A transferre, quantum A acquirit, et (*per Propof. 21. hujus*) plus quam dimidiam partem sui motûs deberet amittere, et consequenter (*per Coroll. Propof. 27. hujus*) plus etiam quam dimidiam partem suæ determinationis; adeoque (*per Coroll. Propof. 26. hujus*) plus mutationis pateretur, quam si tantum suam determinationem amitteret. Et si A suæ quietis aliquid amittat, sed non tantum, ut tandem cum B æquali celeritate pergat moveri, tum contrarietas horum duorum corporum non tolletur; nam A sua tarditate, quatenus illa de quiete participat (*per Coroll. Propof. 22. hujus*) celeritati B contrariabitur, ideoque B adhuc in contrariam partem reflecti debet, totamque suam determinationem et partem ipsius motûs, quem in A transtulit, amittet, quæ etiam major est mutatio, quam si solam determinatio-

nem amitteret. Mutatio igitur secundum nostram hypothefin, quoniam in sola determinatione est, minima erit, quæ in hisce corporibus dari potest, ac proinde (*per Prop. 23. hujus*) nulla alia continget. *Q. E. D.*

Notandum in demonstratione hujus Propositionis, quod idem etiam in aliis locum habet: nempe nos non citasse propof. 19. hujus, in qua demonstratur, determinationem integram mutari posse, integro nihilo minus manente ipso motu; ad quam tamen attendi debet, ut vis demonstrationis recte percipiatur. Nam in Prop. 23. hujus non dicebamus, quod variatio semper erit absolute minima, sed minima quæ dari potest. Talem autem mutationem, quæ in sola determinatione consistit, posse dari, qualem in hac demonstratione supposuimus, patet ex Propof. 18. et 19. hujus cum Coroll.

PROPOSITIO XXIX. Reg. 5.

Si corpus quiescens A (vid. Fig. propof. 30.) esset minus quam B, tum, quantumvis B tarde versus A moveretur, illud secum movebit, partem scilicet sui motus ei talem transferendo, ut ambo postea æque celeriter moveantur. (Lege Art. 50. Part. 2. Princip.)

In hac Regula etiam, ut in præc., tres tantum casus concipi possent, quibus contrarietas hæc tolleretur: nos vero demonstrabimus, quod secundum nostram hypothefin minima mutatio in hisce corporibus contingit; ideoque (*per Propof. 23. hujus*) tali modo etiam variari debent.

DEMONSTRATIO.

Secundum nostram hypothefin B transfert in A (*per Propof. 21. hujus*) minus quam dimidiam partem sui motus, et (*per Coroll. Propof. 17. hujus*) minus quam dimidiam partem suæ determinationis. Si autem B non raperet secum A, sed in contrariam partem reflecteretur, totam suam determinationem amitteret, et major contingeret variatio (*per Coroll. Propof. 26. hujus*); et multo major, si totam suam determinationem amitteret, et simul partem ipsius motus, ut in tertio casu supponitur; quare variatio secundum nostram hypothefin est minima. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXX. Reg. 6.

Si corpus A quiescens esset accuratissime æquale corpori B versus illud moto, partim ab ipso impelleretur, partim ab ipso in contrariam partem repelleretur.

Hic etiam, ut in præcedente, tantum tres casus concipi possent; adeoque demonstrandum erit, nos hic ponere minimam variationem, quæ dari potest.

DEMONSTRATIO.

Si corpus B secum corpus A rapiat, donec ambo æque celeriter



pergunt moveri, tum tantundem motûs erit in uno atque in alio (*per Propos. 22. hujus*), et (*per Coroll. Propos. 27. hujus*) dimidiam partem determinationis amittere debet, et etiam (*per Prop. 20. hujus*; dimidiam partem sui motûs. Si vero ab A in contrariam partem repellatur, tum totam suam determinationem amittet, et totum suum motum retinebit (*per Propos. 18. hujus*); quæ variatio æqualis est priori (*per Coroll. Propos. 26. hujus*). Sed neutrum horum contingere potest; nam, si A statum suum retineret, et determinationem ipsius B mutare posset, esset necessario (*per Ax. 20.*) ipso B fortius, quod esset contra hypothesin. Et si B secum raperet A, donec ambo æque celeriter moverentur, B esset fortius quam A, quod etiam est contra hypothesin. Cum igitur neutrum horum casuum locum habeat, continget ergo tertius, nempe quod B paulum impellet A et ab A repelletur. Q. E. D. Lege Art. 51. Part. 2. Princip.

PROPOSITIO XXXI. Reg. 7.

Si B et A (vid. Fig. prop. præc.) versus eandem partem moverentur, A quidem tardius, B autem illud insequens celerius, ita ut ipsum tandem attingeret, essetque A majus quam B, sed excessus celeritatis in B esset major quam excessus magnitudinis in A; tum B transferet tantum de suo motu in A, ut ambo postea æque celeriter, et in easdem partes progrediantur. Si autem econtra excessus magnitudinis in A esset major quam excessus celeritatis in B, in contrariam partem ab ipso reflecteretur, motum omnem suum retinendo.

Lege Art. 52. Part. 2. Princ. Hic iterum, ut in præced., tres tantum casus concipi possunt.

DEMONSTRATIO

Primæ partis. B in contrariam partem ab A, quo (*per Propos. 21. et 22. hujus*) fortius supponitur, reflecti non potest (*per Ax. 20.*); ergo, cum ipsum B fit fortius, movebit secum A, et quidem tali modo, ut æquali celeritate pergant moveri. Tum enim minima mutatio continget, ut ex præced. facile apparet.

Secundæ partis. B non potest A, quo minus forte (*per Propos. 21. et 22. hujus*) supponitur, impellere (*per Ax. 20.*), nec aliquid de suo motu ipsi dare; quare (*per Coroll. Propos. 14. hujus*) B totum suum motum retinebit; non versus eandem partem, supponitur enim ab A impediri; Ergo (*per illa, quæ Cap. 2. Dioptr. dicta sunt*) in contrariam partem reflectetur, suum integrum motum retinendo (*per Prop. 18. hujus*). Q. E. D.

Nota, quod hic et in præcedentibus Propositionibus tanquam demonstratum assumpsimus, omne corpus in directum alii occurrens, a quo absolute impeditur, ne ulterius eandem partem versus progrediatur, in contrariam, non vero in ullam aliam partem reflecti debere; quod ut intelligatur, lege cap. 2. Dioptr.

SCHOLIUM.

Hucusque ad mutationes corporum, quæ ex mutuo impulsu fiunt, explicandas consideravimus duo corpora, tanquam ab omnibus corporibus divisâ; nullâ nempe habitâ ratione corporum ea undequaque cingentium. Jam vero ipsorum statum et mutationes considerabimus pro ratione corporum, a quibus undequaque cinguntur.

PROPOSITIO XXXII.

Si corpus B undequaque cingatur a corpusculis motis, ipsum æquali vi versus omnes partes simul pellentibus, quamdiu nulla alia causa occurrat, in eodem loco immotum manebit.

DEMONSTRATIO.

Per se patet hæc propositio: si enim versus aliquam partem, ex impulsu corpusculorum ab una parte venientium, moveretur, corpuscula, quæ illud movent, majori vi pellerent, quam alia, quæ illud eodem tempore in contrariam partem pellunt, et suum effectum fortiri nequeunt (*per Ax. 20.*): quod esset contra hypothesin.

PROPOSITIO XXXIII.

Corpus B, iisdem ut supra positis, vi quantumvis parvâ adventitiâ, versus quamcunque partem moveri potest.

DEMONSTRATIO.

Omnia corpora B immediate tangentia, quia (*ex hyp.*) in motu sunt, et B (*per præc.*) immotum manet, statim ac ipsum B tangunt, suum integrum motum retinendo, in aliam partem reflectentur (*per Prop. 28. hujus*); adeoque corpus B continuo a corporibus, quæ illud immediate tangunt, sponte deferitur; quantumvis igitur B fingatur magnum, nulla actio requiritur ad ipsum a corporibus immediate tangentibus separandum (*per id, quod 4^o notavimus circa 8. Def.*). Quare nulla vis externa, quantumvis parva fingatur, in ipsum impingi potest, quæ non sit major vi, quam B habet ad permanendum in eodem loco (ipsum enim nullam habere vim corporibus immediate tangentibus adhærendi, jam demonstravimus), et quæ etiam, addita impulsui corpusculorum, quæ simul cum ipsa vi externa B versus eandem partem pellunt, non major sit vi aliorum corpusculorum, idem B in contrariam partem pellentium (ille enim sine vi externa huic æquali supponebatur); ergo (*per Ax. 20.*) ab hac vi externa, quantumvis exigua fingatur, corpus B versus quamcunque partem movebitur. Q. E. D.

PROPOSITIO XXXIV.

Corpus B, iisdem positis ut supra, non potest celerius moveri, quam a vi externa impulsus est, quamvis particula, a quibus cingitur, longe celerius agitentur.

DEMONSTRATIO.

Corpuscula, quæ simul cum vi externa corpus B versus eandem partem pellunt, quamvis multo celerius agitentur, quam vis externa

B movere potest; quia tamen (*per hyp.*) non majorem vim habent, quam corpora, quæ idem **B** in contrariam partem repellunt, omnes suæ determinationis vires in his tantum resistendis impendent, nec ei (*per Propos. 32. hujus*) aliquam celeritatem tribuent. Ergo, cum nullæ aliæ circumstantiæ sive causæ supponantur, **B** a nulla alia causa, præter vim externam, aliquid celeritatis accipiet, ac proinde (*per Ax. 8. Part. I.*) non poterit celerius moveri, quam a vi externa impulsus est. *Q. E. D.*

PROPOSITIO XXXV.

Cum corpus B sic ab externo impulsu movetur, maximam partem sui motus a corporibus, a quibus continuo cingitur, accipit, non autem a vi externa.

DEMONSTRATIO.

Corpus **B**, quamvis admodum magnum fingatur, impulsu, quantumvis exiguo, moveri debet (*per Propos. 33. hujus*). Concipiamus igitur **B** quadruplo majus esse corpore externo, cujus vi pellitur; cum ergo (*per Præc.*) ambo æque celeriter moveri debeant, quadruplo etiam plus motus erit in **B**, quam in corpore externo, a quo pellitur (*per Prop. 21. hujus*); quare (*per Ax. 8. Part. I.*) præcipuam partem sui motus a vi externa non habet. Et quia præter hanc nullæ aliæ causæ supponuntur, quam corpora, a quibus continuo cingitur (nam ipsum **B** ex se immotum supponitur); a solis ergo (*per Ax. 7. Part. I.*) corporibus, a quibus cingitur, præcipuam partem sui motus accipit, non autem a vi externa. *Q. E. D.*

Nota, quod hic non possumus, ut supra, dicere, quod motus particularum ab una parte venientium requiratur ad resistendum motui particularum a contraria parte venientium; nam corpora, aequali motu (ut hæc supponuntur) versus se invicem mota, sola determinatione¹, non vero motu, contraria sunt (per Coroll. Prop. 19. hujus), ideoque solam determinationem in sibi invicem resistendo impendunt, non vero

¹ Vid. Prop. 24. hujus; in ea enim duo corpora, in sibi invicem resistendo, suam determinationem, non vero motum impendere, demonstratum est.

motum; ac propterea corpus B nihil determinationis, et consequenter (per Coroll. Prop. 27. hujus) nihil celeritatis, quatenus a motu distinguitur, a corporibus circumjacentibus accipere potest. At quidem motum; imo, accedente vi adventitia, necessario ab iis moveri debet, ut in hac propositione demonstravimus, et ex modo, quo 33. prop. demonstravimus, clare videre est.


PROPOSITIO XXXVI.

Si corpus aliquod, ex. gr. manus nostra, quaquaversum æquali motu moveri posset, ita ut nullis corporibus ullo modo resistat, neque ulla alia corpora ipsi ullo modo resistant; necessario in illo spatio, per quod sic moveretur, tot corpora versus unam partem, quam versus quamcumque aliam, æquali inter se, et æquali cum manu, vi celeritatis movebuntur.

DEMONSTRATIO.

Per nullum spatium aliquod corpus moveri potest, quod non sit corporibus plenum (per Propof. 3. hujus). Dico itaque spatium, per quod manus nostra sic moveri potest, a corporibus repleri, que iisdem, quibus dixi, conditionibus movebuntur. Si enim negas, ponantur quiescere, vel alio modo moveri. Si quiescunt, necessario motui manus tamdiu resistent (per Prop. 14. hujus), donec ejus motus ipsis communicetur, ut tandem cum ipsa versus eandem partem æquali cum celeritate moveantur (per Propof. 20. hujus). Sed in hypothesi ponuntur non resistere; ergo hæc corpora moventur; *quod erat primum.*

Porro ipsa versus omnes partes moveri debent. Si enim negas, ponantur versus aliquam partem non moveri, puta ab A versus B. Si ergo manus ab A versus B moveatur, necessario corporibus motis (per primam partem hujus), et quidem secundum tuam hypothesin alia determinatione, ab ipsa manus determinatione diversa, occurret; quare ipsi resistent (per Prop. 14. hujus), donec cum ipsa manu versus eandem partem moveantur (per Prop. 24. et Schol. Propof. 27. hujus). Atqui manui (per hyp.) non resistent, ergo versus quamcumque partem movebuntur; *quod erat secundum.*



Rurfus hæc corpora æquali inter fe vi celeritatis versus quamcunque partem movebuntur. Si enim supponerentur, non æquali vi celeritatis moveri; ponantur, quæ moventur ab A versus B, non tanta vi celeritatis moveri, quam quæ ab A versus C moventur. Quare, si manus eadem illâ celeritate (æquali enim motu versus omnes partes sine resistantia moveri posse supponitur), qua corpora ab A versus C moventur, ab A versus B moveretur; corpora ab A versus B mota tamdiu manui resistant (*per Propof. 14. hujus*), donec cum manu æquali vi celeritatis moveantur (*per Propof. 31. hujus*). At hoc est contra hypothesin; ergo æquali vi celeritatis versus omnes partes movebuntur; *quod erat tertium.*

Denique, si corpora non æquali cum manu vi celeritatis moverentur, aut manus tardius vel minori vi celeritatis, aut celerius, vel majori vi celeritatis, movebatur, quam corpora. Si prius, manus resistet corporibus, ipsam versus eandem partem sequentibus (*per Propof. 31. hujus*). Si posterius, corpora, quæ manus sequitur, et quibuscum versus eandem partem movetur, ipsi resistant (*per eandem*): quod utrumque est contra hypothesin. Ergo, cum neque tardius neque celerius moveri potest manus, æquali vi celeritatis ac corpora movebitur. *Q. E. D.*

Si quæris, cur æquali vi celeritatis, non vero absolute æquali celeritate dico; lege Scholium Coroll. Prop. 27. hujus. Si deinde quæris, an manus, dum ex. gr. ab A versus B movetur, non resistat corporibus eodem tempore a B versus A æquali vi motis; lege Propof. 33. hujus, ex qua intelliges, eorum vim compensari vi corporum (hæc enim vis per 3. part. hujus Prop. illi æqualis est), quæ ab A versus B cum manu eodem tempore moventur.

PROPOSITIO XXXVII.

Si corpus aliquod, puta A, a quacumque parva vi versus quamcunque partem moveri potest, illud necessario cingitur a corporibus, quæ æquali inter se celeritate moventur.

DEMONSTRATIO.

Corpus A undequaque a corporibus cingi debet (*per Propof. 6.*

hujus), iisque versus quamcunque partem æqualiter motis. Si enim quiescerent, non a quacunque parva vi corpus A versus quamcunque partem (ut supponitur) moveri posset, sed ad minimum a tanta vi, quæ corpora, ipsum A immediate tangentia, secum movere posset (*per Ax. 20. hujus*). Deinde, si corpora, a quibus A cingitur, majori vi versus unam partem moverentur, quam versus aliam, puta a B versus C, quam a C versus B, cum undequaque a corporibus motis cingatur (*ut jamjam demonstravimus*); necessario (*per id, quod Prop. 33. demonstravimus*) corpora, a B versus C mota. A versus eandem partem secum ferrent. Adeoque non quæcunque parva vis sufficiet ad A versus B movendum, sed præcise tanta, quæ excessum motûs corporum a B versus C venientium suppleret (*per Ax. 20.*); quare æquali vi versus omnes partes moveri debent. Q. E. D.

SCHOLIUM.

Cum hæc contingant circa corpora, quæ Fluida vocantur, sequitur, corpora fluida illa esse, quæ in multas exiguas particulas, et æquali vi versus omnes partes motas, sunt divisa. Et, quamvis illæ particulæ a nullo vel lynceo oculo conspici possint, non tamen erit negandum id, quod modo clare demonstravimus. Satis enim ex antedictis Propp. 10. et 11. evincitur talis Naturæ subtilitas, quæ (ut jam sensus omittam) nulla cogitatione determinari potest aut attingi. Porro, cum etiam ex præcedentibus satis constet, quod corpora solâ suâ quiete aliis corporibus resistent, et nos in duritie, ut sensus indicant, nihil aliud percipiamus, quam quod partes corporum durorum motui manuum nostrarum resistent; clare concludimus, illa corpora, quorum omnes particulæ juxta se mutuo quiescunt, esse dura. *Lege Art. 54, 55, 56. Part. 2. Princip.*

PRINCIPIA
PHILOSOPHIÆ
MORE GEOMETRICO
DEMONSTRATA.

PARS III.

Principiis rerum naturalium universalissimis sic expositis, pergendum nunc est ad illa, quæ ex ipsis sequuntur, explicanda. Verum enimvero, quandoquidem ea, quæ ex iis principiis sequuntur, plura sunt, quam mens nostra unquam cogitatione perlustrare poterit, nec ab iis ad una potius quam alia consideranda determinemur; præcipuorum Phænomenon, quorum causas hic investigabimus, brevis historia ante omnia ob oculos ponenda est. Hanc autem habes ab Artic. 5. usque ad 15. Part. 3. Princip. Et ab Art. 20. usque ad 43. proponitur hypothesis, quam Cartesius commodissimam judicat, non tantum ad Phænomena cœli intelligenda, sed etiam ad eorum causas naturales indagandas.

Porro, cum ad Plantarum vel Hominis naturam intelligendam optima via sit, considerare, quo pacto paulatim ex seminibus nascantur et generentur; talia principia erunt excogitanda, quæ valde simplicia et cognitu facillima sunt; ex quibus, tanquam seminibus quibusdam, et sidera, et terra, et denique omnia, quæ in hoc mundo aspectabili deprehendimus, oriri potuisse demonstremus; quamvis ipsa nunquam sic orta esse probe sciamus. Hoc enim pacto eorum naturam longe melius exponemus, quam si tantum, qualia jam sunt, describeremus.

Dico, nos quærere principia simplicia et cognitu facilia; talia enim nisi sint, ipsis non indigebimus; nempe quia eâ tantum de causâ femina rebus affingemus, ut earum natura nobis facilius innotescat, et Mathematicorum more a clarissimis ad magis obscura, et a simplicissimis ad magis composita ascendamus.

Dicimus deinde, nos talia principia quærere, ex quibus et fidera, et terram, etc. oriri potuisse demonstremus. Tales enim causas, quæ tantum sufficiunt, ut passim ab Astronomis fit, ad Phænomena cœli explicanda, non quærimus; sed tales, quæ etiam ad cognitionem eorum, quæ sunt in terra (nempe quia omnia, quæ supra terram observamus contingere, inter Phænomena Naturæ recensenda iudicamus), nos ducant. Hæ autem ut inveniuntur, sequentia observanda sunt in bona Hypothesi:

I. Ut nullam (in se tantum considerata) implicet contradictionem.

II. Ut sit simplicissima, quæ dari potest.

III. Quod ex secundo sequitur, ut sit cognitu facillima.

IV. Ut omnia, quæ in tota Natura observantur, ex ipsâ deduci queant.

Diximus denique, nobis licere Hypothesin assumere, ex qua, tanquam ex causâ, Naturæ Phænomena deducere queamus; quamvis ipsâ sic orta non fuisse, probe sciamus. Quod ut intelligatur, hoc utar exemplo. Si quis in charta lineam curvam, quam Parabolam vocamus, descriptam inveniatur, et ipsius naturam investigare velit, sive is supponat, illam lineam ex Cono aliquo prius sectam, et deinde chartæ impressam, sive ex motu duarum linearum rectarum descriptam, sive aliquo alio modo ortam fuisse, perinde est; modo ex eo, quod supponit, omnes proprietates Parabolæ demonstrat. Imo, quamvis sciat, illam in charta ex impressione secti Coni ortum habuisse; poterit nihilominus ad libitum aliam causam fingere, quæ ipsi commodissima videtur, ad omnes Parabolæ proprietates explicandas. Sic etiam nobis ad delineamentâ Naturæ explicanda, hypothesin aliquam ad libitum assumere licet, modo ex ipsâ omnia Naturæ Phænomena per Mathematicas consequentias deducamus. Et, quod magis notatu dignum est, vix aliquid assumere poterimus, ex quo non idem effectus, quam-

quam fortasse operosius, per Naturæ Leges supra explicatas deduci possint. Cum enim earum Legum ope materia formas omnes, quarum est capax, successive assumat; si formas istas ordine consideremus, tandem ad illam, quæ est hujus mundi, poterimus devenire; adeo ut nihil erroris ex falsa hypothesi sit timendum.

POSTULATUM.

Petitur ut concedatur, omnem illam materiam, ex qua hic mundus aspectabilis est compositus, fuisse initio a Deo divisam in particulas, quam proxime inter se æquales; non quidem sphericas, quia plures globuli simul juncti spatium continuum non replent, sed in partes alio modo figuratas, et magnitudine mediocres, sive medias inter illas omnes, ex quibus jam cæli atque astra componuntur; easque tantundem motûs in se habuisse, quantum jam in mundo reperitur, et æqualiter fuisse motas; tum singulas circa propria sua centra, et separatim a se mutuo, ita ut corpus fluidum componerent, quale cælum esse putamus; tum etiam plures simul circa alia quædam puncta, æque a se mutuo remota, et eodem modo disposita, ac jam sunt centra fixarum; nec non etiam circa alia aliquanto plura, quæ æquent numerum Planetarum; sicque tot varios vortices componerent, quot jam astra sunt in mundo. Vide Figuram Artic. 47. Part. 3. Princip.

Hæc hypothesi in se spectata nullam implicat contradictionem; nihil enim materiæ tribuit præter divisibilitatem et motum; quas modificationes jam supra demonstravimus in materia realiter existere; et, quia materiam indefinitam, ac cæli et terræ unam eandemque, esse ostendimus, has modificationes in tota materia fuisse, sine ullius contradictionis scrupulo supponere possumus.

Est deinde hæc hypothesi simplicissima, quia nullam supponit inæqualitatem neque dissimilitudinem in particulis, in quas materia in initio fuerit divisa, neque etiam in earum motu; ex quo sequitur, hanc hypothesin etiam esse cognitu facillimam. Quod idem etiam patet ex eo, quod nihil per hanc hypothesin in materia supponitur fuisse, præter id, quod cuilibet sponte ex solo materiæ conceptu innotescit, divisibilitas nimirum ac motus localis,

Quod autem ex ipsa omnia, quæ in Natura observantur, deduci queant, re ipsa, quoad fieri potest, ostendere conabimur, idque sequenti ordine. Primo fluiditatem Cælorum ex ipsa deducemus, et, quomodo ea causa sit lucis, explicabimus. Deinde ad naturam Solis pergemus, et simul ad ea, quæ in Stellis fixis observantur. Postea de Cometis, et tandem de Planetis, eorumque Phænomenis dicemus.

DEFINITIONES.

I. Per *Eclipticam* intelligimus illam partem vorticis, quæ, dum gyrat circa axem, maximum circulum describit.

II. Per *Polos* intelligimus partes vorticis, quæ ab Ecliptica sunt remotissimæ, sive quæ minimos describunt circulos.

III. Per *Conatum ad motum* non intelligimus aliquam cogitationem, sed tantum, quod pars materiæ ita est sita et ad motum incitata, ut revera esset aliquo itura, si a nulla causa impediretur.

IV. Per *Angulum* intelligimus, quicquid in aliquo corpore ultra figuram sphericam prominet.

AXIOMATA.

I. Plures globuli simul juncti spatium continuum occupare nequeunt.

II. Materiæ portio in partes angulosas divisæ, si partes ipsius circa propria sua centra moveantur, majus spatium requirit, quam si omnes ipsius partes quiescerent, et omnia earum latera se invicem immediate tangerent.

III. Pars materiæ quo minor est, eo facilius ab eadem vi dividitur.

IV. Partes materiæ, quæ sunt in motu versus eandem partem, et a se invicem in ipso motu non recedunt, non sunt actu divisæ.

PROPOSITIO I.

Partes materiæ, in quas primo fuit divisæ, non erant rotundæ, sed angulosæ.

DEMONSTRATIO.

Materia tota in partes æquales et similes ab initio fuit divisæ

(*per Postulat.*): ergo (*per Ax. 1. et Prop. 2. Part. 2.*) non fuerunt rotundæ; atque adeo (*per Defin. 4.*) angulosæ. Q. E. D.

PROPOSITIO II.

Vis, qua effecit, ut materia particula circa propria centra moverentur, simul effecit, ut particularum angulî mutuo occurſu attererentur.

DEMONSTRATIO.

Tota materia in initio in partes æquales (*per Postulat.*) atque angulosas (*per Propof. 1. hujus*) fuit divisa. Si itaque, simulac cœperint moveri circa propria centra, angulî earum non attriti fuiffent, necessario (*per Axiom. 2.*) tota materia majus spatium occupare debuiffet, quam cum quiefcebat; atqui hoc est absurdum (*per Prop. 4. Part. 2.*); ergo earum angulî fuerunt attriti, simulac moveri cœperint. Q. E. D.

Reliqua defiderantur.

A P P E N D I X,

continens

C O G I T A T A

M E T A P H Y S I C A,


in quibus

difficiliores, quæ in Metaphysices tam parte Generali,
quam Speciali, circa Ens ejusque Affectiones, Deum ejusque
Attributa, et Mentem humanam occurrunt,
quæstiones breviter explicantur.

Auctore

BENEDICTO DE SPINOZA,

AMSTELODAMENSI.



APPENDICIS
COGITATA METAPHYSICA
CONTINENTIS

PARS I.

*In qua præcipua, quæ in parte Metaphysicæ generali, circa Ens
ejusque Affectiones vulgo occurrunt, breviter explicantur. **

CAP. I.

De Ente Reali, Fictio, et Rationis.

De definitione hujus Scientiæ nihil dico, nec etiam circa quæ
versetur; sed tantum ea, quæ obscuriora sunt, et passim ab
Authoribus in Metaphysicis tractantur, explicare hic est animus.

* In Verf. Belg. hæc adduntur: 't Eyndt en oogmerk dezès Hooftdeels is, te betoonen dat de gemeene Redenkonst en Wijsbegeerte alleenlijk maar dienen om de geheugenis te oefenen, en die te versterken; op dat wy de dingen, die swervende, en zonder orde of 't zamenhangig, door de zinnen werden vertoont, en voor zoo veel wy alleenlijk daar van door de zinnen kunnen werden aangedaan, wel onthouden; maar niet datze dienen om 't verstant te oefenen. I. e. in hac parte demonstratur, logicam et philosophiam quæ vulgo ferantur, rebus disponendis et memoria tenendis, non autem intelligendis infervire.

Entis definitio. Incipiamus igitur ab Ente, per quod intelligo *Id omne, quod, cum clare et distincte percipitur, necessario existere, vel ad minimum posse existere, reperimus.*

Chimaram, Ens fictum, et Ens Rationis non esse entia. Ex hac autem definitione, vel si mavis descriptione, sequitur, quod *Chimera, Ens fictum, et Ens Rationis* nullo modo ad entia revocari possint. Nam *Chimera*¹ ex sua natura existere nequit. *Ens vero fictum* clarum et distinctam perceptionem secludit; quia homo ex sola mera libertate, et non, ut in falsis, insciens, sed prudens et sciens connectit, quæ connectere, et disjungit, quæ disjungere vult. *Ens denique Rationis* nihil est præter modum cogitandi, qui inservit ad res intellectas facilius *retinendas, explicandas, atque imaginandas.* Ubi notandum, quod per modum cogitandi intelligimus id, quod jam Schol. Propof. 4. part. I. explicuimus, nempe omnes cogitationis affectiones, videlicet intellectum, lætitiã, imaginationem, etc.

Quibus cogitandi modis res retineamus. Quod autem dentur quidam modi cogitandi, qui inserviunt ad res firmius atque facilius *retinendas*, et ad ipsas, quando volumus, in mentem revocandas, aut menti præsentibus sistendas, satis constat iis, qui notissima illa regula Memoriae utuntur: qua nempe ad rem novissimam retinendam et memoriæ imprimendam ad aliam nobis familiarem recurritur, quæ vel nomine tenus vel re ipsa cum hac conveniat. Hunc similiter in modum Philosophi res omnes naturales ad certas classes reduxerunt, ad quas recurrunt, ubi aliquid novi ipsis occurrit, quas vocant *genus, species*, etc.

Quibus cogitandi modis res explicemus. Ad rem deinde *explicandam* etiam modos cogitandi habemus, determinando scilicet eam per comparisonem ad aliam. Modi cogitandi, quibus id efficimus, vocantur *tempus, numerus, mensura*, et si quæ adhuc alia sunt. Horum autem tempus inservit durationi explicandæ, numerus quantitati discretæ, mensura quantitati continuæ.

Quibus cogitandi modis res imaginemur. Denique, cum assueti sumus omnium, quæ intelligimus, etiam imagines aliquas in nostra phantasia depingere; fit, ut non-entia positive, instar entium, *imaginemur.* Nam

¹ Nota, quod nomine Chimæræ hic et in seqq. intelligatur id, cujus natura apertam involvit contradictionem, ut fusius explicatur Cap. 3.

mens in se sola spectata, cum sit res cogitans, non majorem habet potentiam ad affirmandum quam ad negandum; imaginari vero cum nihil aliud sit, quam ea, quæ in cerebro reperiuntur a motu spirituum, qui in sensibus ab objectis excitatur, vestigia sentire, talis sensatio non nisi confusa affirmatio esse potest. Atque hinc fit, ut omnes modos, quibus mens utitur ad negandum, quales sunt *cæcitas, extremitas* sive *finis, terminus, tenebræ*, etc., tanquam entia imaginemur.

Unde clare patet, hos modos cogitandi non esse ideas rerum, nec ullo modo ad ideas revocari posse; quare etiam nullum habent ideatum, quod necessario existit, aut existere potest. Causa autem, ob quam hi modi cogitandi pro ideis rerum habentur, est, quia ab ideis entium realium tam immediate proficiuntur et oriuntur, ut facillime cum ipsis ab iis, qui non accuratissime attendunt, confundantur; unde etiam nomina ipsis imposuerunt, tanquam ad significandum entia extra mentem nostram existentia, quæ Entia, sive potius Non-entia, Entia Rationis vocaverunt.

Entia Rationis cur non sint Idea rerum, et tamen pro iis habeantur.

Hincque facile videre est, quam inepta sit illa divisio, qua dividitur Ens in ens Reale et ens Rationis; dividunt enim Ens in Ens et Non-ens, aut in Ens et modum Cogitandi. Attamen non miror, Philosophos verbales sive grammaticales in similes errores incidere: res enim ex nominibus judicant, non autem nomina ex rebus.

Male dividi Ens in Reale et Rationis.

Nec minus inepte loquitur, qui ait, Ens Rationis non esse merum Nihil. Nam si id, quod istis nominibus significatur, extra intellectum quærit, merum Nihil esse reperiet; si autem ipsos modos cogitandi intelligit, vera entia Realia sunt. Nam cum rogo, quid sit *species*, nihil aliud quæro, quam naturam istius modi cogitandi, qui revera est Ens, et ab alio modo cogitandi distinguitur; verum hi modi cogitandi ideæ vocari non possunt, neque veri aut falsi possunt dici, sicut etiam amor non potest verus aut falsus vocari, sed bonus aut malus. Sic Plato, cum dixit, hominem esse animal bipes sine plumis, non magis erravit, quam qui dixerunt, hominem esse animal rationale. Nam Plato non minus cognovit, hominem esse animal rationale, quam cæteri

Ens Rationis quomodo dici possit merum Nihil, et quomodo Ens Reale.

cognoscunt; verum ille hominem revocavit ad certam classẽ, ut quando vellet de homine cogitare, ad illam classẽ recurrendo, cujus facile recordari potuerat, statim in cogitationem hominis incidere. Imo Aristoteles gravissime erravit, si putavit se illa sua definitione humanam essentiam adæquate explicuisse; an vero Plato bene fecerit, tantum quæri possit. Sed hæc non sunt hujus loci.

In Rerum investigatione entia Realia cum entibus Rationis non confundenda. Ex omnibus supradictis inter ens Reale et entis Rationis Ideata nullam dari convenientiam apparet. Unde etiam facile videre est, quam sedulo sit cavendum in investigatione rerum, ne entia Realia cum entibus Rationis confundamus. Aliud enim est inquirere in rerum naturam, aliud in modos, quibus res a nobis percipiuntur. Hæc vero si confundantur, neque modos percipiendi, neque naturam ipsam intelligere poterimus; imo vero, quod maximum est, in causa erit, quod in magnos errores incidemus, quemadmodum multis hucusque contigit.

Quomodo Ens Rationis et Ens Fictum distinguantur. Notandum etiam, quod multi confundunt ens Rationis cum ente Fictio; putant enim ens Fictum etiam esse ens Rationis, quia nullam extra mentem habet existentiam. Sed si ad entis Rationis et entis Ficti definitiones modo traditas recte attendatur, reperietur inter ipsa, tum ex ratione causæ, tum etiam ex eorum natura, absque respectu causæ, magna differentia. Ens Fictum enim nihil aliud esse diximus, quam duos *terminos* connexos ex sola mera voluntate sine ullo ductu Rationis; unde ens Fictum casu potest esse verum. Ens vero Rationis nec a sola voluntate dependet, nec ullis *terminis* inter se connexis constat, ut ex definitione satis sit manifestum. Si quis igitur roget, an ens Fictum ens Reale sit, an vero ens Rationis, tantum repetendum atque relegendum est id, quod jam diximus, nempe male dividi Ens in ens Reale et ens Rationis; ideoque malo fundamento quæritur, an ens Fictum ens Reale sit, an vero Rationis: supponitur enim omne Ens dividi in ens Reale et Rationis.

Entis divisio. Sed ad nostrum propositum revertamur, a quo videmur utcunque jam deflexisse. Ex Entis definitione, vel si mavis descriptione, jam tradita facile videre est, quod Ens dividendum

fit in ens, quod sua natura *necessario* existit, sive cujus essentia involvit existentiam, et in ens, cujus essentia non involvit existentiam nisi *possibilem*. Hoc ultimum dividitur in Substantiam et Modum, quorum definitiones part. 1. Art. 51. 52. et 56. Princ. Philos. traduntur; quare non necesse est eas hic repetere. Sed tantum notari volo circa hanc divisionem, quod expresse dicimus, Ens dividi in Substantiam et Modum, non vero in Substantiam et Accidens: nam Accidens nihil est præter modum cogitandi; utpote quod solummodo respectum denotat. Ex. grat. cum dico, triangulum moveri, motus non est trianguli modus, sed corporis quod movetur; unde motus respectu trianguli Accidens vocatur, respectu vero corporis est sive ens reale, sive Modus: non enim potest motus concipi sine corpore, at quidem sine triangulo.

Porro, ut jam dicta, et etiam quæ sequuntur, melius intelligantur, explicare conabimur, quid per *esse essentia*, *esse existentia*, *esse idea*, ac denique *esse potentia* intelligendum sit. Quo etiam nos movet quorundam ignorantia, qui nullam distinctionem agnoscunt inter essentiam et existentiam, vel, si agnoscunt, *esse essentia* cum *esse idea* vel *esse potentia* confundunt. Ut his igitur et rei ipsi satisfaciamus, rem, quam distincte poterimus, in sequentibus explicabimus.

CAP. II.

Quid sit esse Essentia, quid esse Existentia, quid esse Idea, quid esse Potentia.

Ut clare percipiatur, quid per hæc quatuor intelligendum sit, tantum necesse est, ut nobis ob oculos ponamus ea, quæ de substantia increata, sive de Deo, diximus; nempe

1°. Deum eminenter continere id quod formaliter in rebus creatis reperitur; hoc est, Deum talia attributa habere, quibus omnia creata eminentiori modo continentur; *vide Part. 1. Axiom. 8. et Coroll. 1. Prop. 12.* Ex. gr. extensionem clare concipimus sine ulla existentia, ideoque, cum per se nullam habeat vim existendi, a Deo creatam esse demonstravimus (*Prop. ultima part. 1.*). Et, quia in causa tantundem perfectionis ad minimum debet esse, quantum est in effectu, sequitur, omnes per-

*Creaturas
in Deo esse
eminenter.*

fectiones extensionis Deo ineffe. Sed, quia postea rem extensam ex sua natura divisibilem esse videbamus, hoc est, imperfectionem continere, ideo Deo extensionem tribuere non potuimus (*part. 1. Propos. 16.*), adeoque fateri cogebamur, Deo aliquod attributum ineffe, quod omnes materiæ perfectiones excellentiori modo continet (*Schol Prop. 9. part. 1.*), quodque vices materiæ supplere potest.

2°. Deum seipsum atque omnia alia intelligere; hoc est, omnia objective etiam in se habere (*part. 1. Prop. 9.*).

3°. Deum esse omnium rerum causam, eumque ex absoluta libertate voluntatis operari.

Quid sit esse essentia, existentia, idea, ac potentia. Ex his itaque clare videre est, quid per illa quatuor intelligendum sit. Primum enim, *esse* scilicet *Essentia*. nihil aliud est quam modus ille, quo res creatæ in attributis Dei comprehenduntur; *esse* deinde *Idea* dicitur, prout omnia objective in idea Dei continentur; *esse* porro *Potentia* dicitur tantum respectu potentiæ Dei, qua omnia nondum adhuc existentia ex absoluta libertate voluntatis creare potuerat; *esse* denique *Existentia* est ipsa rerum essentia extra Deum, et in se considerata. tribuiturque rebus postquam a Deo creatæ sunt.

Hæc quatuor a se invicem non distinguuntur, nisi in creaturis. Ex quibus clare apparet, hæc quatuor non distinguuntur inter se, nisi in rebus creatis; in Deo vero nullo modo. Deum enim non concipimus fuisse potentiâ in alio, et ejus existentia ejusque intellectus ab ejus essentia non distinguuntur.

Ad quæstiones quasdam de Essentia respondetur. Ex his facile ad quæstiones, quæ passim de essentia circumferuntur, respondere possumus. Quæstiones autem hæc sunt sequentes: *an essentia distinguatur ab existentia; et, si distinguatur, an sit aliquid diversum ab idea; et, si aliquid diversum ab idea sit, an habeat aliquod esse extra intellectum;* quod postremum sane necessario fatendum est. Ad primam autem sub distinctione respondemus, quod essentia in Deo non distinguatur ab existentia, quandoquidem sine hac illa non potest concipi; in cæteris autem essentia differt ab existentia: potest nimirum sine hac concipi. Ad secundam vero dicimus, quod res, quæ extra intellectum clare

et distincte, five vere concipitur, aliquid diversum ab idea fit. Sed denuo quæritur, *an illud esse extra intellectum sit a se ipso, an vero a Deo creatum*. Ad quod respondemus, essentiam formalem non esse a se, nec etiam creatam; hæc duo enim supponerent, rem actu existere; sed a sola essentia divina pendere, in qua omnia continentur; adeoque hoc sensu iis assentimur, qui dicunt essentias rerum æternas esse. Quæri adhuc posset, *quomodo nos, nondum intellectæ naturæ Dei, rerum essentias intelligamus*; cum illæ, ut modo diximus, a sola Dei natura pendeant. Ad hoc dico, id ex eo oriri quod res jam creatæ sunt: si enim non essent creatæ, profus concederem, id impossibile fore, nisi post naturæ Dei adæquatam cognitionem; eodem modo ac impossibile est, imo magis impossibile, quam, ex nondum nota natura Parabolæ, naturam ejus ordinatim applicatarum noscere.

Porro notandum, quod, quamvis essentiæ modorum non existentium in illorum substantiis comprehendantur, et eorum *esse essentiæ* in illorum substantiis sit, nos tamen ad Deum recurrere volumus, ut generaliter essentiam modorum et substantiarum explicaremus, et etiam, quia essentia modorum non fuit in illorum substantiis, nisi post earum creationem, et nos *esse essentiarum* æternum quærebamus.

Cur auctor in definitione essentiæ ad Dei attributa recurrit.

Ad hæc non puto operæ pretium esse, hic Authores, qui diversum a nobis sentiunt, refutare, nec etiam eorum definitiones aut descriptiones de essentia et existentia examinare: nam hoc modo rem claram obscuriorem redderemus. Quid enim magis clarum, quam, quid sit essentia et existentia, intelligere; quandoquidem nullam definitionem alicujus rei dare possumus, quin simul ejus essentiam explicemus.

Cur aliorum definitiones non recensuit.

Denique, si quis Philosophus adhuc dubitet, an essentia ab existentia distinguatur in rebus creatis, non est quod multum de definitionibus essentiæ et existentiae laboret, ut istud dubium tollatur; si enim tantum adeat statuarium aliquem aut fabrum lignarium, illi ipsi ostendent, quomodo statuam nondum existentem certo ordine concipiant, et postea eam ipsi existentem præbebunt.

Quomodo distinctio inter essentiam et existentiam facile addiscatur.

CAP. III.

De eo, quod est Necessarium, Impossibile, Possibile, et Contingens.

Quid hic per affectiones intelligendum sit. Naturâ entis, quatenus ens est, sic explicatâ, ad alias per *affectiones* explicandas transimus; ubi notandum venit, quod per *affectiones* hic intelligimus id, quod alias per *attributa* denotavit Cartesius in part. I. Princ. Philos. art. 52. Nam Ens, quatenus ens est, per se solum, ut substantia, nos non afficit; quare per aliquod attributum explicandum est, a quo tamen non nisi Ratione distinguitur. Unde non satis mirari possum illorum ingenia subtilissima, qui medium quæsierunt, non sine magno detrimento veritatis, inter Ens et Nihil. Sed in eorum errorem refutando non morabor, quandoquidem ipsi, ubi talium affectionum definitiones tradere moliantur, in vana sua subtilitate profus evanescent.

Affectionum definitio. Nos igitur rem nostram agemus, dicimusque *Entis affectiones esse quædam attributa, sub quibus uniuscujusque essentiam vel existentiam intelligimus, a qua tamen non nisi Ratione distinguuntur.* De his quasdam (non enim omnes pertractare mihi assumo) hic explicare, et a denominationibus, quæ nullius entis sunt affectiones, separare conabor. Ac primo quidem agam de eo, quod est *necessarium et impossibile.*

Quot modis res dicatur necessaria et impossibilis. Duobus modis res dicitur necessaria et impossibilis: vel respectu suæ essentia, vel respectu causæ. Respectu essentia Deum necessario existere novimus; nam ejus essentia non potest concipi sine existentia: Chimæra vero respectu implicantiæ suæ essentia non potis est, ut existat. Respectu causæ dicuntur res, e. g. materiales, esse impossibiles aut necessariae: nam si tantum ad earum essentiam respicimus, illam concipere possumus clare et distincte sine existentia; quapropter nunquam existere possunt vi et necessitate essentia, sed tantum vi causæ, Dei nempe omnium rerum creatoris. Si itaque in decreto divino est, ut res aliqua existat, necessario existet; sin minus, impossibile erit ut existat. Nam per se manifestum est, id quod nullam causam, internam scilicet aut externam, habet ad existendum, impossibile esse ut existat: atqui res in hac secunda hypothesi ponitur talis, ut neque vi suæ essentia, quam

per causam internam intelligo, neque vi decreti divini, unicæ omnium rerum causæ externæ, existere possit; unde sequitur, res, ut in sec. hyp. a nobis statuuntur, impossibiles esse ut existant.

Ubi notandum venit, 1°. Chimæram, quia neque in intellectu est neque in imaginatione, a nobis ens Verbale commode vocari posse; nam ea non nisi verbis exprimi potest. Ex. gr. Circulum quadratum verbis quidem exprimimus, imaginari autem nullo modo, et multo minus intelligere possumus. Quapropter Chimæra præter verbum nihil est, ideoque Impossibilitas inter affectiones entis numerari non potest: est enim mera negatio.

*Chimæram
commode ens
Verbale
vocari.*

2°. notandum venit, quod non tantum rerum creatarum existentia, verum etiam, ut infra in sec. part. evidentissime demonstrabimus, earum essentia et natura a solo Dei decreto dependet. Ex quo clare sequitur, res creatas nullam ex se ipsis habere necessitatem: nempe ipsas nullam habent essentiam, nec a se ipsis existunt.

*Res creatas, quoad
essentiam et
existentiam,
a Deo
dependere.*

3°. denique notandum est quod necessitas, qualis vi causæ in rebus creatis est, dicatur vel respectu earum essentia, vel respectu earum existentia; nam hæc duo in rebus creatis distinguuntur. Illa enim a legibus Naturæ æternis dependet, hæc vero a serie et ordine causarum. Verum in Deo, cujus essentia ab illius existentia non distinguitur, essentia necessitas etiam non distinguitur a necessitate existentia; unde sequitur, quod, si totum ordinem Naturæ conciperemus, inveniremus, quod multa, quorum naturam clare et distincte percipimus, hoc est, quorum essentia necessario talis est, nullo modo possent existere; nam tales res in Natura existere æque impossibile reperiremus, ac jam cognoscimus impossibile esse, ut magnus elephantus in acûs foramine recipi possit; quamvis utriusque naturam clare percipiamus. Unde existentia illarum rerum non esset, nisi Chimæra, quam neque imaginari neque intelligere possemus.

*Necessitatem, que in
rebus creatis
a causa est,
esse vel
essentiam vel
existentiam;
at hæc duo
in Deo non
distingui.*

Atque hæc de necessitate et impossibilitate, quibus pauca de *possibili* et *contingente* visum est adjungere; nam hæc duo a nonnullis pro rerum affectionibus habentur, cum tamen revera nihil aliud sint, quam defectus

*Possibile et
contingens
non esse rerum
affectiones.*

noſtri intellectus. Quod clare oſtendam, poſtquam explicavero, quid per hæc duo intelligendum ſit.

*Quid ſit
poſſibile, quid
contingens.* *Res poſſibilis itaque dicitur, cum ejus cauſam efficientem quidem intelligimus, attamen an cauſam determinata ſit, ignoramus.* Unde etiam ipſam ut poſſibilem, non vero neque ut neceſſariam neque ut impoſſibilem conſiderare poſſumus. Si autem *ad rei eſſentiam ſimpliciter, non vero ad ejus cauſam attendamus, illam contingentem dicemus*; hoc eſt, illam ut medium inter Deum et Chimæram, ut ſic loquar, conſiderabimus, nempe quia ex parte eſſentiæ nullam in ipſa reperimus neceſſitatem exiſtendi, ut in eſſentia divina, neque etiam implicantiã ſive impoſſibilitatem, ut in Chimæra. Quod ſi quis id, quod ego *poſſibile* voco, *contingens*, et contra id, quod ego *contingens*, *poſſibile* vocare velit, non ipſi contradicam; neque enim de nominibus diſputare ſoleo. Sat erit, ſi nobis concedat, hæc duo non niſi defectus noſtræ perceptionis, nec aliquid reale eſſe.

*Poſſibile et
Contingens
eſſe tantum
defectus
noſtri intel-
lectus.* Si quis autem id ipſum negare velit, illi ſuus error nullo negotio demonſtratur. Si enim ad Naturam attendat, et quomodo ipſa a Deo dependet, nullum *contingens* in rebus eſſe reperiet, hoc eſt, quod ex parte rei poſſit exiſtere et non exiſtere, ſive, ut vulgo dicitur, *contingens reale* ſit; quod facile apparet ex eo, quod Ax. 10. part. 1. docuimus: tantam ſcilicet vim requiri ad rem creandam, quam ad ipſam conſervandam. Quare nulla res creata propriã vi aliquid facit, eodem modo ac nulla res creata ſuã propriã vi incepit exiſtere. Ex quo ſequitur, nihil fieri, niſi vi cauſæ omnia creantis, ſcilicet Dei, qui ſuo concurſu ſingulis momentis omnia procreat. Cum autem nihil fiat, niſi a ſola divina potentia, facile eſt videre, ea, quæ ſiunt, vi decreti Dei ejuſque voluntatis fieri *. At, cum in Deo nulla

* Verſ. Belg. in margine: *Op dat dit bewijs wel gevat werde, moet men letten op 't geen in 't tweede deel dezes aanhangzels ontrent de wil Ghodts is aangetekent: namelijk dat Ghodts wil, of beſtendich beſluit, alſdan eerſt wert verſtaan, als wy de zaak klaar en onderscheidelijk begriÿpen; want de wezendheit van de zaak, in zich aangemerkt, is niet anders als 't beſluit Ghodts, of zijn aſbepaalde wil. Maer wy zeggen ook, dat de nootzaaklijk-*

fit inconstantia nec mutatio (*per Prop. 18. et Coroll. Prop. 20. part. I.*), illa, quæ jam producit, se producturum ab æterno decrevisse debuit; cumque nihil magis necessarium sit ut existat, quam quod Deus exstiturum decrevit, sequitur, necessitatem existendi in omnibus rebus creatis ab æterno fuisse. Nec dicere possumus, illas esse contingentes, quia Deus aliud decrevisse potuit; nam, cum in æternitate non detur *quando*, nec *ante*, nec *post*, neque ulla affectio temporis, sequitur, Deum nunquam ante illa decreta exstitisse, ut aliud decernere posset.

Quod vero attinet ad libertatem humanæ voluntatis, quam liberam esse diximus (*Schol. Propof. 15. part. I.*), illa etiam a Dei concursu conservatur, nec ullus homo aliquid vult aut operatur, nisi id, quod Deus ab æterno decrevit, ut vellet et operaretur. Quomodo autem id fieri possit, servatâ humanâ libertate, captum nostrum excedit; neque ideo, quod clare percipimus, propter id, quod ignoramus, erit rejiciendum; clare enim et distincte intelligimus, si ad nostram naturam attendamus, nos in nostris actionibus esse liberos, et de multis deliberare propter id solum, quod volumus; si etiam ad Dei naturam attendamus, ut modo ostendimus, clare et distincte percipimus, omnia ab ipso pendere, nihilque existere, nisi quod ab æterno a Deo decretum est, ut existat. Quomodo autem humana voluntas a Deo singulis momentis procreetur tali modo, ut libera maneat, id ignoramus; multa enim sunt, quæ nostrum captum excedunt, et tamen a Deo scimus facta esse, uti ex. gr. est illa realis divisio materiæ in indefinitas particulas fatis evidenter a nobis demonstrata

Conciliationem libertatis nostri arbitrii, et prædestinationis Dei, humanum captum superare.

heit van wezendlyk te zyn, niet verschilt van de nootzaaklykheit van wezenheit (hoofid. 9. deel 2.); dat is, als wy zeggen, dat Ghodt beslooten heeft, dat de driehoek zyn zal, zoo willen wy niet anders zeggen, als dat Ghodt d'orde van de Natuir en van d'oorzaken alzoo geschickt heeft, dat op zulk een tyt de driehoek nootzaaklyk zyn zoud; zoo dat, indien wy d'orde der oorzaken, zoodanich als ze van Ghodt geyesticht is, verstonden, wy zoude bevinden dat de driehoek op zulk een tyt wezendlyk zyn moest, met de zelve nootzaaklykheit als wy nu bevinden, wanneer wy op des zelfs natuer letten, dat zyn drie hoeken gelyk zyn met twee rechte. Intellige, eadem prorsus necessitate rerum existentiam atque essentiam a divina potentia proficisci,

(in *Sec. Pars. Propos. II.*), quamvis ignoremus, quomodo divisio illa fiat. Nota, quod hic pro re nota supponimus, has duas notiones, *possibile* nempe et *contingens*, tantum defectum cognitionis nostræ circa rei existentiam significare.

CAP. IV.

De Duratione et Tempore.

Ex eo, quod supra divisimus Ens in ens, cujus essentia involvit existentiam, et in ens, cujus essentia non involvit nisi possibilem existentiam, oritur distinctio inter æternitatem et durationem. De *æternitate* infra fufius loquemur. Hic tantum dicimus eam esse *æ-*

Quid sit tributum, sub quo infinitam Dei existentiam concipimus.
Æternitas. Duratio vero est attributum, sub quo rerum creatarum

Quid Dur- existentiam, prout in sua actualitate perseverant, concipi-
ratio. mus. Ex quibus clare sequitur, durationem a tota ali-

cujus rei existentia non nisi Ratione distingui. Quantum enim durationi alicujus rei detrahis, tantundem ejus existentia detrahi necesse est. Hæc autem ut determinetur, comparamus illam cum duratione illarum rerum, quæ certum et determinatum habent motum, hæcque

Quid Tempus. comparatio tempus vocatur. Quare tempus non est affectio rerum, sed tantum merus modus cogitandi, sive, ut jam diximus, ens Rationis; est enim modus cogitandi durationi explicandæ inserviens. Notandum hic in duratione, quod postea usum habebit, quando de æternitate loquemur, videlicet, quod major et minor concipiatur, et quasi ex partibus componi, et deinde quod tantum sit attributum existentia, non vero essentia.

CAP. V.

De Oppositione, Ordine, etc.

Ex eo, quod res inter se comparamus, quædam oriuntur notiones, quæ tamen extra res ipsas nihil sunt nisi cogitandi modi. Quod inde apparet, quia, si ipsas ut res extra cogitationem positas considerare velimus, clarum, quem alias de ipsis habemus conceptum, statim confusum reddimus. Notiones vero tales hæ sunt, videlicet *Oppo-*

fitio, Ordo, Convenientia, Diversitas, Subiectum, Adjunctum, et si quæ adhuc alia his similia sunt. Hæ, inquam, a nobis satis clare percipiuntur, quatenus ipsas non, ut quid ab essentiis rerum oppositarum, ordinarum, etc. diversum, concipimus, sed tantum ut modos cogitandi, quibus res ipsas facilius vel retinemus vel imaginamur. Quare de his fusius loqui non necesse esse iudico, sed ad terminos vulgo transcendentales dictos transeo.

*Quid sunt
Oppositio,
Ordo, Conve-
nientia, Di-
versitas,
Subiectum,
Adjunctum,
etc.*

CAP. VI.

De Uno, Vero, et Bono.

Hi termini ab omnibus fere Metaphysicis pro generalissimis Entis Affectionibus habentur; dicunt enim, omne Ens esse Unum, Verum, et Bonum, quamvis nemo de iis cogitet. Verum quid de his intelligendum sit, videbimus, ubi seorsim unumquemque horum terminorum examinaverimus.

Incipiamus itaque a primo, scilicet *Uno*. Hunc terminum dicunt significare aliquid reale extra intellectum; verum, quidnam hoc enti addat, nesciunt explicare; quod satis ostendit, illos entia Rationis cum ente Reali confundere, quo efficiunt, ut id, quod clare intelligunt, confusum reddant. Nos autem dicimus, *Unitatem* a re ipsa nullo modo distingui, vel enti nihil addere; sed tantum modum cogitandi esse, quo rem ab aliis separamus, quæ ipsi similes sunt, vel cum ipsa aliquo modo conveniunt.

*Quid sit
Unitas.*

Unitati vero opponitur *multitudo*, quæ sane rebus etiam nihil addit, nec aliquid præter modum cogitandi est, quemadmodum clare et distincte intelligimus. Nec video, quid circa rem claram amplius dicendum restat; sed tantum hic notandum est, *Deum*, quatenus ab aliis entibus eum separamus, posse dici *unum*; verum, quatenus concipimus ejusdem naturæ plures esse non posse, *unicum* vocari. At vero, si rem accuratius examinare vellemus, possemus forte ostendere, Deum non nisi improprie unum et unicum vocari; sed res non est tanti, imo nullius momenti iis, qui de rebus, non vero de nominibus sunt solliciti. Quare hoc relicto ad secundum transimus, et eadem opera, quid sit falsum, dicemus.

*Quid sit
Multitudo, et
quo respectu
Deus dici
possit unus,
et quo
respectu
unicus.*

Quid sit Verum, quid Falsum, tam apud vulgum quam apud Philosophos. Ut autem hæc duo, *verum* scilicet et *falsum*, rectè percipiantur, a verborum significatione incipiemus, ex qua apparebit, ea non nisi rerum denominationes extrinsecas esse, neque rebus tribui nisi rhetorice. Sed quia vulgus vocabula primum invenit, quæ postea a Philosophis usurpantur, ideo e re esse videtur illius, qui primam significationem alicujus vocabuli quærit, quid primum apud vulgum denotarit, inquirere; præcipue ubi aliæ causæ deficiunt, quæ ex linguæ natura depromi possent ad eam investigandam. Prima igitur *veri et falsi* significatio ortum videtur duxisse a narrationibus; eaque narratio vera dicta fuisse, quæ erat facti, quod revera contigerat; falsa vero, quæ erat facti, quod nullibi contigerat. Atque hanc Philosophi postea usurparunt ad denotandam convenientiam ideæ cum suo ideato, et contra; quare Idea Vera dicitur illa, quæ nobis ostendit rem, ut in se est; Falsa vero, quæ nobis ostendit rem aliter, quam revera est. Ideæ enim nihil aliud sunt, quam narrationes sive historię naturæ mentales. Atque hinc postea metaphorice translata est ad res mutas; ut cum dicimus verum aut falsum aurum, quasi aurum nobis repræsentatum aliquid de seipso narret, quod in se est, aut non est.

Verum non esse terminum transcendentem. Quocirca plane decepti sunt, qui *verum* terminum transcendentalem sive Entis affectionem judicarunt. Nam de rebus ipsis non nisi improprie, vel si mavis rhetorice, dici potest.

Veritas et vera idea quomodo differant. Si porro quæras, quid sit veritas præter veram ideam, quære etiam, quid sit albedo præter corpus album; eodem enim modo se habent ad invicem.

De causa veri et de causa falsi jam antea egimus; quare hic nihil restat notandum, nec etiam quæ diximus operæ pretium fuisset notare, si scriptores in similibus nugis non adeo se intricassent, ut postea se extricare nequiverint, nodum passim in scirpo quærentes.

Quanam sint Proprietates Veritatis? Certitudinem non esse in rebus. Proprietates vero veritatis aut ideæ veræ sunt, 1. Quod sit clara et distincta; 2. Quod omne dubium tollat, sive uno verbo, quod sit certa. Qui quærent certitudinem in rebus ipsis, eodem modo falluntur, ac cum in iis quærent veritatem; et quamvis dicamus, *res in incerto est*, rhetorice

sumimus ideatum pro idea, quomodo etiam *rem* dicimus *dubiam*; nisi forte quod tum per incertitudinem contingentiam intelligamus, vel *rem*, quæ nobis incertitudinem aut dubium injicit. Neque opus est circa hæc diutius morari; quare ad tertium pergemus, et simul, quid per ejus contrarium intelligendum sit, explicabimus.

Res sola considerata neque *bona* dicitur neque *mala*, sed tantum respectively ad aliam, cui conducit ad id, quod amat, acquirendum, vel contra: ideoque unaquæque res, diverso respectu eodemque tempore, bona et mala potest dici. Sic consilium e. g. Achitophelis Abfaloni datum bonum in Sacris Litteris vocatur; pessimum tamen erat Davidi, cujus interitum moliebatur. Sed multa alia sunt bona, quæ non omnibus bona sunt; sic salus bona est hominibus, non vero neque bona neque mala brutis aut plantis, ad quas nullum habet respectum. Deus vero dicitur summe bonus, quia omnibus conducit; nempe uniuscujusque esse, quo nihil magis amabile, suo concursu conservando. Malum autem absolutum nullum datur, ut per se est manifestum.

Bonum et malum tantum dici respectively.

Qui autem bonum aliquod Metaphysicum quæritant, quod omni careat respectu, falso aliquo præjudicio laborant; nempe quod distinctionem Rationis cum distinctione Reali vel Modali confundant. Distinguunt enim inter *rem ipsam* et *conatum*, qui in unaquæque re est ad suum esse conservandum, quamvis nesciant, quid per conatum intelligant. Hæc enim duo, quamvis Ratione seu potius verbis distinguantur, quod maxime ipsos deceptit, nullo modo reipsa inter se distinguuntur.

Quare aliqui bonum Metaphysicum statuerunt.

Quod ut clare intelligatur, exemplum alicujus rei simplicissimæ ob oculos ponemus. Motus habet vim in suo statu perseverandi; hæc vis profecto nihil aliud est, quam motus ipse, hoc est, quod natura motus talis sit. Si enim dicam, in hoc corpore A nihil aliud esse, quam certam quantitatem motus, hinc clare sequitur, quamdiu ad illud corpus A attendo, me semper debere dicere, illud corpus moveri. Si enim dicerem, illud suam vim movendi ex se amittere, necessario ipsi aliquid aliud tribuo præter id, quod in hypothesi supposuimus, per quod suam naturam amittit. Quod si vero hæc ratio

Res et conatus, quo res in statu suo perseverare conatur, quomodo distinguantur.

obscurius videatur, age concedamus, illum conatum se movendi aliquid esse præter ipsas leges et naturam motûs; cum igitur hunc conatum esse bonum metaphysicum supponas, necessario hic etiam conatus conatum habebit in suo esse perseverandi, et hic iterum alium, et sic in infinitum, quo magis absurdum nescio quid fingi possit. Ratio autem, cur illi conatum rei a re ipsa distinguunt, est, quia in se ipsis reperiunt desiderium se conservandi, et tale in unaquaque re imaginantur.

An Deus ante res creatas dici possit bonus. Quæritur tamen, an Deus, antequam res creasset, dici posset bonus; ex nostra definitione videtur sequi, Deum tale attributum non habuisse, quia dicimus, rem, si in se sola consideratur, neque bonam, neque malam posse dici. Hoc autem multis absurdum videbitur; sed, qua ratione, nescio; multa enim hujus notæ attributa Deo tribuimus, quæ, antequam res crearentur, ipsi non competebant, nisi potentiâ, ut cum vocatur creator, judex, misericors, etc. Quare similia argumenta moram nobis injicere non debent.

Perfectum quomodo dicitur re- spectiva, quomodo absolute. Porro, uti bonum et malum non dicitur nisi respective, sic etiam perfectio, nisi quando perfectionem sumimus pro ipsa rei essentia, quo sensu antea diximus, Deum infinitam perfectionem habere, hoc est, infinitam essentiam, seu infinitum esse.

Plura his addere non est animus; reliqua enim, quæ ad partem generalem Metaphysices spectant, fatis nota esse existimo: adeoque operæ pretium non esse, ea ulterius persequi.

APPENDICIS
COGITATA METAPHYSICA
CONTINENTIS

PARS II,

*in qua præcipua, quæ in parte Metaphysices
speciali circa Deum ejusque Attributa, et Mentem humanam,
vulgo occurrunt, breviter explicantur. **

CAP. I.

De Dei Æternitate.

Jam antea docuimus, in Rerum Natura præter substan- *Substantia-*
tias earumque modos nihil dari; quare non erit hic *rum diviso.*
expectandum, ut aliquid de formis substantialibus et realibus acci-

* Verf. Belg. ita pergît: *In dit Hooftdeel wort Ghodts wezendlykheit heel anders verklaart, als de menschen die gemeenlyk verstaan, die namelyk de wezendlykheit Ghodts met hare wezendlykheit verwarren, waer uit ontstaat, dat zy Ghodt inbeelden te zyn iet als een Mensch, en op 't ware denkbeeld Ghodts, 't welk zy hebben, niet letten, of geheelijk onwetend zyn van dat zy 't hebben; waar door 't ook gebeurt, dat zy Ghodts wezentlykheit noch van vooren, dat is uyt des zelfs ware bepaling of wezendheit, noch van achteren, uyt des zelfs denkbeeld, voor zoo veel 't in ons is, bewyzen noch begrypen kunnen. Wy zullen derhalye trachten in dit Hooftdeel, zoo klaar als ons moogelyk zal zyn, te betoonen, dat Ghodts wezendlykheit van de wezendlykheit der geschape dingen geheelijk verschilt. Nimirum Dei existentia ab ea, quæ est hominum et creaturarum, probe distinguenda, siquidem illius ideam in mente nostra jam adesso, et existentiam tam a priori quam a posteriori demonstrari posse, intellecturi sumus.*

dentibus dicamus: sunt enim hæc, et hujus farinæ alia, plane inepta Substantias deinde divisimus in duo summa genera, Extensionem scilicet et Cogitationem, ac cogitationem in creatam, sive Mentem humanam, et increatam, sive Deum. Existentiam autem hujus fati: superque demonstravimus tum a posteriori, scilicet ex ipsius, quam habemus, idea, tum a priori, sive ab ejus essentia, tanquam causa existentia Dei. Sed, quoniam quædam ejus attributa brevius, quam argumenti dignitas requirit, tractavimus, ipsa hic repetere, eaque fusius explicare, simulque aliquas quæstiones enodare decrevimus.

*Deo nullam
durationem
competere.*

Præcipuum attributum, quod ante omnia venit considerandum, est Dei *Æternitas*, qua ipsius durationem explicamus; vel potius, ut nullam Deo durationem tribuamus, dicimus, eum esse æternum. Nam, ut in prima Parte notavimus, duratio est affectio existentia, non vero essentia rerum; Deo autem, cujus existentia est de ipsius essentia, nullam durationem tribuere possumus. Qui enim Deo illam tribuit, ejus existentiam ab ejus essentia distinguit. Sunt tamen, qui rogant, an Deus nunc non diutius exstiterit, quam cum Adamum crearet; idque ipsis fati clarum esse videtur, adeoque nullo modo Deo durationem adimendam esse existimant. Verum hi principium petunt; nam supponunt, Dei essentiam ab ejus existentia distingui. Quærent enim, an Deus, qui exstitit usque ad Adamum, non plus temporis exstiterit ab Adamo creato usque ad nos; quare Deo singulis diebus majorem durationem tribuunt, et quasi continuo a se ipso ipsum creari supponunt. Si enim Dei existentiam ab illius essentia non distinguerent, nequaquam Deo durationem tribuerent, cum rerum essentia duratio nullo modo competere possit: nam nemo unquam dicet, circuli aut trianguli essentiam, quatenus est æterna veritas, hoc tempore diutius durasse, quam tempore Adami. Porro, cum duratio major et minor, sive quasi partibus constans concipiatur, clare sequitur, Deo nullam tribui posse durationem: nam, cum ipsius Esse sit æternum, hoc est, in quo nihil prius nec posterius dari potest, nunquam ipsi durationem tribuere possumus, quin simul, quem de Deo habemus, verum conceptum destruiamus; hoc est, id, quod est infinitum sua natura, et quod nunquam potest concipi nisi infinitum, in partes dividamus, ei scilicet durationem tribuendo.

Quod autem Authores errarunt, in causa est, I. quia æternitatem, ad Deum non attendentes, explicare conati sunt, quasi æternitas absque essentiæ divinæ contemplatione intelligi possit, vel quid esset præter divinam essentiam; atque hoc iterum inde ortum fuit, quia assueti sumus propter defectum verborum æternitatem etiam rebus, quarum essentia distinguitur ab earum existentia, tribuere; ut cum dicimus, non implicat, mundum ab æterno fuisse; atque etiam essentiis rerum, quamdiu ipsas non existentes concipimus; eas enim tum æternas vocamus. II. quia durationem rebus non tribuebant, nisi quatenus eas sub continua variatione esse judicabant, non, uti nos, prout earum essentia ab earum existentia distinguitur. III. denique quia Dei essentiam, sicuti rerum creatarum, ab ejus existentia distinxerunt. Hi, inquam, errores ipsis ansam errandi præbuerunt. Nam primus error in causa fuit, ut non intelligerent, quid esset æternitas, sed ipsam tanquam aliquam speciem durationis considerarent. Secundus, ut non facile possent invenire differentiam inter durationem rerum creatarum et inter Dei æternitatem. Ultimus denique, ut, cum duratio non sit nisi existentia affectio, ipsique Dei existentiam ab ejus essentia distinxerint, Deo, ut jam diximus, durationem tribuerent.

*Causæ ob
quas Autho-
res Deo du-
rationem
tribuerunt.*

Sed, ut melius intelligatur, quid sit *Æternitas*, et *Quid sit Æternitas.* quomodo ipsa sine essentia divina non possit concipi, considerandum venit id, quod jam antea diximus; nempe res creatas, sive omnia præter Deum, semper existere sola vi sive essentia Dei, non vero vi propria; unde sequitur, præsentem existentiam rerum non esse causam futuræ, sed tantum Dei immutabilitatem, propter quam cogimur dicere, Ubi Deus rem primo creavit, eam postea conservabit, seu eandem illam creandi actionem continuabit. Ex quibus concludimus, 1. Quod res creata potest dici frui existentia, nimirum quia existentia non est de ipsius essentia; Deus vero non potest dici frui existentia, nam existentia Dei est Deus ipse; sicut etiam ipsius essentia; unde sequitur, res creatas duratione frui, Deum autem nullo modo. 2. Omnes res creatas, dum præsentem durationem et existentiam fruuntur, futura omnino carere, nempe quia continuo ipsis tribui debet; at de earum essentia nihil simile potest dici. Verum Deo,

quia existentia est de ipsius essentia, futuram existentiam tribuere non possumus; eadem enim, quam tum haberet, etiamnum ipsi actu tribuenda est; vel, ut magis proprie loquar, Deo infinita actu existentia competit eodem modo, ac ipsi actu competit infinitus intellectus. Atque hanc infinitam existentiam *Æternitatem* voco, quæ soli Deo tribuenda, non vero ulli rei creatæ; non, inquam, quamvis earum duratio utroque careat sine. Hæc de æternitate; de Dei necessitate nihil dico, quia non opus est, cum ejus existentiam ex ejus essentia demonstravimus. Pergamus itaque ad unitatem.

CAP. II.

De Unitate Dei.

Mirati persæpe fuimus futilia argumenta, quibus Dei Unitatem adstruere conantur Authores; qualia sunt, *Si unus potuit mundum creare, ceteri essent frustra; si omnia in eundem finem conspirent, ab uno conditore sunt producta*, et similia, a relationibus aut denominationibus extrinsecis petita. Quapropter, illis omnibus insuper habitis, nostram demonstrationem, quam clare poterimus ac breviter, hic proponemus, idque sequenti modo.

Deum esse unicum. Inter Dei attributa numeravimus etiam summam intelligentiam, addidimusque, ipsum omnem suam perfectionem a se, non vero ab alio habere. Si jam dicas, plures dari Deos, seu entia summe perfecta, necessario omnes debebunt esse summe intelligentes; quod ut fiat, non sufficit, unumquemque se ipsum tantum intelligere: nam, cum omnia intelligere debeat unusquisque, et se et cæteros debet intelligere; ex quo sequeretur, quod perfectio uniuscujusque intellectus partim a se ipso, partim ab alio dependeret. Non poterit igitur quilibet esse ens summe perfectum; hoc est, ut modo notavimus, ens, quod omnem suam perfectionem a se, non vero ab alio habet; cum tamen jam demonstraverimus, Deus ens perfectissimum esse, ipsumque existere. Unde jam possumus concludere, eum unicum tantum existere; si enim plures existerent, sequeretur, ens perfectissimum habere imperfectionem, quod est absurdum. Hæc de Dei Unitate.

CAP. III.

De Immensitate Dei.

Docuimus antea, nullum ens posse concipi finitum et imperfectum, id est de nihilo participans, nisi prius ad ens perfectum et infinitum attendamus, hoc est ad Deum; quare solus Deus dicendus absolute infinitus, nimirum quatenus reperimus ipsum revera constare infinita perfectione. At immensus sive interminabilis etiam potest dici, quatenus respicimus ad hoc, quod nullum detur ens, quo perfectio Dei terminari possit. Ex quo sequitur, quod Dei *Infinitas*, invito vocabulo, sit quid maxime positivum; nam eatenus ipsum infinitum esse dicimus, quatenus ad ejus essentiam sive summam perfectionem attendimus. *Immensitas* vero Deo tantum respective tribuitur: non enim pertinet ad Deum, quatenus absolute tanquam ens perfectissimum, sed quatenus ut prima causa consideratur; quæ quamvis non esset perfectissima, nisi respectu entium secundariorum, nihilominus tamen esset immensa. Nam nullum esset ens, et per consequens nullum posset ens concipi, ipso perfectius, quo terminari aut mensurari posset. (*Vide fusius de his Ax. 9. part. 1.*)

*Quomodo
Deus dicatur
infinitus,
quomodo
immensus.*

Authores tamen passim, ubi de Dei *Immensitate* agunt, videntur Deo quantitatem tribuere. Nam ex hoc attributo concludere volunt, Deum necessario ubique præsentem debere esse; quasi vellent dicere, si Deus in aliquo non esset loco, ejus quantitas esse terminata. Quod idem adhuc melius apparet ex alia ratione, quam afferunt ad ostendendum, Deum esse infinitum sive immensum (hæc duo enim inter se confundunt), et etiam esse ubique. Si Deus, ajunt, actus est purus, ut revera est, necessario est ubique et infinitus; nam si non esset ubique, aut non poterit esse, ubicunque vult esse, aut necessario (NB.) moveri debet; unde clare videre est, illos *Immensitatem* Deo tribuere, quatenus ipsum ut *quantum* considerant; nam ex extensionis proprietatibus hæc argumenta sua petunt ad Dei *Immensitatem* affirmandam, quo nihil est absurdus.

*Quid vulgo
per Dei im-
mensitatem
intelligatur.*

Si jam quæras, unde ergo nos probabimus, *Deum esse ubique*, respondeo, id fati superque a nobis jam de-

*Deum esse
ubique pro-
batur.*

monstratum esse, ubi ostendimus, nihil ne momento quidem existere posse, quin singulis momentis a Deo procreetur.

Omnipræsentia Dei explicari nequit. Jam vero, ut Dei *ubiquitas* aut *præsentia in singulis rebus* debite intelligi posset*, necessario deberet perfecta esse intima natura divinæ voluntatis, qua nimirum res creavit, quaque eas continuo procreat; quod cum humanum captum superet, impossibile est explicare, quomodo Deus sit ubique.

Dei Immensitatem a quibusdam statui triplicem, sed male. Quidam statuunt, Dei *Immensitatem* esse *triplicem*, nempe essentiæ, potentiæ, et denique præsentia; sed illi nugas agunt, videntur enim distinguere inter Dei essentiam et ejus potentiam.

Dei potentiam non distingui ab ejus essentia. Quod idem etiam alii magis aperte dixerunt, ubi nempe ajunt, Deum esse ubique per potentiam, non autem per essentiam; quasi vero Dei potentia distinguatur ab omnibus ejus attributis, seu infinita essentia, cum tamen nihil aliud esse possit. Si enim aliud quid esset, vel esset aliqua creatura, vel aliquid divinæ essentiæ accidentale, sine quo concipi posset; quod utrumque absurdum est. Si enim creatura esset, indigeret Dei potentia, ut conservaretur, et sic daretur progressus in infinitum. Si vero accidentale quid, non esset Deus ens simplicissimum, contra id, quod supra demonstravimus.

Nec illius Omnipræsentiam. Denique per *Immensitatem* præsentia etiam videntur aliquid velle præter essentiam Dei, per quam res creatæ sunt et continuo conservantur. Quæ sane magna est absurditas, in quam lapsi sunt ex eo, quod Dei intellectum cum humano confuderunt, ejusque potentiam cum potentia regum sæpe compararunt.

* Verf. Belg. in margine: *Hier staat aan te merken, dat het gemeen volk, wanneerze zeggen, dat Ghodt over al is, Hem als dan als een aanschouwer opt Toonneel invoeren, uyt het welk klaarlijk blijkt, 't geen wy aan 't eynde dezes Hoofddeels zeggen, namelijk, dat de Menschen de Ghoddelyke natuur met de Menschelyke doorgaans verwarren.* Deum perperam ut nescio quem rerum spectatorem imaginari solent.

CAP. IV.

De Immutabilitate Dei.

Per *Mutationem* intelligimus hoc loco omnem illam variationem, quæ in aliquo subiecto dari potest, integra permanente ipsa essentia subiecti; quamvis vulgo etiam latius sumatur ad significandam rerum corruptionem, non quidem absolutam, sed quæ simul includit generationem corruptioni subsequentem; ut cum dicimus, cæspites * in cineres mutari, homines mutari in bestias. Verum Philosophi ad hoc denotandum alio adhuc vocabulo utuntur, nempe *Transformationis*. At nos hic tantum de illa mutatione loquimur, in qua nulla datur subiecti transformatio, ut cum dicimus, Petrus mutavit colorem, mores, etc.

Quid sit Mutatio, quid Transformatio.

Videndum jam, an in Deo tales mutationes habeant locum; nam de *transformatione* nihil dicere opus, postquam docuimus, Deum necessario existere, hoc est, Deum non posse desinere esse, seu in alium Deum transformari; nam tum et esse desineret, et simul plures dii dari possent, quod utrumque absurdum esse ostendimus.

In Deo Transformationem locum non habere.

Ut autem, quæ hic dicenda supersunt, distinctius intelligantur, venit considerandum, quod omnis *mutatio* procedat vel a causis externis, volente aut nolente subiecto, vel a causa interna, et electione ipsius subiecti. Ex. grat., hominem nigrescere, ægrotare, crescere, et similia, procedunt a causis externis; illa invito subiecto, hoc vero ipso subiecto cupiente; velle autem ambulare, se iratum ostendere, etc., proveniunt a causis internis.

Quæ sint Mutationis cause.

Priores vero *mutationes*, quæ a causis externis procedunt, in Deo nullum habent locum; nam solus est omnium rerum causa, et a nemine patitur. Adde quod nihil creatum in se ullam habeat vim existendi; adeoque multo minus aliquid extra se, aut in suam causam operandi. Et, quamvis in Sacris Litteris sæpe inveniatur, quod Deus propter peccata hominum iratus et tristis fuerit, et similia, in iis effectus sumitur pro causa; quemadmodum etiam dicimus, Solem æstate quam hyeme fortiorem et altio-

Deum non mutari ab alio.

* Verf. Belg.: *turf*.

rem esse, quamvis neque situm mutaverit, neque vires refumpferit. Et quod talia etiam in Sacris Litteris sæpe doceantur, videre est in Esaia; ait enim cap. 59. v. 2., ubi populum increpat: *pravitates vestrae vos a vestro Deo separant.*

Nec etiam a seipso. Pergamus itaque, et inquiramus, an in Deo a Deo ipso ulla detur mutatio. Hanc vero in Deo dari non concedimus, imo ipsam prorsus negamus; nam omnis mutatio, quæ a voluntate dependet, fit ut subjectum suum in meliorem mutet statum, quod in ente perfectissimo locum habere nequit. Deinde etiam talis mutatio non datur, nisi aliquod incommodum evitandi, aut aliquod bonum, quod deest, acquirendi gratia; quod utrumque in Deo nullum locum habere potest. Unde concludimus, Deum esse ens immutabile. *

Nota, me communes mutationis divisiones hic consulto omisisse, quamvis aliquo modo ipsas etiam complexi sumus; nam non opus fuit ipsas singulatim a Deo remove, cum Propos. 16. part. 1. demonstraverimus, Deum esse incorporeum, et communes illæ divisiones folius materiæ mutationes tantum contineant.

CAP. V.

De Simplicitate Dei.

Rerum distinctio triplex, Realis, Modalis, Rationalis.

Pergamus ad Dei Simplicitem. Hoc Dei attributum ut recte intelligatur, in memoriam revocanda sunt, quæ Princip. Philosophiæ part. 1. Art. 48. et 49. Cartesius tradidit: nimirum in Rerum Natura nihil præter substan-

* Verl. Belg. in margine: *Aanmerk dat dit veel klaarder kan blijken, zoo wy op de natuur van Ghodts wil en zijn besluiten letten. Want, gelijk ik in 't volgende zal toonen, Ghodts wil, waardoor hy de dingen heeft geschapen, verschilt niet van zijn verstand, waardoor hy die verstaat. En dus is 't het zelve te zeggen, dat Ghodt verstaat, dat de drie hoeken van de driehoek gelijk zijn met twee rechten, als te zeggen, dat Ghodt gewillt of besloten heeft, dat de drie hoeken van de driehoek gelijk zouden zijn met twee rechten; weshalven het ons even onmogelyk zijn zal te begrypen, dat Ghodt zijne besluyten kan veranderen, als te denken dat de drie hoeken van de driehoek niet gelijk zijn met twee rechten. Voorts, dit, namelijk dat in Ghodt geen verandering kan zijn, kan ook op andere wijzen bewezen werden; maar om dat wy de kortheid bevijsigen, zoo luff het ons niet dit verder te vervolgen. Deum immutabilem esse, clarius etiam apparebit ubi, ejus voluntatem ab intellectu non differre, ostensum erit, et aliis quoque argumentis probari potest.*

tias et earum modos dari, unde triplex rerum distinctio deducitur, Artic. 60. 61. et 62., *Realis* scilicet, *Modalis*, et *Rationis*. *Realis* vocatur illa, qua duæ substantiæ inter se distinguuntur, sive diversi, sive ejusdem attributi, ut ex. gr. cogitatio et extensio, vel partes materiæ. Hæcque ex eo cognoscitur, quod utraque sine ope alterius concipi et per consequens existere possit. *Modalis* duplex ostenditur, nimirum quæ est inter modum substantiæ et ipsam substantiam, ac quæ est inter duos modos unius ejusdemque substantiæ. Atque hanc ex eo cognoscimus, quod, quamvis uterque modus absque ope alterius concipiatur, neuter tamen absque ope substantiæ, cujus sunt modi. Illam vero ex eo, quod, quamvis substantia illa possit concipi sine suo modo, modus tamen sine substantia concipi nequeat. *Rationis* denique ea esse dicitur, quæ oritur inter substantiam et suum attributum; ut cum duratio ab extensione distinguitur. Hæcque etiam ex eo cognoscitur, quod talis substantia non possit sine illo attributo intelligi.

Ex his tribus omnis compositio oritur. Prima enim compositio est, quæ fit ex duabus aut pluribus substantiis, ejusdem attributi, ut omnis compositio, quæ fit ex duobus aut pluribus corporibus, sive diversi attributi, ut homo. Secunda fit unione diversorum modorum. Tertia denique non fit, sed tantum Ratione quasi fieri concipitur, ut eo facilius res intelligatur. Quæ autem hisce prioribus duobus modis non componuntur, simplicia dicenda sunt.

*Undenam
omnis compositio
oriatur,
et quotuplex
sit.*

Offendendum itaque, Deum non esse quid compositum, ex quo poterimus concludere, ipsum esse ens simplicissimum, quod facile effectum dabimus. Cum enim per se clarum sit, quod partes componentes priores sunt natura ad minimum re composita, necessario substantiæ illæ, ex quarum coalitione et unione Deus componitur, ipso Deo priores erunt natura, et unaquæque per se poterit concipi, quamvis Deo non tribuatur. Deinde, cum illa inter se necessario realiter distinguantur, necessario etiam unaquæque per se absque ope aliarum poterit existere; ac sic, ut modo diximus, tot possent dari dii, quot sunt substantiæ, ex quibus Deum componi supponeretur. Nam, cum unaquæque per se possit

*Deum esse
ens simplicissimum.*

existere, a se debeat existere; ac proinde etiam vim habebit sibi dandi omnes perfectiones, quas Deo ineffe ostendimus, etc.; ut jam Propof. 7. part. 1., ubi existentiam Dei demonstravimus, fufe explicuimus. Cum autem hoc nihil absurdius dici possit, concludimus, Deum non componi ex coalitione et unione substantiorum. Quod in Deo etiam nulla detur compositio diverforum modorum, fati con vincitur ex eo, quod in Deo nulli dentur modi: modi enim oriuntur ex alteratione substantiæ, vide Princ. Part. 1. Art. 56. Denique si quis velit aliam compositionem fingere ex rerum essentia et earum existentia, huic nequaquam repugnamus. At memor fit, nos jam fati demonstraſſe, hæc duo in Deo non distingui.

Dei attributa diftingui tantum Ratione. Atque hinc jam clare possumus concludere, omnes distinctiones, quas inter Dei attributa facimus, non alias esse quam Rationis, nec illa revera inter se distingui: intellige tales Rationis distinctiones, quales modo retuli, nempe quæ ex eo cognoscuntur, quod talis substantia non possit sine illo attributo esse. Unde concludimus, Deum esse ens simplicissimum. Cæterum Peripateticorum distinctionum farraginem non curamus; transimus igitur ad Dei vitam.

CAP. VI.

De Vita Dei.

Quid vulgo per vitam intelligent Philosophi. Ut hoc attributum, *Vita* scilicet Dei, recte intelligatur, necesse est, ut generaliter explicemus, quid in unaquaque re per ejus vitam denotetur. Et 1^o. sententiam Peripateticorum examinabimus. Hi per vitam intelligunt *mansionem aëricis animæ cum calore*, vide Arist. lib. 1. de Respirat. 8. Et, quia tres finxerunt animas, vegetativam scilicet, sensitivam, et intellectivam, quas tantum plantis, brutis et hominibus tribuunt; sequitur, ut ipsimet fatentur, reliqua vitæ expertia esse. At interim dicere non audebant, mentes et Deum vita carere. Verebantur fortasse, ne in ejus contrarium inciderent, nempe, si vita careant, mortem eos obiisse. Quare Aristoteles Metaph. lib. 11. cap. 7. adhuc aliam definitionem vitæ tradit, mentibus tantum peculiarem; nempe *Intellectus operatio vita est*; et hoc sensu Deo, qui scilicet intelligit, et actus

purus est, vitam tribuit. Verum in his refutandis non multum defatigabimur; nam quod ad illas tres animas, quas plantis, brutis, et hominibus tribuunt, attinet, jam fatis demonstravimus, illas non esse nisi figmenta; nempe quia ostendimus, in materia nihil præter mechanicas texturas et operationes dari. Quod autem ad vitam Dei attinet, nescio cur magis actio intellectus apud ipsum vocetur, quam actio voluntatis, et similiū. Verum, quia nullam ejus responſionem exspecto, ad id, quod promisimus, explicandum tranſeo, nempe quid vita ſit.

Et, quamvis hæc vox per translationem sæpe ſumatur ad ſignificandum mores alicujus hominis, nos tamen ſolum, *Quibus rebus vita tribui poſſit.* quid philoſophice ea denotetur, breviter explicabimus.

Notandum autem eſt, quod, ſi vita rebus etiam corporeis tribuenda ſit, nihil erit vitæ expers; ſi vero tantum iis, quibus anima unita eſt corpori, ſolummodo hominibus, et forte etiam brutis tribuenda erit; non vero mentibus, nec Deo. Verum cum vocabulum vitæ communiter latius ſe extendat, non dubium eſt, quin etiam rebus corporeis, mentibus non unitis, et mentibus a corpore ſeparatis tribuendum ſit.

Quare nos per vitam intelligimus vim, per quam res *Quid ſit vita, et quid ſit in Deo.* in ſuo eſſe perfeverant. Et, quia illa vis a rebus ipſis eſt diverſa; res ipſas habere vitam, proprie dicimus. Vis autem, qua Deus in ſuo eſſe perfeverat, nihil eſt præter ejus eſſentiam; unde optime loquuntur, qui Deum vitam vocant. Nec deſunt Theologi qui ſentiunt, Judæos hac de cauſa, nempe quod Deus ſit vita, et a vita non diſtinguatur, cum jurabant, dixiſſe חַי יְהוָה *vivus Jehova*; non vero חַי יְהוָה *vita Jehovæ*, ut Joſeph, cum per vitam Pharaonis jurabat, dicebat חַי פַּרְעֹה *vita Pharaonis*.

CAP. VII.

De Intellectu Dei.

Inter attributa Dei numeravimus antea *Omnſcientiam*, *Deum eſſe omniſcium.* quam fatis conſtat Deo competere; quia ſcientia continet in ſe perfectionem, et Deus, ens nempe perfectiſſimum, nulla per-

fectione carere debet; quare scientia summo gradu Deo erit tribuenda, scilicet talis, quæ nullam præsupponat vel supponat ignorantiam, five scientiæ privationem: nam tum daretur imperfectio in ipso attributo, five in Deo. Ex his sequitur, Deum nunquam habuisse intellectum potentiâ, neque per ratiocinium aliquid concludere.

Objeſum scientiæ Dei non eſſe res extra Deum. Porro ex perfectione Dei etiam sequitur, ejus ideas non terminari, sicuti nostræ, ab objectis extra Deum positis. Sed contra res, extra Deum a Deo creatæ, a Dei intellectu determinantur ¹; nam alias objecta per se suam haberent naturam et essentiam, et priores essent, saltem naturâ, divino intellectu; quod absurdum est. Et, quia hoc a quibusdam non satis observatum fuit, in enormes errores inciderunt. Statuerunt nimirum aliqui, dari extra Deum materiam, ipsi cœternam, a se existentem, quam Deus intelligens secundum aliquos in ordinem tantum redegit, secundum alios formas ipsi infuser impressit. Alii deinde res ex sua natura vel necessarias, vel impossibiles, vel contingentes esse statuerunt, ideoque Deum has etiam ut contingentes noscere, et profus ignorare, an existent vel non. Alii denique dixerunt, Deum contingentia noscere ex circumstantiis, forte quia longam habuit experientiam. Præter hos adhuc alios hujusmodi errores hic adferre possem, nisi id supervacaneum judicarem; cum ex antedictis eorum falsitas sponte se patefaciat.

Sed ipsum Deum. Revertamur itaque ad nostrum propositum, nempe quod extra Deum nullum detur objectum ipsius scientiæ, sed ipse sit scientiæ suæ objectum, imo sua scientia. Qui autem putant, mundum etiam objectum Dei scientiæ esse, longe minus sapiunt, quam qui ædificium, ab aliquo insigni Architecto factum, objectum scientiæ illius statui volunt. Nam faber adhuc extra se materiam idoneam quærere cogitur; at Deus nullam extra se materiam quæsit, sed res quoad essentiam et existentiam ab ejus intellectu five voluntate fabricatæ fuerunt.

¹ Hinc clare sequitur, intellectum Dei, quo res creatas intelligit, et ejus voluntatem et potentiam, qua ipsas determinavit, unum et idem esse.

Quæritur jam, an Deus noscat mala sive peccata, et entia Rationis, et alia similia. Respondemus, Deum illa, quorum est causa, necessario debere intelligere; præsertim cum ne momento quidem possint existere, nisi concurrente concursu divino. Cum ergo mala et peccata in rebus nihil sint, sed tantum in mente humana, res inter se comparante; sequitur, Deum ipsa extra mentes humanas non cognoscere. Entia Rationis modos esse cogitandi diximus, et hac ratione a Deo intelligi debent, hoc est, quatenus percipimus, illum mentem humanam, ut constituta est, conservare et procreare; non vero quod Deus tales modos cogitandi habeat in se, ut ea, quæ intelligit, facilius retineat. Atque ad hæc pauca, quæ diximus, si modo recte attendatur, nihil circa Dei intellectum proponi poterit, quod facillimo negotio non solvi queat.

*Quomodo
Deus noscat
peccata, et
entia Ra-
tionis, etc.*

Sed interim non prætereundus error quorundam, qui statuunt, Deum nihil præter res æternas cognoscere, ut nempe angelos et cælos, quos sua natura ingenerabiles et incorruptibiles finxerunt; hujus autem mundi nihil præter species, utpote etiam ingenerabiles et incorruptibiles. Hi sane videntur quasi studio errare velle et absurdissima excogitare. Quid enim magis absurdum, quam Dei cognitionem a singularibus, quæ sine Dei concursu ne per momentum quidem esse possunt, arcere. Deinde res realiter existentes Deum ignorare statuunt, universalium autem, quæ non sunt, nec ullam habent præter singularium essentiam, cognitionem Deo affingunt. Nos autem contra Deo singularium cognitionem tribuimus, universalium denegamus, nisi quatenus mentes humanas intelligit.

*Quomodo
singularia,
et quomodo
universalia.*

Denique, antequam huic argumento finem imponamus, satis faciendum videtur quæstioni, qua quæritur an in Deo plures sint ideæ, an tantum una et simplicissima. Ad hanc respondeo, quod idea Dei, per quam omniscius vocatur, unica et simplicissima est. Nam revera Deus nulla alia ratione vocatur omniscius, nisi quia habet ideam sui ipsius; quæ idea sive cognitio simul semper cum Deo existit, nihil enim est præter ejus essentiam, nec illa alio modo potuit esse.

*In Deo tan-
tum unam
esse et sim-
plicem ideam.*

*Quæ sit Dei
scientia
circa res
creatas.*

At cognitio Dei circa res creatas non adeo proprie ad scientiam Dei referri potest; nam si Deus voluisset, aliam res creatæ habuissent essentiam, quod nullum obtinet locum in cognitione, quam Deus de se ipso habet. Quæretur tamen, an illa proprie vel improprie dicta rerum creatarum cognitio sit multiplex, an unica. Verum, ut respondeamus, hæc quæstio nihil differt ab illis, quibus quæritur, an Dei decreta et volitiones sint plures, vel non; et an Dei ubiquitas, sive concursus, quo res singulares conservat, sit idem in omnibus; de quibus, jam diximus, nos nullam distinctam cognitionem habere posse. Attamen evidentissime scimus, eodem modo, ac Dei concursus, si ad Dei omnipotentiam referatur, unicus esse debet, quamvis in effectis diversimode patefiat, sic etiam Dei volitiones et decreta (sic enim vocare libet ejus cognitionem circa res creatas) in Deo considerata non esse plura, quamvis per res creatas, vel melius in rebus creatis, diversimode expressa sint. Denique si ad analogiam totius Naturæ attendimus, ipsam ut unum Ens considerare possumus, et per consequens una tantum erit Dei idea sive decretum de Natura naturata.

CAP. VIII.

De Voluntate Dei.

*Quomodo
Dei essentia,
et intellectus,
quo se intelligit,
et Voluntas,
qua se amat,
distinguantur,
nos nescire.*

Voluntas Dei, qua se vult amare, necessario sequitur ex infinito ejus intellectu, quo se intelligit. Quomodo autem hæc tria inter sese distinguantur, ejus scilicet essentia, intellectus, quo se intelligit, et voluntas, qua se amare vult, inter desiderata reponimus. Nec fugit nos vocabulum (*personalitatis* scilicet), quod Theologi passim usurpant ad rem explicandam; verum, quamvis vocabulum non ignoremus, ejus tamen significationem ignoramus, nec ullum clarum et distinctum conceptum illius formare possumus; quamvis constanter credamus, in visione Dei beatissima, quæ fidelibus promittitur, Deum hoc suis revelaturum.

*Voluntatem
et Potentiam
Dei,
quoad extra,
non distingui
ab ejus
intellectu.*

Voluntas et Potentia quoad extra non distinguuntur a Dei intellectu, ut jam satis ex antecedentibus constat; nam ostendimus, Deum non tantum decrevisse res existuras, sed etiam tali natura existuras, hoc est, earum essentiam et earum existentiam a Dei voluntate et potentia

pendere debuiffe; ex quibus clare et diftincte percipimus, intellectum Dei, ejuſque potentiam, et voluntatem, qua res creatas creavit, intellexit, et confervat, five amat, nullo modo inter fe diftingui, fed tantum reſpectu noſtræ cogitationis.

Cum autem dicimus, Deum quædam odio habere, *Deum improprie quædam odio habere, quædam amare.* quædam amare, hæc eodem ſenſu dicuntur, quo Scriptura habet, terram homines evomituram, et id genus alia. Quod autem Deus nemini fit iratus, nec res tali modo amat, quali vulgus ſibi perſuadet, fatiſ ex ipſa Scriptura colligere eſt: ait enim Eſaias, et clarius Apoſt. cap. 9. ad Roman., *Nondum enim natis* (filiis nempe Iſaci), *cum neque boni quippiam feciſſent neque mali, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt illi, quod major ſerviturus eſſet minori, etc.* Et paulo poſt, *Itaque cuius vult, miſeretur, quem autem vult, indurat. Dices ergo mihi, quid adhuc conqueritur: nam voluntati illius quis reſtitit? Vere, o homo, tu quis es, qui ex adverſo reſpondes Deo? num dicet figmentum ei, qui finxit, cur me finxiſti hoc pacto? an non habet poteſtatem figulus luti, ut ex eadem maſſa faciat aliud quoddam vas in honorem, aliud in ignominiam? etc.*

Si jam quæras, Cur ergo Deus homines monet? ad hoc facile reſponderetur, ſcilicet, Deum ideo ab æterno decreviſſe illo tempore homines monere, ut illi converterentur, quos voluit ſalvos. Si porro quæris, An Deus non potuerat illos ſalvare ſine illa monitione? Reſpondemus, Potuiſſet. Cur ergo non ſalvat? forſan iterum quæres. Ad hoc reſpondebo, poſtquam mihi dixeris, cur Deus Mare Rubrum ſine vento orientali vehementi non pervium reddidit, et omnes motus ſingulares ſine aliis non perficiat, aliaque infinita, quæ Deus agit mediantibus cauſis. Rogabis denuo, Cur igitur impii puniuntur? ſua enim natura agunt et ſecundum decretum divinum. At reſpondeo, etiam ex decreto divino eſſe, ut puniantur; et ſi tantum illi, quos non niſi ex libertate fingimus peccare, eſſent puniendi, cur homines ſerpentes venenofos exterminare conantur; ex natura enim propria tantum peccant, nec aliud poſſunt.

Cur Deus homines monet, cur non ſalvat abſque monitione; et cur impii puniantur.

*Scripturam
nihil docere,
quod Lumini
Naturæ re-
pugnet.*

Denique si quæ adhuc alia occurrunt in Sacris Scripturis, quæ scrupulum injiciant, non est hujus loci illa explicare; nam hic tantum in ea inquirimus, quæ Ratione naturali certissime assequi possumus, et satis est, nos illa evidenter demonstrare, ut sciamus Sacram Paginam eadem etiam docere debere; nam veritas veritati non repugnat, nec Scriptura nugas, quales vulgo fingunt, docere potest. Si enim in ipsa inveniremus aliquid, quod Lumini Naturali esset contrarium, eadem libertate, qua Alcoranum et Thalmud refellimus, illam refellere possemus. Sed absit cogitare, quod in Sacris Literis aliquid reperiri possit, quod Lumini Naturæ repugnet.

CAP. IX.

De Potentia Dei.

*Quomodo
Omnipotentia
Dei intelli-
genda sit.*

Quod Deus sit omnipotens, jam satis demonstratum est. Hic tantum breviter explicare conabimur, quomodo hoc attributum intelligendum sit; nam multi non satis pie, nec secundum veritatem de eo loquuntur. Ajunt enim, res quasdam sua natura et non ex decreto Dei esse possibiles, quasdam impossibiles, et denique quasdam necessarias, Deique omnipotentiam tantum circa possibilia locum habere. Nos vero, qui jam ostendimus omnia a decreto Dei absolute dependere, dicimus Deum esse omnipotentem; at postquam intelleximus, eum quædam decrevisse ex mera libertate suæ voluntatis, ac deinde, eum esse immutabilem, dicimus jam, contra sua decreta nihil agere posse, ideoque esse impossibile ex eo solo, quod pugnet cum perfectione Dei.

*Omnia esse
necessaria
respectu de-
creti Dei;
non autem
quasdam in
se, quasdam
respectu de-
creti.*

Sed forte quis arguet, nos non invenire quædam necessaria esse, nisi ad Dei decretum attendentes, quædam vero econtra ad Dei decretum non attendentes; ex. gr. quod Josias ossa idololatrarum super ara Jeroboami combureret. Nam, si tantum ad voluntatem Josiæ attendamus, rem ut possibilem judicabimus, nec ullo modo necessario futuram dicemus, nisi ex eo, quod Propheta ex decreto Dei hoc prædixerat; at, quod tres anguli trianguli æquales debeant esse duobus rectis, ipsa res indicat. Sed sane hi ex sua ignorantia

distinctiones in rebus fingunt. Nam, si homines clare totum ordinem Naturæ intelligerent, omnia æque necessaria reperirent ac omnia illa, quæ in Mathesi tractantur; sed quia hoc supra humanam cognitionem est, ideo a nobis quædam possibilia, non vero necessaria judicantur. Quocirca vel dicendum, quod Deus nihil potest, quoniam omnia revera necessaria sunt; vel Deum omnia posse, et necessitatem, quam in rebus reperimus, a solo Dei decreto provenisse.

Si jam quæretur, quid, si Deus res aliter decrevisset, et illa, quæ jam vera sunt, falsa esse fecisset, an non illa tamen pro verissimis agnosceremus? Imo profecto, si Deus nobis naturam, quam dedit, reliquisset; sed etiam tum potuisset, si voluisset nobis dare talem naturam, uti jam fecit, qua rerum naturam et leges, prout a Deo sancitæ essent, intelligeremus; imo, si ad ipsius veracitatem attendamus, dare debuisset. Quod idem etiam patet ex eo, quod supra diximus, nimirum quod tota Natura naturata non sit nisi unicum ens; unde sequitur, hominem partem esse Naturæ, quæ cum cæteris cohærere debet; quare ex simplicitate decreti Dei etiam sequeretur, quod, si Deus res alio modo creasset, simul etiam nostram naturam ita constituisset, ut res, prout a Deo creatæ essent, intelligeremus. Unde nos, quamvis eandem distinctionem potentia Dei, quam vulgo tradunt Philosophi, retinere cupiamus, ipsam tamen aliter explicare cogimur.

Quid si Deus aliam facisset Rerum Naturam, etiam nobis illum debuisse dare intellectum.

Dividimus itaque *potentiam Dei in ordinatam et absolutam.*

Quotuplex sit Potentia Dei.

Absolutam potentiam Dei esse dicimus, cum ejus omnipotentiam ad ejus decreta non attendentes consideramus; ordinatam vero, cum respicimus ad ejus decreta.

Quid absoluta, quid ordinata, quid ordinaria, quid extraordinaria.

Porro datur potentia *ordinaria* et *extraordinaria* Dei. *Ordinaria* est, qua mundum certo ordine conservat; *extraordinaria*, cum aliquid agit præter Naturæ ordinem, ut ex. gr. omnia miracula, qualia sunt locutio asinæ, apparitio angelorum, et similia. Quamvis de hac postrema non immerito valde dubitari posset; cum majus videatur esse

miraculum, si Deus mundum semper uno eodemque certo atque immutabili ordine gubernaret, quam si leges, quas ipse in Natura optime et ex mera libertate fancivit (quod a nemine nisi penitus occæcato inficias iri potest), propter stultitiam hominum abrogaret. Verum hoc decernere Theologis relinquimus.

Denique quæstiones alias, quæ circa potentiam Dei communiter adferri solent, nimirum, *utrum ad præterita extendatur Dei potentia; an possit meliora facere ea, quæ facit; num possit plura alia facere, quam fecit*, omittimus; facillime enim ex antedictis ad eas responderi potest.

CAP. X.

De Creatione.

Deum omnium rerum creatorem jam antea statuimus; hic jam conabimur explicare, quid per creationem intelligendum sit; deinde ea, quæ circa creationem communiter proponuntur, pro viribus enucleabimus. A primo itaque incipiamus.

Quid sit. Creatio. Dicimus igitur, *creationem esse operationem, in qua nullæ causæ præter efficientem concurrunt, sive res creata est illa, quæ ad existendum nihil præter Deum præsupponit.*

Creationis vulgaris definitio rejicitur. Ubi notandum venit, 1°. nos illa verba omittere, quæ communiter Philosophi usurpant, nempe *ex nihilo*, quasi nihil fuisset materia, ex qua res producebantur. Quod autem sic loquantur, inde est, quod, cum soleant, ubi res generantur, aliquid ante ipsas supponere, ex quo fiant, in creatione illam particulam *ex* non potuerunt omittere. Idem ipsis contigit circa materiam; nempe, quia vident omnia corpora in loco esse, et ab aliis corporibus cingi, ideo sibi quærentibus, ubi integra esset materia, responderunt, in aliquo spatio imaginario. Unde non dubium est, quin illi *ex nihilo* non ut negationem omnis realitatis consideraverint, sed aliquid reale esse finxerint, aut imaginati fuerint.

Propria explicatur. 2°. quod dico, in creatione nullas alias causas concurrere præter efficientem. Potueram quidem dicere, creationem omnes causas præter efficientem *negare* sive *secludere*.

Attamen malui *concurrere*, ne cogerer respondere iis, qui quærunt, an Deus nullum finem sibi præfixit in creatione, propter quem res creavit. Præterea, ut rem melius explicarem, secundam addidi definitionem, scilicet, rem creatam nihil præsupponere præter Deum; quia nempe, si Deus aliquem finem sibi præfixit, ille sane non fuit extra Deum; nihil enim extra Deum datur, a quo ipse incitetur ad agendum.

3°. ex hac definitione satis sequi, accidentium et modorum nullam dari creationem: præsupponunt enim præter Deum substantiam creatam. *Accidentia et modos non creari.*

4°. denique, ante creationem nullum nos posse imaginari tempus neque durationem, sed hæc cum rebus incepisse. Tempus enim mensura est durationis, sive potius nihil est præter modum cogitandi. Quare non tantum præsupponit quamcumque rem creatam, sed præcipue homines cogitantes. Duratio autem desinit, ubi res creatæ desinunt esse, et incipit, ubi res creatæ existere incipiunt; *res creata* inquam: nam Deo nullam competere, sed tantum æternitatem, jam supra satis evidentè ostendimus. Quare duratio res creatas præsupponit, aut ad minimum supponit. Qui autem durationem et tempus ante res creatas imaginantur, eodem præiudicio laborant ac illi, qui extra materiam spatium fingunt, ut per se satis est manifestum. Hæc de creationis definitione.

Porro non est opus, ut hic iterum repetamus id, quod Ax. 10. part. 1. demonstravimus: nimirum tantundem virium requiri ad rem creandam, quam ad ipsam conservandam; hoc est, eandem esse Dei operationem mundi creandi, quam conservandi. *Eandem esse Dei operationem mundi creandi quam conservandi.*

His sic notatis, pergamus jam ad id, quod secundo loco promissimus. 1°. igitur inquirendum, quid creatum est, quid increatum. 2°. , an id quod creatum est, potuerit ab æterno creari.

Ad primum igitur breviter respondemus, id omne creatum esse, cujus essentia clare concipitur sine ulla existentia, et tamen per se concipitur; ut ex. gr. materia, cujus conceptum clarum et distinctum habemus, cum illam sub attributo extensionis *Quantam sint creata.*

concipimus, eamque æque clare et distincte concipimus, sive existat, sive non existat.

Quomodo Dei cogitatio a nostra differat. At quis fortasse dicet, nos cognitionem clare et distincte percipere sine existentia, eamque tamen Deo tribuere. Sed ad hoc Resp., nos non talem cogitationem Deo tribuere, qualis nostra est, patibilem scilicet, et quæ a Rerum Natura terminatur, sed talem, quæ purus actus est, ideoque existentiam involvens, ut satis prolixè supra demonstravimus. Ostendimus enim, Dei intellectum et voluntatem ab ipsius potentia et essentia, quæ existentiam involvit, non distingui.

Non esse quid extra Deum Deo coæternum. Cum itaque omne id, cujus essentia nullam involvit existentiam, necessario, ut existat, a Deo creari debeat, et continuo, ut supra multis exposuimus, ab ipso creatore conservari; in eorum sententia refutanda non morabimur, qui mundum, aut chaos, aut materiam ab omni forma nudatam coæternam Deo, adeoque independentem statuerunt. Quare ad secundam partem pergendum, inquirendumque, An id, quod creatum est, ab æterno creari potuerat?

Quid hic vocibus ab æterno denotetur. Hoc ut recte intelligatur, attendendum est ad hunc loquendi modum, *ab æterno*; eo enim nos aliud profus hoc loco significare volumus, quam id, quod antehac explicuimus, ubi de Dei æternitate locuti sumus. Nam hic nihil aliud intelligimus, quam durationem absque principio durationis, vel talem durationem, quam, quamvis eam per multos annos aut myriadas annorum multiplicare vellemus, atque hoc productum iterum per myriadas, nunquam tamen ullo numero, quantumvis magno, exprimere possimus

Non potuisse aliquid ab æterno creari, probatur. Talem autem durationem non posse dari, clare demonstratur. Nam, si mundus iterum ab hoc puncto retrograderetur, nunquam talem durationem habere poterit; ergo etiam mundus a tali principio usque ad hoc punctum pervenire non potuisset. Dices forte, Deo nihil esse impossibile; est enim omnipotens, adeoque poterit efficere durationem, qua major non posset dari. Respondemus, Deum, quia est omnipotens, nunquam duratio-

nem creaturum, qua major ab ipso creari non possit. Talis enim est natura durationis, ut semper major et minor datâ possit concipi, sicuti numerus. Instabis forte, Deum ab æterno fuisse, adeoque usque in hoc tempus durasse, ac sic durationem dari, qua major concipi nequit. Verum hoc modo tribuitur Deo duratio partibus constans, quod a nobis satis superque refutatum est, ubi Deo non durationem, sed æternitatem competere demonstravimus. Quod utinam homines probe considerassent; nam ex multis argumentis et absurditatibus facillime se extricare potuissent, et maxima cum delectatione in beatissima hujus entis contemplatione detenti fuissent.

Verumenimvero pergamus ad argumentorum, quæ a quibusdam adferuntur, responsum, nempe quibus conantur ostendere possibilitatem talis infinitæ durationis a parte ante.

Primo igitur afferunt, *rem productam posse simul tempore esse cum causa; cum autem Deus fuerit ab æterno, poterunt etiam ejus effectus ab æterno fuisse producti.* Atque hoc insuper confirmant *exemplo filii Dei, qui ab æterno a patre productus est.* Verum ex antedictis clare videre est, hos *æternitatem* cum duratione confundere, Deoque durationem tantum ab æterno tribuere; quod etiam clare apparet exemplo, quod adferunt. Nam eandem æternitatem, quam Dei filio tribuunt, creaturis possibilem esse statuunt. Deinde tempus et durationem ante mundum conditum imaginantur, et durationem absque rebus creatis statuere volunt, sicuti alii æternitatem extra Deum; quod utrumque a vero alienissimum esse jam constat. Respondemus itaque, falsissimum esse, Deum suam æternitatem creaturis communicare posse; nec filium Dei creaturam esse, sed, uti patrem, æternum esse. Cum itaque dicimus, patrem filium ab æterno genuisse, nihil aliud volumus, quam patrem suam æternitatem filio semper communicasse.

Ex eo, quod Deus sit æternus, non sequi, illius effecta etiam esse posse ab æterno.

Argumentantur 2^o, *quod Deus, cum libere agat, non minoris sit potentia, quam cum agit necessario. At si Deus necessario ageret, cum sit infinita virtutis, mundum ab æterno creare debuisset.* Sed ad hoc argumentum etiam perfacile responderi potest, si attendatur ad ejus fundamentum. Boni

Deum, si necessario ageret, non esse infinita virtutis.

enim isti viri supponunt, se diversas ideas entis infinitæ virtutis posse habere; nam Deum, et cum ex necessitate naturæ agit, et cum libere agit, infinitæ virtutis esse concipiunt. Nos vero negamus, Deum, si ex necessitate naturæ ageret, infinitæ esse virtutis; quod nobis jam negare licet, imo necessario ab iis etiam concedendum est, postquam demonstravimus, ens perfectissimum libere agere, et non nisi unicum posse concipi. Quod si vero regerant, poni tamen posse, quamvis id impossibile sit, Deum ex necessitate naturæ agentem infinitæ esse virtutis; respondebimus, id non magis licere supponere, quam circulum quadratum, ut concludatur, omnes lineas a centro ad circumferentiam ductas non esse æquales. Atque hoc ex modo dictis, ne, quæ jam dudum dicta sunt, repetamus, satis constat. Modo enim demonstravimus, nullam dari durationem, cujus duplum, sive qua major et minor, non possit concipi; ac proinde a Deo, qui infinita virtute libere agit, semper major et minor datâ creari possit. At si Deus ex necessitate naturæ ageret, nullo modo id sequeretur; nam tantum illa, quæ ex ejus natura resultaret, ab ipso produci posset, non vero infinitæ aliæ majores datâ. Quare sic breviter argumentamur: Si Deus maximam durationem, qua majorem ipse non posset creare, crearet, necessario suam potentiam diminueret. Atqui falsum est posterius, nam ejus potentia ab ipsius essentia non differt. Ergo, etc. Porro, si Deus ex necessitate naturæ ageret, durationem, qua majorem ipse creare non potest, creare deberet; sed Deus talem durationem creans non est infinitæ virtutis; nam semper datâ majorem concipere possumus. Ergo, si Deus ex necessitate naturæ ageret, non esset infinitæ virtutis.

Unde habemus conceptum majoris durationis, quam est hujus mundi.

Quod si cui hic scrupulus oriretur, undenam nempe, cum mundus ante quinque millia annorum, et quod excedit, si vera est Chronologorum computatio, creatus fuerit, nos tamen possumus majorem concipere durationem, quam asseruimus non sine creatis rebus intelligi posse; Illi facillime iste eximetur, si advertat, nos illam durationem non ex sola contemplatione creaturarum rerum, sed ex contemplatione infinitæ Dei potentæ ad creandum intelligere. Non enim creaturæ concipi possunt ut per se existentes sive durantes, sed tanquam per

infinitam Dei potentiam, a qua sola omnem suam durationem habent. Vid. Propof. 12. part. 1. ejusque Corollar.

Denique, ne hic futilibus argumentis respondendo tempus consumamus, tantum hæc animadvertenda sunt: nempe distinctio inter æternitatem et durationem, et quod duratio sine rebus creatis, et æternitas sine Deo, nullo modo sint intelligibiles: his enim probe perceptis, facillime ad omnia argumenta responderi poterit; unde his diutius immorari non necesse arbitramur.

CAP. XI.

De Concurfu Dei.

Circa hoc attributum parum aut nihil dicendum restat, postquam ostendimus, Deum singulis momentis continuo rem quasi de novo creare; ex quo demonstravimus, res ex se nullam unquam habere potentiam ad aliquid operandum, nec se ad ullam actionem determinandas; hocque non tantum habere locum in rebus extra hominem, sed etiam in ipsa humana voluntate. Deinde etiam ad quædam argumenta huc spectantia respondimus; et, quamvis alia multa adferri solent, quia tamen præcipue ad Theologiam pertinent, iis hic supersedere animus est.

Attamen, quia multi sunt, qui concursum Dei admittunt statuuntque plane alio sensu, quam quo nos eum tradidimus; observandum hic est, ut eorum fallaciam facillime detegamus, id, quod antehac demonstravimus; nimirum quod tempus præsens nullam habeat connexionem cum tempore futuro (vide Ax. 10. part. 1.), hocque a nobis clare distincteque percipiatur. Atque ad hoc si modo probe attendatur, sine ulla difficultate ad omnia illorum argumenta, quæ ex Philosophia peti possunt, responderi poterit.

Verum, ne quæstionem hanc frustra attigerimus, ad eam in transitu respondebimus; qua quæritur, *an Dei conservatio aliquod accedat, cum rem determinat ad operandum*; atque ubi de motu locuti sumus, jam hujus respon-
Quomodo Dei conservatio se habeat in rebus determinandis ad operandum.
 sionem utcunque attigimus. Diximus enim, Deum eandem

quantitatem motus in Natura conservare. Quare si ad totam Naturam materiæ attendamus, illi nihil novi accedit; at respectu rerum particularium aliquo modo potest dici, illi aliquid novi accedere. Quod an etiam locum habeat in rebus spiritualibus, non videtur: nam illa ab invicem ita dependere non apparet. Denique, cum partes durationis nullam habeant inter se connexionem, possumus dicere, Deum non adeo proprie res conservare quam procreare; quare, si homo jam determinatam libertatem habeat ad aliquid agendum, dicendum est, Deum illo tempore eum ita creasse. Atque huic non obstat, quod humana voluntas sæpe a rebus extra se positis determinetur, et omnia vicissim, quæ in Natura sunt, a se invicem ad aliquid operandum determinentur: nam etiam illa a Deo ita determinata sunt. Nulla enim res voluntatem determinare, nec vicissim voluntas determinari, nisi a sola potentia Dei, potest. Verum quomodo hoc cum humana libertate non pugnet, sive quomodo Deus id efficere possit servata humana libertate, fatemur nos ignorare; qua de re jam sæpius locuti sumus.

Divisionem attributorum Dei vulgarem magis esse nominis quam rei.

Hæc sunt, quæ circa attributa Dei dicere decreveram; quorum nullam huc usque tradidi divisionem. Illa autem, quæ passim traditur ab Authoribus, nempe qua dividunt attributa Dei in incommunicabilia et communicabilia, ut verum fatear, magis videtur divisio nominis quam rei. Nec enim scientia Dei cum scientia humana magis convenit, quam canis, signum cœleste, cum cane, qui est animal latrans, et forte adhuc multo minus.

Autoris propria divisio.

Nos vero hanc damus divisionem. Attributa Dei alia sunt, quæ actuosam ejus essentiam explicant, alia, quæ quidem nihil actionis, sed ejus modum existendi exponant. Hujus generis sunt unitas, æternitas, necessitas, etc. Illius vero intelligentia, voluntas, vita, omnipotentia, etc. Hæc divisio satis clara et perspicua est, et omnia Dei attributa complectitur.

CAP. XII.

De Mente Humana.

Transendum jam est ad substantiam creatam, quam in extensam

et cogitantem divisimus. Per extensam, materiam sive substantiam corpoream intelligebamus. Per cogitantem vero, mentes humanas tantum.

Et, quamvis Angeli etiam creati sint, quia tamen Lumine Naturali non cognoscuntur, ad Metaphysicam non spectant. Eorum enim essentia et existentia non nisi per Revelationem notæ sunt, adeoque ad solam Theologiam pertinent; cujus cognitio cum sit prorsus alia, sive toto genere diversa a cognitione naturali, nullo modo cum illa miscenda est. Nullus igitur expectet, nos de angelis aliquid dicturos.

Angelos non esse Metaphysica, sed Theologica considerationis.

Redeamus ergo ad mentes humanas, de quibus jam pauca restant dicenda; sed tantum monendum, nos de tempore creationis mentis humanæ nihil dixisse, quia non satis constat, quo tempore Deus ipsam creat, cum sine corpore possit existere. Hoc satis constat, illam non esse ex traduce; nam id tantum locum habet in rebus, quæ generantur, nempe in modis alicujus substantiæ; substantia autem ipsa generari non potest, sed tantum a solo Omnipotente creari, ut satis in præcedentibus demonstravimus.

Mentem humanam non esse ex traduce, sed a Deo creari; at, quando creetur, nesciri.

De ejus vero immortalitate ut aliquid addam: satis constat, nos de nulla re creata posse dicere, quod ejus natura implicet, ut a potentia Dei destruat. Nam qui potestatem habuit rem creandi, etiam potestatem habet ipsam destruendi. Adde, quod jam satis demonstravimus, nullam rem creatam sua natura ne momento quidem posse existere, sed continuo a Deo procreari.

Quo sensu anima humana sit mortalis.

Verum, quamvis ita res sit, tamen clare et distincte videmus, nos nullam ideam habere, qua concipiamus substantiam destrui, sicut habemus ideas corruptionis et generationis modorum. Clare enim concipimus, ubi ad corporis humani fabricam attendimus, talem fabricam posse destrui; at non æque, ubi ad substantiam corpoream attendimus, concipimus ipsam annihilari posse. Denique Philosophus non quærit id, quod summa potentia Deus potest facere; sed de Rerum Natura ex legibus, quas Deus ipsis indidit, judicat; quare id judicat fixum ac ratum esse,

Quo vero sensu immortalis.

quod ex illis legibus fixum esse ac ratum concluditur; quamvis non neget, Deum illas leges et cætera omnia mutare posse. Quapropter nos etiam non inquirimus, ubi de anima loquimur, quid Deus facere possit, sed tantum, quid ex Naturæ legibus sequatur.

Illius immortalitas demonstratur.

Cum autem ex ipsis clare sequatur, substantiam nec per se, nec per aliam substantiam creatam destrui posse, ut jam antehac, ni fallor, abunde demonstravimus, mentem esse immortalem statuere cogimur ex legibus Naturæ. Et si rem adhuc penitius introspicere volumus, evidentissime demonstrare poterimus, illam esse immortalem. Nam, ut modo demonstravimus, animam immortalem esse, ex legibus Naturæ clare sequitur. Leges autem illæ Naturæ sunt decreta Dei Lumine Naturali relevata, ut etiam ex antecedentibus evidentissime constat. Decreta deinde Dei immutabilia esse, jam etiam demonstravimus. Ex quibus omnibus clare concludimus, Deum suam immutabilem voluntatem circa durationem animarum hominibus non tantum revelatione, sed etiam Lumine Naturali patefecisse.

Deum non contra, sed supra Naturam agere; et, quid hoc sit secundum autorem.

Nec obstat, si aliquis objiciat, Deum leges illas naturales aliquando destruere ad efficienda miracula; nam plerique ex prudentioribus Theologis concedunt, Deum nihil contra Naturam agere, sed supra Naturam; hoc est, ut ego explico, Deum multas etiam leges operandi habere, quas humano intellectui non communicavit, quæ si humana intellectui communicatæ essent, æque naturales essent quam cæteræ.

Unde liquidissime constat, mentes esse immortales, nec video, quid de anima humana in genere hoc in loco dicendum restet. Nec etiam de ipsius functionibus speciatim aliquid restaret dicendum, nisi argumenta quorundam Authorum, quibus efficere conantur, ut id, quod vident et sentiunt, non videant neque sentiant, me invitarent ad ipsis respondendum.

Cur aliqui putent, voluntatem non esse liberam.

Putant aliqui, se posse ostendere, voluntatem non esse liberam, sed semper ab alio determinari. Atque hoc inde putant, quia per voluntatem intelligunt quid ab anima distinctum, quod ut substantiam considerant, cujus natura in eo solo consistat, quod sit indifferens. Nos autem, ut omnem

amoveamus confusionem, rem prius explicabimus, quo factò facillime eorum fallacias argumentorum detegemus.

Mentem humanam diximus esse rem cogitantem; unde *Quid fit voluntas.* sequitur, illam ex sola sua natura, in se sola spectata, aliquid agere posse, videlicet cogitare, hoc est, affirmare et negare. Hæc vero cogitationes vel determinantur a rebus extra mentem positis, vel a sola mente; quandoquidem et ipsa est substantia, ex cujus essentia cogitante multæ actiones cogitativæ sequi possunt et debent. Actiones autem illæ cogitativæ, quæ nullam aliam sui causam agnoscunt, quam mentem humanam, *volitiones* vocantur. Mens vero humana, quatenus concipitur ut causa sufficiens ad tales actiones producendas, *voluntas* vocatur.

Quod autem anima talem potentiam habeat, quamvis *Dari voluntatem.* a nullis rebus externis determinetur, commodissime explicari potest exemplo asinæ Buridani. Si enim hominem loco asinæ ponamus in tali æquilibrio positum, homo non pro re cogitante, sed pro turpissimo asino erit habendus, si fame et siti pereat. Deinde etiam idem liquet ex eo, quod, ut antehac diximus, etiam de rebus omnibus dubitare, et non tantum ipsa, quæ in dubium revocari possunt, ut dubia judicare, sed tanquam falsa explodere volumus. Vid. Cartes. Princip. part. I. Art. 39.

Porro notandum, quamvis anima a rebus externis *Eamque esse liberam.* determinetur ad aliquid affirmandum aut negandum, non tamen ipsam ita determinari, ac si a rebus externis cogeretur, sed ipsam semper liberam manere. Nam nulla res habet potestatem ipsius essentiam destruendi; quare id, quod affirmat et negat, semper libere affirmat et negat, ut fati in quarta Meditatione explicatum est. Unde, si quis quærat, cur anima hoc aut illud vult, hoc aut illud non vult; ipsi respondebimus, quia anima est res cogitans, hoc est res, quæ ex sua natura potestatem habet volendi et nolendi, affirmandi et negandi; hoc enim est esse rem cogitantem.

Hic sic explicatis, argumenta adversariorum videamus. *Nec confundendam cum appetitu.*
I. argumentum tale est. *Si voluntas possit velle contra ultimum intellectus dictamen, si possit appetere contrarium*

bono, ab ultimo intellectûs dictamine præscripto, poteris appetere malum sub ratione mali. At absurdum est posterius; Ergo et prius. Ex hoc argumento clare videre est, ipsos non intelligere, quid sit voluntas; confundunt enim ipsam cum appetitu, quem habet anima, postquam aliquid affirmavit aut negavit; quod didicerunt a suo Magistro, qui voluntatem definivit, *appetitum sub ratione boni.* Nos vero voluntatem dicimus esse *to affirmare hoc bonum esse et contra*, ut jam antehac abunde explicuimus circa causam erroris, quem demonstravimus ex eo oriri, quod voluntas latius pateat quam intellectus. Si autem mens non affirmasset, id bonum esse, ex eo quod libera est, nihil appeteret. Quare ad argumentum respondemus concedendo, mentem nihil posse velle contra ultimum intellectûs dictamen, hoc est, nihil posse velle, quatenus supponitur nolle; ut hic supponitur, ubi dicitur ipsam aliquam rem judicasse malam, hoc est, aliquid noluisse. Negamus tamen, illam absolute id, quod malum est, non potuisse velle, hoc est, bonum judicare: id enim esset contra ipsam experientiam. Multa enim, quæ mala sunt, bona, et contra, quæ bona sunt, mala esse judicamus.

Nec aliquid esse præter ipsam mentem.

2. argumentum est (vel si mavis imum, quia huc usque nullum fuit): *Si voluntas ad volendum non determinetur ab ultimo intellectûs practici judicio, ergo seipsam determinabit. At voluntas seipsam non determinat, quia ex se et natura sua est indeterminata.* Hinc sic argumentari pergunt. *Si voluntas ex se et sua natura est indifferens ad volendum et non volendum, non potest a se ipsa determinari ad volendum: quod enim determinat, tam debet esse determinatum, quam est indeterminatum quod determinatur. At voluntas, considerata ut determinans seipsam, tam est indeterminata, quam est considerata eadem ut determinanda. Nihil enim ponunt adversarii in voluntate determinante, quod non idem sit in voluntate aut determinanda aut determinata; neque vero aliquid hic poni potest. Ergo voluntas non potest a se ipsa ad volendum determinari. Si non a se ipsa: Ergo aliunde.* Hæc sunt ipsissima verba Heereboordii Professoris Leidenfis *, quibus fatis ostendit, fe

* Vide ejus Meletemata Philosophica, ed. alt., Lugd. Bat. 1659.

per voluntatem non mentem ipsam intelligere, sed aliquid aliud, extra mentem aut in mente, veluti tabulam rasam omni cogitatione carentem, et capacem cuius picturæ recipiendæ; vel potius tanquam pondus in æquilibrio, quod a quolibet pondere in utramvis partem pellitur, prout pondus adventitium determinatum est; vel denique aliquid, quod nec ipse nec ullus mortalium ulla cogitatione assequi potest. Nos modo diximus, imo clare ostendimus, voluntatem nihil esse præter mentem ipsam, quam rem cogitantem vocamus, hoc est, affirmantem et negantem; unde clare colligimus, ubi ad solam naturam mentis attendimus, eam æqualem potestatem habere affirmandi et negandi; id enim, inquam, est cogitare. Si nos itaque ex eo, quod mens cogitat, concludimus, ipsam potestatem habere affirmandi et negandi; cur igitur causas quærimus adventitias efficiendi id, quod ex sola natura rei sequitur? At, dices, ipsa mens non magis est determinata ad affirmandum quam ad negandum; ideoque concludes, nos necessario causam quærere debere, qua ipsa determinetur. Sed ego contra arguor, si mens ex se et sua natura tantum esset determinata ad affirmandum (quamvis impossibile sit hoc concipere, quamdiu ipsam rem cogitantem esse cogitamus), tum illa ex sola sua natura tantum affirmare, nunquam vero, quamvis concurrant quotvis causæ, negare posset. Si vero neque ad affirmandum neque ad negandum determinata sit, neutrum facere poterit. Si denique ad utrumque habet potestatem, quod habere modo ostendimus, utrumque efficere poterit ex sola sua natura, nulla adjuvante alia causa; quod clare constabit iis omnibus, qui rem cogitantem ut rem cogitantem considerant; hoc est, qui attributum cogitationis a re ipsa cogitante, a qua non nisi Ratione distinguitur, nullo modo separant, quemadmodum adversarii faciunt, qui rem cogitantem ab omni cogitatione denudant, ipsamque ut materiam illam primam Peripateticorum fingunt. Quare ad argumentum sic respondeo, et quidem ad majorem: Si per voluntatem intelligit rem omni cogitatione spoliata, concedimus, voluntatem ex sua natura esse indeterminatam. At negamus, voluntatem esse quid omni cogitatione spoliatum, et contra statui-mus, esse cogitationem, hoc est, potentiam ad utrumque, nempe ad affirmandum et ad negandum, qua certe nihil aliud intelligi potest,

quam causa sufficiens ad utrumque. Deinde etiam negamus, quod, si voluntas indeterminata esset, hoc est omni cogitatione spoliata, alia aliqua causa adventitia, quam Deus infinita sua potentia creandi, ipsam determinare posset. Rem enim cogitantem sine ulla cogitatione concipere, idem est, ac rem extensam sine extensione concipere velle.

Cur Philosophi mentem cum rebus corporeis confuderunt.

Denique, ne opus sit, hic plura argumenta recensere, moneo tantum, Adversarios, quia voluntatem non intellexerunt, nec ullum clarum et distinctum mentis conceptum habuerunt, mentem cum rebus corporeis confudisse; quod inde ortum duxit, quia verba, quae ad res corporeas usurpare solent, ad res spirituales, quas non intelligebant, significandas usurparunt; assueti enim fuerunt, corpora illa, quae a causis externis æquipollentibus, et plane contrariis, versus contrarias partes propelluntur, quapropter in æquilibrio sunt, indeterminata vocare. Cum igitur voluntatem indeterminatam statuunt, ipsam etiam ut corpus in æquilibrio positum videntur concipere; et, quia illa corpora nihil habent, nisi quod a causis externis acceperunt (ex quo sequitur, illa semper a causa externa determinari debere), idem in voluntate sequi putant. Sed quomodo res se habeant, jam satis explicuimus, quare hic finem facimus.

De substantia vero extensa jam antehac satis etiam locuti sumus, et præter has duas nullas alias agnoscimus. Quod ad accidentia realia attinet, et alias qualitates, satis illa explosa sunt, nec opus est, iis refellendis tempus impendere; quare hic manum de tabula tollimus.

F I N I S.

STELKONSTIGE
RECKENING
VAN DEN
REGENBOOG,

*Dienende tot naedere samenknoping der Natuurkunde
met de Wiskonften.*

Cicero Tusculanarum quaestionum Lib. 1. in princ.

In summo apud illos honore Geometria fuit, itaque nihil Mathematicis illustrius. At nos metiendi ratiocinandique utilitate hujus artis terminavimus modum.

DAT IS

By haer, te weten by de Griecken, is de Meetkonst in zeer groot aenzien geweest. Zo datter niet uytmuntender was als de Wiskonstenaers; maer wy, namenslyck de Romeynen, hebben de mate van deze konst bepaelt met de nuttigheydt van meeten en van tellen.

AEN DEN LEZER. *

Alhoewelmen, Bescheyde Lezer, met deze Reeckeningh niet geerne de Geleerde zoude mishagen; zoo is eghter het vertrouwen, dat het voornaemste oogmerck van iet aen den dagh te brengen behoorde te zijn, om de ongeleerde te hulp te komen. Hier van heeftmen in deze landen voor de jonge lieden, die neerstigh willen zijn, de goede voorbeelden van de Heer Hudde, Burgemeester van Amsterdam, in zijne verkortinge der vergelijckingen, en vaste en algemeene Regels der grootste en der kleynste; van de Heer Huygens, voorwaer den Ooghappel van alle die geene, die deze Konstten beminnen, in verscheyde van zijne geestige en nogtans zeer doorwerkte Schriften; en van de Heer de Witt, in zijn leven Raedtsponaris van Hollandt, in zijne klare beschrijvinge der Kegelsneden, en waerde van Lijfrenten tegens Lofrenten. Waerom het te meer voor die geene, die geerne van een ieder, een weynigh leergierigh zijnde, zoude verstaen werden, geoorloft is, van het bekende een aenvang nemende allenskens op te klimmen, en met den Regenboogh als van den grondt te beginnen. By gelegentheydt dan, dat iemandt bezigh was met zigh te oeffenen in de zes

* Præmonenda, et si a nescio quo post Spinozæ mortem conscripta, ex editione Hagana anni 1687. ideo repetere volumus, quia faciunt ad libellum auctori nostro vindicandum. Nimirum hæcæ observationes, antequam ederentur, per decennum et amplius in angulo jacuisse, in iis affirmatur.

eerste Boecken van Euclides, zo heeftmen deze aanmerckingen, die volgens de lesse van Horatius meer dan tien jaren in een hoeck hadden gelegen, alleen het licht toevertrouwt met dit inzicht, op dat de aankomelingen zouden kunnen zien de nuttigheydt, en het gebruyck der beginselen, die zy zouden mogen hebben geleert, ende oock hoe zeer de kennisse der Stelkonst den geenen, die met deze sijne pinçelen Gods heerlijcke schepselen maer voor een kleyn gedeelte zoeken natebootzen, van noden is. Indien ghy hier door, Beminde Lezer, wert opgeweckt, om deze gemeenzame wyze van betraghtinge, en naevorsinge der natuurlijke reden niet te verwerpen: zo zal deze geringe proeve meer goeds veroorzaeckt hebben, als men zich zoude hebben derven beloven. Vaert wel.

RECKENING

VAN DEN


REGENBOOG.

Die geene, die een weynig kennisse hebben van de Wetenschappen, dienende om het gezigt, het edelste van onze uyerlijke zinnen, behulpsaem te zyn, ofte om het zelve te verlustigen, zijn niet onkundig, dat als de stralen van de Zon, ofte van het ligt scheefachtigh vallen op een vlack van glas, van water, ofte van eenige andere voghtigheyt, dezelve in 't begin van dat vlack niet meer recht, ofte volgens een reghte linie, maer schuyns ofte afgeschampt doorgaen, op dezelve wijze, gelijkmen by dagelijxze ondervindinge een stock ofte roeyriem in 't water, als gebroken ziet, en datmen dit breecken, ofte schampen der stralen hunne refractie noemt. Hun is mede niet onbekent, datmen aen de weerstuyl van dezelve stralen, wanneerze door de foelie, die achter een glas of spiegel is, ofte iet diergelijx, niet kunnen doorbreken, maer wederkeren, oock gewoon is te geven de naem van reflectie; waerom wy geen swarigheyt zullen maken zomtijts diergelijcke woorden, beter verstaen werdende, als de nederduytze, te gebruycken.

Dewijle dan den Regenboogh, dat heerlijk teeken des Verbonds voor de Godtsgeleerde, by de natuurkundige volgens de grontwetten, door Godt de Heere de geschapene dingen medegedeelt, wert geoordeelt veroorzaect te werden door de refractie en reflexie van de stralen van de Zon, vallende op een ontallicke menigte van kleyne droppelen waters: zoo is het zeer aanmerkens weerdigh voor de jonge liefhebbers der Wiskonsten, dat haeren groten voorganger de Heer Descartes niet alleen aenwijft, dat de onderste en voornaemste Regenboogh wert gezien door middel van twee refractien, en een reflexie, en de bovenste door twee refractien en twee reflexien, en daerom zich flaeuwer vertoont, als de eerste, of de voornaemste; maer daer en boven, dat hy oock door reeckeningh bepaelt, ende met redenen aenwijft, dat den grootsten hoeck, waer in de kleynste Regenboog kan gezien worden, of zijn halven middellijn niet groter kan zijn als 41 graden 47 minuten, en den alderkleynsten hoeck, waer in de grootste Regenboog kan gezien worden, of zijn halven middellijn niet klynder kan zyn, als 51 graden, 37 minuten. Dog om wat verder te gaen, 't is myns oordeels een aengename uytvindinge, die hy voortbrenght over het root, geel, groen, blaeuw en diergelijke couleuren van den Regenboog, maer byzonder zietmen daer uyt een merckteeken van zynen aerdigen geest, als hy reden geeft, waerom de rode couleur wert gezien aen de bolle ofte de uytwendige zyde van den ondersten Regenboog, en aen de holle, ofte de inwendige zyde van de bovenste, te weten, om dat hy, onderzocht hebbende de wetten van de schaduwe en het light, be- toont, dat het middelpunt van ieder droppel waters, alwaer de grootste schaduwe, of dichte is, komt boven de refractie der stralen, die tot ons oogh komen in den onderste Regenboogh, en dat daerom de krachtigste couleur te weten het root is onder de schaduwe, namentlijk aen de bolle zyde, maer dat in den grootsten Regenboog, het middelpunt van ieder droppel waters komt onder de refractie, die tot ons oogh komt, en dat daerom het root komt boven de schaduwe, te weten aen de holle zyde.

Maer vermits hy voor de beminnaers der Stelkonst, nae zijne gewoonte, verborgen hout, op wat wyze hy de twee regels der


refractien, waer door hy zyn tafel heeft uytgereekent, en die hy blotelyck ter neder stelt, heeft gevonden; zoo zullen wy dezelve hier kortelyck Stelkonstigh bewijzen, dies wy een glaze Bol ofte grote droppel waters vertonen, met den cirkel $A F D G K B Z$, waerinne genomen zynde zekere lengte voor de linie $H F$ verders gevonden werdt de linie $C I$, en bygevolge mede de bogen $F G$ en $F K$, en eyndelyck ook mede de hoeken $O N P$ en $X Q R$ op de volgende wijze.



Onderfelt zijnde, dat verscheyde stralen komende uyt het lighaem der Zonne, waer van hier een is afgebeeldt, met de linie $Y F$, evenwydig zyn met de middellyn $A B$, en dat de halve middellyn $C D$ zy gedeelt in 10000 delen, en dat de voorsz $Y F$ 9000 diergelijke deelen verre is van de voorsz. middellyn $A B$, ofte de wyte van $H F$: wy willen weten, hoe groot eerft, $H F$ gegeven zynde, zal zyn de linie $C I$, daer nae de grote van de bogen $F G$ en $F K$,

en eyndelijck in wat voor een hoeck wy dezelve strael, nae een reflexie in K en twee refractien in F en N zullen kunnen zien in P, en oock nae twee refractien in F en Q en twee reflexien in K en N zullen kunnen zien in R, dat is, wy willen weten de grote van den hoeck O N P, en de grote van den hoeck X Q R.

Om dan voor eerst te vinden de lenghte van de linie C I, dewyle ick wete, dat de reden van de refractie van het water is als 250 tegens 187, zoo moet H F tot C I, zijnde de twee linien, die de refractie afmeten, oock dezelve reden hebben. Ick zegge mitsdien volgens den regel van dryen 250, geeft 187, wat geeft 9000, ofte H F? ende komt voor C I 6732. Dog om nu mede te bewijzen,



dat de linien H F en C I de refractie van het water afmeten, zoo stelle ick voor de strael, in de nevensgaende figuur, O F, ende in het punt F, van waer de refractie gact naer K, trecke ick een raecklijn, raeckende den Cirkel A F B in F; dewijle nu volgens de leere van Descartes in zijn tweede Hoof-

stuk van de Verhandelinghe der Verrekijkers, O P en R L, deze refractie afmeten: zoo zullen H F en C I mede deze refractie afmeten: om dat H F is even zoo groot als O P, en C I even zo groot als R L, want dewijle van de dryhoecken P O F en H F C de zyden O F en F C gelijk zyn, ofte even groot, te weten halve middellynen van twee gelijke cirkels, den reghten hoeck O P F mede gelijk aen den rechten hoeck F H C, en den uytwendigen hoeck O F P mede gelijk aen den inwendigen hoeck H C F; zoo volgt ¹, dat de linien O P en F H mede elkanderen gelijk zijn. Op gelijke wijze wert mede betoont, dat de linien R L en C I elkanderen gelijk zijn. Vermits nu de linien O P en R L de refractie afmeten, zo zullen dan mede

¹ Door de 6ste van 't Eerste.

de linien $F H$ en $C I$ de refractie afinsten. 't Welk stonde te bewijzen.

Ten tweeden, wederom naegezien werdende de groote figuur, als deze linien $H F$ en $C I$ gevonden zijn, zoo vintmen ook lichtelijck de bogen $F G$ en $F K$. Want als men het vierkant van $H F$ aftrekt van het vierkant van den halven middellijn $C F$, zoo bekomtmen een vierkant, wiens wortel is de sinus of den hoeckmaet van den boog $F D$, ofte den hoeck $F C D$, welke wortel is ruym 4358. Dit getal over een brengende met de Tafelen van Lantsbergen, van van Schoten, ofte van ymandt anders, zo bevintmen voor $F C D$ een hoeck van 26 graden 50 minuten, ofte om nogh naeder te komen van 26 graden 50½ minuten, waervan het dobbel is de boog $F G$, ofte 51 graden 41 minuten. Op dezelve wyze wert de boogh $F K$ mede bevonden te zyn 96 graden 22 minuten. 't Welck wy alleen uyt de driehoekmeeting hebben willen aenwyzen.

Maer om ten derden te komen tot het vinden van de hoecken $O N P$ en $X Q R$, dat is om te vinden, ¹ de halve middellijnen, ofte de hooghtens van beyde de Regenbogen, gelijkmen zich lichtelijck kan verbeelden door het verlengen van de linien $N P$, en $Q R$, en uyt P en R hare eynden, ofte het ooggh des aenschouwers, evenwydige te trekken, met de middellijn $A B$: zo is den

*Ziet de
Figuur van
den Regen-
boog in
Descartes.*

EERSTEN REGEL.

Datmen om te bekomen den hoeck $O N P$, ofte den halven middellijn, dat is, de hooghte vande kleinſten Regenboogh, den boogh $F G$ moet optellen met 180 graden, en daer van afstrecken het dobbel van den boogh $F K$.

WERKING EN BEWYS.

Om dezen regel, die Descartes met lange en klare woorden heeft bekleedt, gelijkmen doen moet, als men schrijft voor de geene,

¹ Door de agfte van 't Eerste.

die met het enkel gebruyck te vreden zyn, en die hy nochtans voor die geene, die gerne den grondt, of de reden van alles weten, heeft verduyftert, te brengen, ofte te stellen in stelkonfinge termen: zo neme ik a voor een winkelhaeck, of reghten hoeck, ofte een boog van 90 graden, b voor de boog F G, c voor de boogh F K, want deze twee bogen te voren gevonden zijnde, zijn bekend, x voor den hoek O N P, en y voor den hoek G F K, die wy noemen den hoeck der refractie, en die volgens de gegeve bogen t'elkens verandert, zo is dan volgens den voorgestelden regel den hoeck O N P ofte $x = b + 2 a - 2 c$. Om dit nu uytte vinden, ende te bewyzen, zo neme ik x voor den hoeck O N P, en y voor den hoeck P N M, zynde mede den hoeck der refractie, zo is dan den hoeck O N M = $x + y$. Laet nu mede voltooyt werden den driehoek F L K, zo zal dan den hoeck F L K ¹ mede zijn $x + y$. Het is nu verder openbaer, dat den hoeck F K L mede is = c , gelijk wy ten dienste van de onervarene nader hier onder bewyzen, en den hoeck L F K = y : zo is ² dan $x + 2 y + c = 2 a$, en mitsdien x of O N P = $2 a - 2 y - c$. Nu den boogh G K, zynde het verschild der bogen F K en F G, te weten $c - b$, ofte den hoeck G C K getrocken tot het middelpunt, is ³ eens zoo groot als den hoeck G F K getrocken tot den omtrek; zo is dan G F K = $\frac{c-b}{2}$, maer G F K was gestelt = y , zo is dan $y = \frac{c-b}{2}$, en $2 y = c - b$, en $- 2 y = - c + b$. Deze $- c + b$ dan in de bovengemelde vergelijkingh gestelt zynde in de plaats van $- 2 y$, zo komt O N P ofte $x = b + 2 a - 2 c$, gelijk volgens den regel was gestelt, en 't welk wy moesten bewyzen.

Indien nu verders iemand moghte twyffelen, dat den hoek F K L, als mede den hoek Q N M even zo groot is, als den boogh F K, ofte c , te weten, als den hoeck F C K, daer van is het bewijs aldus. De hoecken C F K, en C K F elkander gelijk wezende ⁴, om den ghelijckbeenigen drie-hoek C K F; zo volgt, dat zy tsamen even

¹ Door de 29ste van 't Eerste.

² Door de 20ste van 't Derde.

³ Door de 32ste van 't Eerste.

⁴ Door de 5de van 't Eerste.

zoo groot zyn als van ieder het dobbel, te weten den hoeck FKN^1 ; maer de hoecken CFK , en CKF maken met den hoeck FCK^2 , ofte c , 180 graden, of twee reghte; en FKN , die dezelve twee hoecken gelijk was, maect met FKL oock 180 graden, ofte twee reghte ³: zoo volgt dan, als men van deze gelijke dingen, gelijke dingen afneemt, dat hunne resten FCK , en FKL mede zullen gelijk zyn ⁴, te weten beyde gelijk c ; 't welk stonde te bewijzen. Verders bewijstmen zeer lichtelijk mede, dat QNM even zoo groot is, als FKL , waeromme die mede is $= c$.

TWEEDEN REGEL.

Datmen, om te bekomen den hoeck XQR , of den halven middellyn, dat is de hooghte van den grootsten Regenboog, den gevonden hoeck ONP moet afreucken van den boogh FK .

WERKING EN BEWYS.

In stelkonstige termen is dan den hoek $XQR = c - x$, en is het bewijs daer van aldus. Den hoek QNM is hier boven aangewezen te zyn $= c$, en $ONM = x + y$, zo is dan $QNO = c - x - y$, en by gevolge ⁵ mede $XQT = c - x - y$. Doet hier nu by den hoeck der Refractie TQR , of y , zo komt voor den hoeck $XQR = c - x$, 't welk stonde te bewyzen.

Mijn Heer de Sluze, in zyn leven Canonik vande Cathedrale Kerk tot Luyck, en geheymen Raedt van den Prince der voorfz Stadt, zynde geweest een vande gaeufte en geleerfte mannen van deze eeuwe, in alle wetenschappen, heeft naderhandt aangewezen ⁶, datmen alle deze linien, bogen, en hoecken oock meetkonstig kan vinden, te weten, dat den hoeck ONP altijd is gelijk aen het dobbel van den hoeck KCB , en datmen derhalven, om mede den

¹ Om d'eygenfchap der Reflectie.

² Door de 13de van 't Eerfte.

³ Door de 29fte van 't Eerfte.

⁴ Ziet de 12de leffe van Barrow over de Gezigtkonst.

⁵ Door de 32fte van 't Eerfte.

⁶ Door de 3de gem. bek. van 't Eerfte.

hoeck XQR te vinden, het voorz. dobbel van KCB van den boogh FK moet aftrecken. 't Welk ick kortelijck aldus bewijze.

Laet den hoeck KCB, of de boogh KB zijn = z , wy moeten dan betonen, dat $2z$ is = x . ONM was hier voren = $x + y$, zo is dan ¹AWN en KWV mede = $x + y$, den hoeck KVV is = y , om de evenwydige linien YL en AV, zo is dan mitsdien den uytwendigen hoeck FKN ² = $x + 2y$. Verders zo is den uytwendigen hoeck ³FKC = $z + y$, maer FKN is het dobbel van FKC, zoo is dan FKN = $2z + 2y$: maer FKN was hier boven mede = $x + 2y$, zo is dan by gevolge $2z + 2y$ oock = $x + 2y$. Neemt ten wederzyden wegh $2y$, zo komt $2z = x$, 't welk stonde te bewyzen.

Ofte wel aldus, gelijk my door een groot liefhebber is getoont. Den boogh KB ofte z is = $a + \frac{1}{2}b - c$. Want BD is = a , DF = $\frac{1}{2}b$, van beyde genomen FK ofte c , zoo is KB ofte $z = a + \frac{1}{2}b - c$. Dit ten wederzyden verdobbelt, zo is $2z = 2a + b - 2c$: maer volgens den eersten regel van Descartes was x mede = $2a + b - 2c$, zo is ³ dan $2z$ mede = x . 't Welk wy mosten bewyzen.

Nu hier voren is in den tweeden regel bewezen, dat den hoeck XQR is gelijk $c - x$, zo is dan ook den zelve hoeck XQR gelijk $c - 2z$, en bygevolge moetmen van den boog FK alleenlijck aftrecken den boog KZ.


Den boogh KN dan mede zynde zo groot als den boogh FK, ofte c , dat is 95 graden 22 minuten, zo bekomtmen volgens de twee voor gaende Regels, voor x , of den hoeck ONP, dat is den boog KZ = $2a + b - 2c$, 40 graden 57 minuten; Ende voor XQR, ofte den boog ZN, dat is $c - 2z$, 54 graden, 25 minuten.

Men ziet dan klaerlijck uyt het voorgaende, dat den boogh KN ofte c , zoo groot is, als beyde de Regenbogen, en dat, als men dezelve boogh KN in twee gelyke deelen deelt in Z, KZ ofte $\frac{1}{2}c$ zoo groot is als twee halve Regenbogen, en dat mitsdien KB ofte z

¹ Door de 29ste en 15de van 't Eerste.

² Door de 32ste van 't Eerste.

³ Door de 1ste gem. bek. van 't Eerste.



net de helft is van den onderften Regenboogh, of den hoeck ONP; en BZ zynde $\frac{1}{4} c-z$ net de helft is van de bovenfte Regenboogh, ofte den hoeck XQR, waer uyt dan vloeyt de oplossing van twee vermaeckelijke Werkftucken, waer van wy in 't begin iet hebben gefproken, te weten, hoemen den aldergrooften onderften Regenboogh, die in zyne groote bepaelt is door de fchaduwe van boven, en den alderkleynften bovenften Regenboogh, die in zyne kleynthe bepaelt is door de fchaduwe van onderen, zal kunnen vinden.

Want, als de reden van de refractie in de Werckftucken wert ingefloten, en door de behendigheyt der Stelkonft, en den Regel van de Heer Hudde wert gevonden den grooten finus van den boogh KB en wederom den kleynften finus van den boogh BZ, ofte wel den kleynften en grooten finus van hunne fchilboogen: zo onderfoekt den Oeffenaer van deze konft door het bepalen van deeze bogen op het papier, op welke hooghte figh den grooten onderften

Regenboogh, en de kleynfte bovensten Regenboogh aen den Hemel zal vertonen.

Maer dewyle wy voor de kleyne moeyte, die wy hebben genomen, deze vrucht hebben genoten, dat de oploffinge hier van, ons van goeder handt is toegekomen, ende wy de nieuwelingen aen d'eene zyde niet geerne te veel zouden befwaren; zoo willen wy aen d'andere zyde den ervaren Lezer het vermaek niet benemen, van de ontbindinge van deze en meer andere Vragen, die wy hier zouden kunnen byvoegen, door de Hoeckmaets Tafelen, en hare Logarithmen, zelfs te zoeken, en te vinden.

REECKENING
VAN
KANSEN*.

VRAEG-STUCKEN.

I. *A. en B. speelen tegens malkanderen met 2 Steenen, op deze Conditie, dat A. zal winnen als hy 6. oogen werpt, maer B. zal winnen, als hy 7 oogen werpt. A. zal eerst eene werp doen, daer nae B. twee werpen achtervolgens, dan weder A. twee werpen, en zoo voorts, tot dat d'een of d'ander zal winnen. De vrage is in wat reden de kans van A. staet tegens die van B? Antwoort als 10355. tot 12276.*

II. *Drie Speelders A. B. en C. nemende 12. schijven van de welke 4 wit zijn en 8 swart, speelen op die Conditie, dat die van haer eerst blindelingh een witte zal gekozen hebben, winnen zal, en dat A. eerst zal nemen, dan B. de tweede, en dan C. en dan wederom A. en zoo vervolgens met beurten. De vrage is in wat reden haere kansen staen tegens malkander?*

III. *A. wed tegens B. dat hy uyt 40. kaerten, dat is 10. van ieder soort 4. kaerten wyttrecken zal zoo dat hy van elke soort 1. zal*

* *Problemata hæc ad Probabilium calculum pertinentia post utrumque exemplum Tractatuli de Iride hodie notum inveniuntur, et si typis paulo diversis expressa, paginisque seorsum numeratis. Cf. supra pagg. 145 sqq. Epist. XXXVIII.*

hebben. Hier wert de kans van *A.* tegens die van *B.* gevonden als 1000. tegens 8139.

IV. Genomen hebbende gelijk hier te vooren 12. schijven 4. witte en 8. swarte, zoo wed *A.* tegens *B.* dat hy blindelings 7. schijven daer uyt zal nemen, onder welke 3. wit zullen zijn, men vraeght in wat reden de kans van *A.* tegens die van *B.* staet?

V. *A.* en *B.* genomen hebbende elck 12. penningen speelen met 3. dobbelsteenen op deze Conditie, dat als 'er 11. oogen geworpen worden, *A.* een penninck aen *B.* moet geven, maer als 'er 14. geworpen worden dat dan *B.* een penninck aen *A.* moet geven, en dat hy het spel winnen zal, die eerst alle de penningen zal hebben. Hier werd gevonden de kans van *A.* tegens *B.* te zijn als 244140625 tot 282429536481.

EERSTE VRAEG-STUCK.

A. en *B.* speelen tegens malkanderen met 2 steenen op dese Conditie, dat *A.* zal winnen als hy 6 oogen werpt, maer *B.* zal winnen als hy 7 oogen werpt. *A.* zal eerst eene werp doen, daer na *B.* twee werpen achtervolgens dan weder *A.* twee werpen, en zoo voorts tot dat d'een of d'ander zal winnen. De vrage is in wat reden de kans van *A.* staet tegens die van *B.*? Antwoort als 10355. tot 12276.

Om deze vrage te beantwoorden, zoo klove ick dezelve volgens den tweeden regel van de Denckonst van de Heer Descartes, in deze twee volgende voorstellen.

EERSTE VOORSTEL.

B. en *A.* speelen tegens malkander met 2 Steenen op die Conditie, dat *B.* zal winnen als hy 7 oogen werpt, en *A.* als hy 6 oogen werpt, mits dat ieder zal doen twee werpen na malkander, en dat *B.* eerst werpen zal, haer kanssen zijn

$$\begin{array}{r} B \qquad A \\ 14256 \qquad 8375 \\ \hline 22631 \end{array}$$

WERKING EN BEWYS *.

Laet de kans van A weert zijn x , ende het geene ingezet is, ofte de pot, zy genoemt, a , zo is dan de kans van B weert $a-x$. Het blykt ook in dit geval, dat elkemaal, als de beurt van B wederkomt, de kans van A dan weder x moet weert zijn, maer zoo dikmaels, als het de beurt van A is om te werpen, zoo moet zyn kans meerder weert zijn. Laet ons y stellen voor het geene, datze dan weert is. Overmits nu, dat B eerst moet werpen, en datter ten eersten 6 werpen op 2 steenen zijn, van de 36 werpen, die hem 7 oogen kunnen geven, zoo wert gevonden, dat hy in die twee reyzen, die hy werpen mach, de redens verkort zijnde, 11 kanffen heeft tot a , ofte om te winnen, en 25 die hem doen misfen, dat is, die de beurt van A doen komen, zoo heeft dan A by gevolge, als B begint te werpen 11 kanffen tot 0, ofte om te verliezen, en 25 kanffen, om te hebben y , te weten, dat het zijn beurt wort om te werpen. Het welk aen A zoo veel weert is, als $\frac{25}{36} y$; maer daer is gestelt, dat de kans van A van eersten aen x weert was, zoo is dan $\frac{25}{36} y = x$, en daerom $y = \frac{36}{25} x$. Om nu de weerde van y noch op een andere wyze te vinden, zoo is het zeecker, dat A zullende werpen 5 kanffen heeft tot a , ofte om te winnen, om datter 5 kanffen zijn van 36, die hem 6 oogen kunnen geven, 't welk uytgereeckent zijnde, zoo wert bevonden dat A in twee werpen 335 kanffen heeft tot a , ende 961 om de beurt van B te doen wederkeeren, dat is, om voor zich zelve te hebben x , 't welk zoo veel is, als $\frac{335}{1296} a + \frac{961}{1296} x$; dit dan zijnde = y ende te voren gevonden zijnde $\frac{36}{25} x = y$, zoo moet $\frac{335}{1296} a + \frac{961}{1296} x$ gelijk zijn aen $\frac{36}{25} x$, waer uyt gevonden wert $x = \frac{8375}{22631} a$, het welk de weerde is van de kans van A, en dienvolgens zal de kans van B $\frac{14256}{22631} a$ weert zijn, zoo dat de kans van A staet tegens die van B als 8375 tegens 14256, en omgekeert, die van B tegens A als 14256 tegens 8375. Hetwelk wy moesten bewijzen.

* Cf. supra pagg. 515 et 517.

TWEEDE VOORSTEL.

A Speelt tegens B als in 't vraeghsuck is vermeldt. Haer kanffen
zijn

$$\begin{array}{r} A \quad \cdot B \\ 10355 \quad 12276 \\ \hline 22631 \end{array}$$

WERKING EN BEWYS.

Dewijle A 5 kanffen heeft tot a , ofte om te winnen, en 31 kanffen, om te missen, dat is, om te geraeken in het geval van 't eerste voorstel, hem weerdig zijnde $\frac{8375}{22631} a$: zoo heeft hy dan 5 kanffen tot $\frac{22631}{22631} a$ op dat ik alles brenge tot een gelijke noemer, en 31 kanffen tot $\frac{8375}{22631} a$.

$$\begin{array}{r} 22631 \} \text{ver.} \quad 8375 \} \text{ver.} \quad 22631 \} \text{ver.} \\ 5 \} \text{meen.} \quad 31 \} \text{meen.} \quad 36 \} \text{meen.} \\ \hline 113155 \quad 8375 \quad 135786 \\ 25125 \quad 67893 \\ \hline 259625 \} \text{Op-} \quad 814716 \text{ beyde de Kanffen.} \\ 113155 \} \text{getelt.} \quad 372780 \text{ afgetrocken de Kans van A} \\ \hline 372780 \text{ De Kans van A} \quad 441936 \text{ voor de Kans van B.} \end{array}$$

Beyde gedeelt } Komt 10355. voor de Kans van A.
 door 36. } 12276 voor de Kans van B.
 } 't Welck stonde te bewijfen.

C O M P E N D I U M
G R A M M A T I C E S
L I N G U Æ H E B R Æ Æ .

A D M O N I T I O

AD

L E C T O R E M.

Grammatices Linguae Hebraeae Compendium, quod hic tibi, Benevole Lector, offertur, Auctor rogatu Amicorum quorundam suorum, Linguae Sanctae perstudiosorum, conscribendum suscepit; utpote quem, ab incunatae aetate ea imbutum, postea per multos annos ei sedulo operam dedisse, ejusque genium penitus perspectum habere, in eaque versatissimum esse, probe noverant; et noscent omnes, qui, ejus gnari, hoc qualecunque scriptum, quod intempestiva Auctoris morte, ut plura ejus alia, imperfectum remansit, pervolvere non dedignabuntur. Quale quale sit, ejus te, Benevole Lector, participem facimus, tibi que et Auctoris laborem et nostrum de te bene merendi studium pergratum fore, nulli dubitamus.

C O M P E N D I U M
G R A M M A T I C E S
L I N G U Æ H E B R Æ Æ .

CAP. I.

De Literis et Vocalibus in genere.

Quoniam linguæ cujusque fundamenta literæ et vocales sunt, dicendum ante omnia nobis est, quid apud Hebræos litera, quidque vocalis sit. *Litera* est signum motus oris eo loco facti, unde sonus ore editus audiri incipit. Ex. gr. א significat, principium soni in gutture audiri ex ipsius apertura; ב autem, principium soni in labiis ex eorum apertura audiri; ג vero, in fine linguæ et palati, etc. *Vocalis* est signum indicans certum et determinatum sonum. Unde intelligimus, vocales apud Hebræos non esse literas; et ideo apud Hebræos vocales *literarum animæ* appellantur, et literæ sine vocalibus *corpora sine anima*. Verum, ut differentia literarum et vocalium clarius intelligatur, explicari ea commodius potest exemplo *fistulæ digitis ad canendum pulsatæ*. Sonus namque *fistulæ* vocales illius musicæ sunt, foramina vero digitis pulsata *ejus literæ*. Sed de his fatis.

CAP. II.

*De Literarum figura, potestate, nominibus, classibus,
et proprietatibus.*

Hebræi literas viginti duas habent, quarum figura et ordo apud antiquissimos scriptores receptus hic est,

א ב ג ד ה ו ז ח ט י , etc.

- א nulla alterius linguæ Europææ literâ potest explicari. Significat, uti diximus, apertionem gutturis. Ejus nomen est Alef.
- ב *b* nomine Bet.
- ג *g* Gmel; si sine puncto sit, lenis est.
- ד *d* Dalet, sine puncto lenis.
- ה appellatur He. Significat, principium soni esse in profundiore parte gutturis.
- ו *v* Vau, et etiam U; et credo, ab antiquis nunquam aliter pronunciarum fuisse; nec tamen vocalis est, sed litera indicans, soni principium in labiis audiri.
- ז *z* Zain.
- ח *gh* Ghet.
- ט *t* Tet.
- י Jot. Significat, principium soni audiri in medio linguæ et palati, et sicut *u*, ita *i* absque sono valet.
- כ *k* Kaf, si punctum in medio habet; alias vim habet *ch*, sive Græcorum *k*.
- ל *l* Lamed.
- מ *m* Mem.
- נ *n* Nun.
- ס *s* Samech.
- ע *hg* Hgain.
- פ *p* Pe, si punctum in medio habeat; alias vim habet ut *ph*.
- צ *ts* Tsade.
- ק *kh* Khof.
- ר *r* Refsch, lene in medio, asperum in initio dictionis.
- ש *sch* Schin, si punctum sit supra crus dextrum; si supra sinistrum sit, idem est ac Samech.
- ת *th* [Thau,] lene; cum puncto autem vim habet ut *t*.

Ex his quinque notandæ sunt literæ, quæ aliter in principio vel medio, aliter in fine dictionis exarantur, nempe כמנפצ. Kaf enim, si in fine dictionis occurrat, ejus crus inferius sic producitur ך; Mem autem inferius clauditur, ut ם; reliquæ tres ut כ sic producuntur ך ך ך. Denique solent etiam Hebræi brevitatis causa ׀ et ל sic componere ׀.

Atque hic ille character est Syriacus, quem Hgezras præ antiquis Hebræis literis elegit, et quem Pharisei superstitiose in suis sacris imitantur. Verum auctores alio characterē frequentius utuntur, vide Buxtorf. Thesaur.

Porro literæ a Grammaticis non sine magno usu in quinque classes dividuntur, nempe in Gutturales, Labiales, Dentales, et in literas Linguæ, et Palati. אהחע ahaghahg Gutturales vocatur, בומף bumaph Labiales, גיכך gicakh palati sunt literæ, דטלנח datlenath linguæ, זפצרש zaftserasch dentium.

Unaquæque litera in medio dictionis vocalem vel longam, vel brevem, vel brevissimam habere debet, exceptis his quatuor אהוי chevi, quæ propterea *mutæ* vel *quiescentes* appellantur.

Hinc fit, ut, quando consonans inter duas vocales debet duplicari, non expresse duplicetur, sed duplicanda puncto tantum, quod דגש dagesch appellatur, notetur, ut פֿקֿד loco פֿקֿדך pikked.

Gutturales inter duas vocales duplicari nequeunt, quia certam aperturam gutturis et modum spirandi indicant; adeoque, ut apud Latinos litera H, ita apud Hebræos gutturales duplicari inter duas vocales non possunt. Litera autem ך r, quia in medio dictionis semper lenis est, non solet etiam inter duas vocales duplicari, et propterea hæc quinque literæ אהחע punctum dagesch in medio nunquam habent. Deinde notandum, quod tametsi omnis litera inter duas vocales duplicanda puncto dagesch notari debeat, non tamen vice versa omne dagesch indicat literam duplicandam esse. Puncta enim etiam inserviunt ad literas בְּגַדְכֶּפֶת begadkephat ex lenibus in asperas mutandum, ut suis locis notavimus. Inscribitur denique punctum aliquando literæ ה in fine dictionis occurrenti ob rationem suo loco dicendam, at tum non dagesch, sed מַפִּיק mappikh appellatur.

Literæ ך׳ ך׳ ך׳ ך׳ initio dictionis asperæ sunt, hoc est, dageschantur; nisi ultima præcedentis dictionis sit una ex quiescentibus. Nam tum plerumque lenes sunt, nisi quiescens sit ה cum mappik, vel præcedens dictio, in quiescentem desinens, magnum habeat accentum. Denique litera ejusdem organi sæpe in scriptura una pro alia usurpatur, et א pro ע, ד pro ו, ב pro פ, ט pro ת, etc. Quod puto inde evenisse, quod Scriptura ab hominibus diversæ dialecti fuit scripta, et quod jam dialecti non dignoscantur, cujus scilicet tribus hæc vel illa dialectus fuerit. Quod autem hæc lingua hoc commune cum reliquis habuerit, constat ex ipsa Scriptura. Nam Ephraizם ם Samech pro ן ubique usurpabant, quæ sane literæ ejusdem organi sunt. Quare, quamvis in Sacris Literis literam alicujus pro alia ejusdem organi sæpe sumi constet, non tamen id imitari jam licet. Nam quid hoc aliud esset, quam dialectos confundere.

CAP. III.

De Vocalibus; de earum scilicet figura, nomine, potestatibus, et proprietatibus.

Vocales, uti diximus, apud Hebræos literæ non sunt, sed veluti literarum animæ. Eæ igitur vel subintelliguntur, vel punctis literis adjectis exprimuntur hoc modo:

- כ Si linea sub litera ducatur, id significat post literam sonum *a* audiri, qui vocatur פתח *pathagh*. Si autem linea cum puncto, significat sonum compositum ex *a* et *o*, et vocatur קמץ *khamets*. Si tria sint puncta, sonus *e*, vel qui magis accedit ad Græcorum η significatur, qui vocatur סגול *segol*.
- כ Si tantum duo juxta invicem posita, significatur sonus ex *a* et *i* compositus, qui vocatur צרי *isere*. Si autem supra invicem, sonus significatur brevior *e*, et vocatur שׁוּא *scheva*. Deinde, si unicum tantum punctum literæ subscribatur, significatur sonum exaudiri ut *i* post literam, qui vocatur הִירֵק *ghirekh*.
- כ At, si supra superiorem literæ apicem superscribatur, sonus significatur ut *o* et vocatur הֹלֵם *holem*. Si tria fuerint sub litera puncta, tanquam in linea ad angulos obliquos cum litera ducta, et versus dextram inclinante, sonus significant ut upsilon υ,

et vocatur קבוץ *kibbuts*. Denique, si literæ addatur vau punctum habens in medio, significatur sonus ex *o* et *u* compositus, sive a Græcorum, et vocatur שוּרֵק *schurekh*.

Diphthongus *ai* notatur per patagh, et post ipsum י *jot*, ut דְּבָרַי *debarai*, nisi accentus magnus fuerit, de quo in sequenti Capite. Diphthongus *au* notatur ꝛ *khamets*, quem *jot* et vau sequitur, ut דְּבָרָיו *debarau*, et etiam cum patagh, ut קוֹ *khau* (linea); Judæi tamen Lusitani pronunciare solent *debarav*. *Eu* denique exprimitur cum vau post *tsere*, ut שָׁלוֹ *schaleu*. Num præter has alias habuerint, non possum certo dicere, quia modum pronunciandi antiquorum magna ex parte ignoramus.

Omnis vocalis sive sonus semper post literam auditur, nisi in fine dictionis una ex tribus gutturalibus הֶרַע occurrat post *tsere*, *ghirek*, vel *gholem*, vel *schurekh*. Nam tunc punctantur - patagh, quod ante literam auditur, quodque propterea a Grammaticis *furtivum* appellari solet, ut שְׁמַע *schomeahg*, גְּבוּהָ *gaboah*, פְּתוּחָ *pathuagh*, etc.

Exigit sæpe usus, ut litera aliqua inter duas vocales ob certas causas duplicari debeat; atque hoc diximus notari inscribendo literæ duplicandæ punctum *dagesch*; et sæpe fit, ut litera, quam usus linguæ exigit ut duplicetur, sit una ex gutturalibus, quæ duplicari nequeunt, ut Capite II. monuimus. Quando ergo hoc contingit, tum vocalis antecedens mutatur hoc modo. Nempe si vocalis literæ gutturali duplicandæ antecedens sit - patagh, tum punctum *dagesch*, quod literæ gutturali inscribi deberet, sub - patagh ponitur, et fit ꝛ *kamets*, ut הָעוֹבֵר *hahgober* loco הַעוֹבֵר *hahgober*: in nominibus autem ante ה et ע mutantur etiam - pathagh in ם *hehganan* loco הָעֵנָן *hahganan*. Si *ghirek* fuerit, additur ei punctum, et fit ם *tsere*, ut מֵהֵם *mehem* loco מִהֵם *mihhem*. Si denique *kibbuts* ם vocalis literæ gutturali duplicandæ antecesserit, vel in ם *gholem*, vel in ם *schurek* mutatur. Sed hoc non tam universaliter, quin etiam aliquando immutata reperiatur; imo literam ם post *kibbuts* duplicari patiat. Atque ex his patet, cur vocales ꝛ *kamets*, ם *tsere*, ם *segol*, ם *gholem* et ם *schurekh* nunquam occurrant ante literam inter duas

vocales duplicandam, hoc est ante punctum dagefch, quod literæ duplicandæ inservit.

Syllabæ commode dividuntur in longas et breves; nempe - patagh est *a* breve, † khamets autem syllaba est longa et brevis. Potestatem enim habet vel ut *a* longum, vel ut *o* micron, ut פִּקְדָּה *pakedah*, ubi utrumque *a* longum est, ut גִּרְנִי *gorni*, ubi † khamets sub gimel ut *o* micron pronunciatur. Est † segol brevis, † ttere autem longa, et † scheva brevissima syllaba; at ghirek, si jot quiescens post se habet, † longum est, alias breve; † gholem *o* longum est, et plerumque post se habet † *vau* quiescens, et aliquando ה vel א. Est † kibbutz brevis, et † schurek denique longa. Scio, hanc divisionem cuidam R. Abrahamo de Balmes displicere; verum absque ulla ratione; eandem autem usum magnum habere ex sequentibus constabit; et primum, quod hic notandum venit, est, quod litera, quæ puncto גִּשׁ compensari solet, suppleri etiam possit, mutando syllabam præcedentem ex brevi in longam, tametsi litera duplicanda alia sit quam gutturalis; ut הֶתֵּל *hethel* pro הִתֵּל *hitthel* vel הִתְּתֵל *hitthel*.

Syllaba † scheva, quia brevissima est, aliquando corripitur, præcedentique syllabæ adhæret, et aliquando pronuntiatur; et ideo a Grammaticis Hebræis illud נָח nagh *quiescens*, et hoc נָח nahg *mobile* appellatur.

Pronunciatur † scheva, quando in initio dictionis, vel in medio post syllabam longam occurrit, ut בְּרֵאשִׁית *bereschith*, ubi † sub ב pronuntiatur, quia in initio dictionis occurrit; ut etiam hæc sequentia, quia post syllabas longas in medio dictionis occurrunt, nempe פִּקְדָּה *pakedah*, בְּרָכוּ *berechu*, יִירָאוּ *jireu*, פִּקְדִים *pokedim*, הִיבְאוּ *hubeu*. Si deinde duo schevata in medio dictionis se invicem sequantur, secundum pronuntiatur, ut תִּפְקְדוּ *tiphkedu*, ubi primum scheva corripitur et secundum pronuntiatur. Atque hinc fit, ut scheva sub litera puncto dagefch notata etiam pronuncietur, ut פִּקְדוּ *pikkedu*. Nam punctum in ק denotat, ק duplicandum et primum corripiendum esse. Et hac etiam de causa pronuntiatur scheva, quando una litera

in medio dictionis, sed non inter duas vocales duplicatur, ut הַנִּנִּי *hineni*, ubi scheva sub primo ך pronuntiandum est. Nam si corripendum esset, deberet etiam ך corripī, et antecedenti syllabæ ghirek adhærere, et loco הַנִּנִּי *hineni* scribendum esset הַנִּי *hinni*.

Cæterum reliqua sचेvata semper corripiuntur, et apprime notandum, nos expresse monuisse, omne sचेva pronuntiandum vel initio, vel in medio dictionis occurrere. Nam in fine nunquam pronuntiatur. Quod ut melius intelligatur, notandum hic est, quod sचेva omne est absoluta syllaba, quæ sola audiri non * possit, sed semper vel antecedenti vel sequenti adhærere debet; atque hinc fit, ut nullum monosyllabum sचेvate punctetur. Unde apparet, sचेva correptum nihil esse quam *e* brevissimum præcedenti syllabæ adhærens; pronuntiandum autem nihil aliud est quam *e* brevissimum sequenti syllabæ adhærens; quod quia ante syllabam sentitur, ideo ipsius pronuntiatio expressior est. Unde sequitur, in initio dictionis impossibile esse, ut præcedenti syllabæ adhæreat; in fine autem contra impossibile esse, ut sequenti adhæreat; adeoque in fine dictionis, sive post syllabam longam, sive post brevem, sive sub litera dagefchata, sive leni, sive denique unum, sive duo occurrant, semper tamen corripitur. Cum autem in medio dictionis post longam occurrit, modus pronuntiandi postulat, ut sequenti adhæreat, et si duo occurrant, ut primum antecedenti, secundum sequenti adhæreat. Porro hinc etiam patet, cur in initio dictionis nunquam duo sचेvata, ut nec etiam in medio dictionis post syllabam longam, occurrant. Nam duo sचेvata sequenti syllabæ adhærere nequeunt.

Gutturales : sचेva pronuntiandum habere nequeunt, et raro sचेva corripendum habent; sed ejus loco tres syllabas habent medias inter brevem et brevissimam, quæ sic notantur ם ם ם et vocantur גִּתְּפִים *ghatephim*. Prima denotat syllabam breviorē quam - *patagh*; secunda syllabam breviorē quam ך kamets breve sive *o* micron; tertia denique mediam inter ך segol ** *e* breve, et ך sचेva *e* brevissimum; atque hoc a sचेvate distinctum habent, quod ante sचेva simplex nunquam

* Ed. Pr., Paulus, Bruder, negationem omittunt.

** Ed. Fr., etc.: : *sचेva*.

occurrant, et quod non tantum in initio, sed nec etiam in medio, nec in fine dictionis duo unquam invicem sequantur; in reliquis autem cum sचेvate omnino conveniunt, ut etiam in hoc, quod solæ non occurrant, nec accentum sub se habeant.

Atque hæ sunt regulæ circa vocales apprime observandæ, et præfertim quæ modo de sचेvate diximus, quod scilicet nunquam duo sचेvata in initio dictionis occurrant, et quod gutturales nunquam : sचेva pronunciandum, et raro corripiendum sub se habeant. Nam harum usus insignis est.

CAP. IV.

De Accentibus.

Quæ de accentibus solent tradi Regulæ, linguæ Hebrææ studiosos plus lassant quam docent; atque ipsæ tolerabiles essent, si ad linguæ cognitionem vel eloquentiam viam facerent; sed si ejus peritissimos consulas, omnes uno ore fatebuntur, se tam magni accentuum numeri causam ignorare. Equidem credo, hoc non sine aliqua causa factum fuisse, imo aliquando animoolvebam, num eorum inventor eosdem introduxerit, non tantum ad tollendam vel deprimendam syllabam, et ad orationes distinguendas, sed etiam ad animi affectus exprimendum, quos inter loquendum vel voce vel vultu indicare solemus. Nam alium sonum edimus cum ironice, alium cum simpliciter loquimur; alium deinde sonum, quando aliquem laudamus, alium quando admiramur, alium quando vituperamus, alium denique quando contemnimus; et sic pro ratione cujusque affectus vocem et vultum mutamus; quod quia literarum inventores signis indicare neglexerunt, inde factum est, ut mentem nostram multo melius viva voce quam scripto exprimere possimus. Suspiciatus igitur sum, num Hebræorum accentuum inventor huic communi defectui subvenire voluerit; sed postea eosdem examinando nihil minus invenire potui, sed contra, eosdem non tantum hos animi affectus, sed ipsas orationes confundere. Iisdem enim tonis utitur, quando Scriptura ironice, quam quando simpliciter loquitur; deinde idem accentus proprietatem puncti, et etiam epicoli et duorum punctorum habet; ita ut accentuum penuria inter tantam

abundantiam laborare videatur. Quare credo, introductos eos fuisse, postquam Biblia in publica concione singulis Sabbathis legere consueverunt Pharisei, ne nimium festinanter (ut fieri solet in saepe repetitis devotionibus) legerentur. Et hac de causa eorum minutias Phariseis et otiosis Maforethis relinquo, et id tantum, quod ufum aliquem habere videtur, notabo.

Accentus ad distinguendam vel jungendam orationem, et simul ad syllabam attollendam vel deprimendam inservit. Versum sive periodum clausam esse, nullo accentu significatur; solent tamen hoc duobus punctis indicare, **וְהָאָרֶץ** *, quod quidem signum סִלּוּק *Silukh* appellatur, et plerumque, non semper, ut jam monuimus, orationem absolutam esse ostendit. At unius versus seu periodi partes accentibus distinguuntur; atque hic per partes versus non tantum verba intelligo, sed etiam nominum casus. Nempe accentus, qui passim proprietatem habet commatis, usurpatur etiam ad distinguendum nominativum et verbum a suo accusativo, et a reliquis casibus: intellige quando accusativus nominativum sequitur; quod si verbo et nominativo interponatur, tum verbum, accusativus, et nominativus unam versus tantum partem constituunt, ut et duo verba, quae conjunctione et copulantur, et nullum habent nomen alio praeter nominativum casu interpositum. Si itaque versus non nisi unam habeat partem distinguendam, eadem distinguitur accentu, qui vocatur טַרְחָא *targha*, quique infra dictionem sic notatur ב. Quod si duas partes distinguendas habeat, tum prima notatur טַרְחָא *targha*, secunda vero accentu, qui vocatur אֲתַנַּח *athnagh*, quique infra dictionem sic notatur ה, ut אֱלֹהִים *elohim*; atque hic accentus omnium, qui ad partes versus distinguendum inserviunt, praecipuus est, ut ex modo dicendis patebit. Unus versus non nisi unum habet athnagh, exceptis tantum paucissimis, qui duos habent. Quod si tamen versus tres partes distinguendas habeat, tum prima notatur טַרְחָא *targha*, secunda אֲתַנַּח *athnagh*, et tertia iterum טַרְחָא *targha*. Si autem quatuor habeat, prima plerumque notatur supra dictionem duobus

* Ed. Pr., etc.: וְהָאָרֶץ; at auctor hic סִלּוּק id appellat quod סוּף פְסוּק id audire solet.

punctis, ut זָשָׁא, *desche*, qui accentus זָקָה קָטוֹן *zakheph khaton* appellari solet, secunda טַרְחָא, tertia אַתְנַח et quarta iterum טַרְחָא. Si porro in medio verfu quinque partes distinguendæ sunt, tum prima plerumque puncto supra dictionem, quod רַבִּיעַ *rabiahg* appellatur, notari solet, ut אֱלֹהִים, secunda autem קָטוֹן קָטוֹן, tertia deinde טַרְחָא, quarta אַתְנַח, et quinta denique טַרְחָא; vel etiam prima זָקָה קָטוֹן, secunda טַרְחָא, tertia אַתְנַח, quarta iterum זָקָה קָטוֹן, et quinta denique טַרְחָא. Si denique sex fuerint, tum prima רַבִּיעַ, secunda קָטוֹן קָטוֹן, tertia טַרְחָא, quarta אַתְנַח, quinta iterum זָקָה קָטוֹן, sexta denique טַרְחָא. Et ad hunc modum, quando plures adhuc partes distinguendæ occurrunt, plures alii adferri solent figuræ quidem distincti, sed proprietate זָקָה קָטוֹן et רַבִּיעַ plane similes, et qui propterea sæpe etiam pro his usurpantur; sed eisdem supersedeo, ut et iis, qui tantum inserviunt ad indicandum accentum, qui partem periodi, in qua sunt, a sequenti distinguant, quique hac de causa a Grammaticis *serviles* nuncupantur. Sed notandum, quod טַרְחָא non tam ad distinguendas partes orationis, quam ad indicandum סִילוֹק et אַתְנַח inservit. Nam post טַרְחָא nullus accentus distinguens sequi potest, quam אַתְנַח vel סִילוֹק, et contra nullus אַתְנַח nec סִילוֹק cui non præcedat טַרְחָא, cujus rei causam mox dicemus. Dictiono, quæ neque infra, neque supra ullum habet accentum, jungi solet cum sequenti ducendo lineolam, quam Grammatici appellant מַקָּה *makhaf*, ut כִּי־טוֹב *ki-tob*.

Inserviunt deinde accentus, ut diximus, ad attollendam vel deprimendam syllabam. Nam ipsi, ut ipsis exemplis jam ostendimus, vel supra vel infra dictionis literam, cujus syllaba vel attollenda vel deprimenda est, poni debent. Nam in זָשָׁא supra ד est, quia pronunciari debet *desche*, non vero *desché*; contra אֱלֹהִים supra ה habet, quia pronuntiatur *elohtm*, non autem *elôhim*. Atque omnis dictiono, cujus accentus infra vel supra ultimam ejus syllabam est, vocatur מִלְרַע *millerahg*, quod significat *de infra*; si autem supra vel infra penultimam sit, vocatur מִלְעֵיל *millehgel*, quod significat *desuper*. At quoniam filukh nec infra nec supra, sed

ciari etiam debeat, ejus tamen vocalis antecedens non notatur gahgja, nisi litera duplicanda fuerit una ex iis, quæ punctum dagefch non admittunt, sive quæ duplicari non patiuntur, de quibus vide Cap. 2.; et hoc puto ideo fieri, quia dagefch indicat, literam subintelligendam præcedenti vocali adhærere, ejusque scheva ab eadem corripi; atque adeo vocalis ante scheva propter dagefch pronuntiandum considerari debet ut vocalis, quam duo schevata sequuntur, quorum primum, ut supra diximus, corripitur, et secundum pronuntiatur, sive quorum primum præcedenti, et secundum sequenti syllabæ adhæret.

Deinde, si vocalis post quodcunque scheva produci debeat, tum vocalis ante idem scheva producenda etiam erit; atque hæc Regula universalis est, sive scheva expressum sive subintelligendum sit; ex. gr. הַכְּנַעֲנִי; quoniam pathagh post scheva simplex produci, propter sequens compositum, debet, ideo patagh etiam ante idem scheva simplex producendum. Sic etiam וַיִּשְׁתַּחֲוּוּ וַיִּתְנַחֲלוּ, etc. propter hanc eandem causam duplex habent gahgja. Atque idem dico fore, quando scheva subintelligendum est, ut מִפְּדֻרָתָּךְ ubi sub utroque ם est gahgja, quia legi debet מִמְּדֻרָתָּךְ; kamets igitur scheva revera ante se habet, quod per punctum דגש compensatur, et quia propter sequens compositum produci debet, producitur etiam vocalis ante hoc scheva per punctum דגש compensatum. Sic וַיְבָרֶכְהָּ וַיַּעֲרֶהּ בַּמַּחֲנֶה הַפְּעֻשָׁה וַיִּבְרַכְהָּ et alia perplurima hujusmodi duplici gahgja notantur.

Duæ vocales longæ sine accentu vel gahgja in eadem dictione non dantur. Si igitur syllabæ penultima et antepenultima longæ fuerint, vel accentus debebit esse in antepenultima, vel, si in ultima fuerit, antepenultima habebit gahgja; ut אֲנָכִי, cujus kamets producitur, quando accentus est in ultima, alias, quando scilicet in penultima est, omittitur, ut דָּן אֲנָכִי; sic וַיְהִי־מִתֵּי הַכּוֹכָבִים נִשְׂיֵאִיהֶם, etc. gahgja in antepenultima habent; quod si dictio plures longas habuerit, id semper erit observandum, quod nunquam duæ longæ sine accentu vel gahgja occurrant, ut כִּשְׁבוּעֹתֶיכֶם.

Atque hic notandum, khibbuts aliquando loco schurekh usurpari, tumque ut longum considerari; ut מִשְׁבַּעְתִּי, ubi, quia schurekh no-

minis שְׁבוּעָה in khibbuts mutatur, producitur khibbuts, ut longa; alias semper brevis est.

Deinde notandum, brevem, cui scheva adhæret, pro longa haberi, ut מוֹלְדֵתִי מִנְקָתָהּ, etc. ubi longa ante brevem, cui scheva adhæret, producitur, ut longa ante longam, quæ non habet accentum; sic etiam duæ priores in הַחֲצִיבָה longæ sunt, quia utrique scheva adhæret, priori scilicet expressum, posteriori autem per dagĕsch in ם compensatum. Excipiuntur breves, quæ loco scheva simplicis sæpe usurpantur, ne duo schevata initio dictionis occurrant, ut jam Cap. 3. monuimus; ex. gr. prima in תַּסְקֵרוּ brevis est, quia loco scheva brevis est, quia loco scheva usurpatur. Contingit dein, ut brevis ante brevem producat, quod secunda brevis loco scheva compositi, cui semper, ut jam diximus, antecedit gahgja, usurpatur, ut וַיִּחַרְדּוּ, quod scribitur loco וַיִּחַרְדּוּ.

Denique ן *vau* ante י *jod* cum - pathagh promiscue cum, et sine gahgja notatur, ut וַיִּדְבֹּר et וַיִּדְבֹּר.

Atque hæ præcipuæ Regulæ hujus accentûs sunt, quantum ex folis vocalibus cognosci potest; superest adhuc alia ex Præpositionibus dignoscenda, quam suo loco explicabimus.

Cæterum quod Judæi propter accentum musicum ׃, quem *zarkha* vocant, nunc gahgja in antecedentem ejus syllabam traducunt, nihil moror, quia non est imitandum iis, qui Hebraice loqui, non vero cantillare desiderant.

Hoc tamen notandum, pro gahgja alium sæpe usurpari accentum; imo dictiones aliquot duos habere accentus, unamque earum syllabam produci, quæ alias ex præcedentibus regulis non esset producenda.

Atque hoc, inquam, propterea fit, quia duo accentus distinguentes, quibus accentus serviles solent præcedere, invicem non nisi raro immediate sequuntur; ex. gr. post athnagh non sequitur immediate silukh, neque קָטוֹן וְזָקָה, et vice versa post silukh non nisi rarissime sequitur immediate zakheph khaton, neque athnagh. Quod si tamen dictio, quæ unum ex hisce accentibus sequitur, unum etiam ex hisce habere debeat, tum illa duplici accentu notari, unaque ejus syllaba produci solet, tametsi alias non fuisset producenda, ut Ef. c. 7. v. 18.

וְלִדְבוֹרָה וְיֵאָרִי מְצָרִים וְלִדְבוֹרָה propter zakheph khaton alium supra ל̣ habet accentum, ejus etiam syllaba contra communem regulam producitur, propter præcedentem athnagh. Sic etiam Num. 28. v. 20. et 28. וּמִנְחָתָם, quia sequitur immediate post silukh, duos habet accentus, et syllaba infra ם̣ contra communem Regulam producitur; ut etiam Deut. cap. 12. v. 1. לְרִשְׁתָּהּ כָּל־הַיָּמִים. Et hac de causa etiam Deut. 13. v. 12. וְכָל־יִשְׂרָאֵל contra communem Regulam lineolæ makhaf supra כָּל̣ reperitur accentus; et ad hunc modum plura reperiuntur exempla, et multo plura eorum, quorum gahgia in accentum ob hanc eandemque causam mutatur.

Denique notandum, inter accentus distinguentes unum esse, qui vocatur קְרָמָא *khadma*, quique semper post dictionem desuper hoc modo notatur הָעוֹלָיִם, et per hoc tantum distinguitur ab alio fervili, qui vocatur אֲזֵלָא *azla*, quique semper supra syllabam, in qua accentus debet fieri, notatur. Si igitur dictio accentu hoc קְרָמָא notanda fuerit *millehgel*, eadem alio indiget accentu, quo indicatur, accentum debere fieri in penultima; ut יְרִיִם si hoc accentu notari debeat, etiam debebit supra dalet accentus אֲזֵלָא notari, ut noscatur dictionem esse מְלַעֵל.

Præter has aliam adhuc causam reperio, cur dictio duplici notetur accentu; nempe, quando dictio millerahg ob causas mox dicendas redditur millehgel, manentibus ut ante syllabis, accentus ultimæ manet, et penultima, ubi tunc accentus fieri debet, alio notatur. Sed hæc regula planè inutilis, quandoquidem secundus accentus nullius tum usus est.

Atque jam tempus esset ut ostenderem, quænam dictiones accentum in ultima, et quænam in antepenultima habere, hoc est, quænam מְלַעֵל, et quænam מְלַרַע esse deberent; sed quoniam hoc ex folis vocalibus et literis dignosci non potest, rem differo, donec de verbis egero. Hoc hic tantum addam, nempe quod athnagh et silukh sæpe dictiones, quæ sunt millerahg, reddant millehgel. Videlicet quando ejus syllabæ, ultima et antepenultima, longæ sunt, ut si

אַנְכִי, accentu athnagh vel filukh sit notandum, reddi debet מְלֵעִיל, ut אָנְכִי. Quod si penultima fuerit scheva, quæ, ut jam diximus, accentum nunquam habet, tum verba mutant in khamets, et nomina in ם; ut, si פָּקָדוֹ notandum sit accentu athnagh, scheva sub ק mutatur in kamets et fit פִּקְדוֹ; sic loco שְׂמֵחַ, si accentum habeat athnagh, fit שְׂמֵחַ. In Participiis autem fœminini generis tam in ם segol, quam in ם khamets mutatur; atque hæc locum etiam habent, quando accentus debet esse וְקָטָן קָטָן. Deinde notandum, accentus athnagh et filukh præcedentis accentûs distinguentis proprietates tollere, et eundem quasi rapere. Unde fit, ut accentus distinguens, qui horum utrumvis præcedit, semper sit targha, qui propterea semper indicat athnagh vel filukh secuturum, et qui etiam propterea distinguentis proprietates non habet; nam dictiones non reddit מְלֵעִיל, et potest sæpe immediate sequi zakheph khaton vel alium accentum distinguentem, et post ipsum potest immediate sequi athnagh vel filukh. Quare, cum supra diximus, duos accentus distinguentes se immediate non sequi, de omnibus præter טָרְחָא est intelligendum, qui, uti diximus, propterea athnagh et filukh distinguentis proprietates amittit.

CAP. V.

De Nomine.

Dividitur apud Latinos oratio in octo partes; sed an apud Hebræos in tot partes sit dividenda, ambigi potest. Nam omnes Hebrææ voces, exceptis tantum Interjectionibus et Conjunctionibus, et una aut altera particula, vim et proprietates Nominis habent; quod quia Grammatici non animadvertenterunt, multa crediderunt esse irregularia, quæ ex usu linguæ maxime regularia sunt, et plura ad linguæ cognitionem ejusque eloquentiam necessaria ignoraverunt. Sive igitur Hebræi tot quot Latini, sive pauciores orationis partes esse statuerint, nos tamen omnes, exceptis tantum Interjectionibus, uti diximus, et Conjunctionibus, et una aut altera particula, ad Nomen referemus; cujus rei causa, et quanta hinc in hac lingua facilitas oriatur, ex sequentibus constabit.

Quid autem per Nomen intelligam, jam explicabo. Per Nomen intelligo vocem, qua aliquid, quod sub intellectum cadit, significamus vel indicamus. Cum autem quæ sub intellectum cadunt, sint vel res, rerumque attributa, modi et relationes, vel actiones, actionumque modi et relationes, hinc Nominum genera facile colligimus. Nam איש ex. gr. Nomen *vir* est; דוֹכָּח *doctus*, גָּדוֹל *magnus*, etc. attributa sunt viri; הֹלֵךְ *ambulans*, יֹדֵעַ *sciens* modi sunt; בֵּין *inter*, תַּחַת *sub*, עַל *super*, etc., Nomina sunt, quæ ostendunt, quam relationem vir ad alias res habeat. Sic הֹלֵךְ *ambulare* Nomen est actionis, quæ nullam ad tempus relationem habet. Nam hoc apprime notandum, quod Modus, quem Infinitivum Latini vocant, apud Hebræos purum putum Nomen sit, qui propterea Infinitivus nec præfens, nec præteritum, nec absolute ullum tempus agnoscit. Deinde מְהֵרָה *cito*, modus ambulandi est, הַיּוֹם *hodie*, מָחָר *cras*, etc. relationes sunt temporis, quæ etiam aliis modis exprimuntur, de quibus alio Capite.

Nominis igitur genera sunt sex: I. Nomen substantivum, quod in proprium et appellativum dividitur, ut notum. II. Adjectivum. III. Relativum sive Præpositivum. IV. Participium. V. Infinitivum. VI. Adverbium. Quibus accedit Pronomen, quod vicem Nominis substantivi gerit, ut אֲנִי *ego*, אַתָּה , הוּא *ille*, etc.; sed de hoc alio Cap. agam. De reliquis autem hic notandum venit, quod Nomine proprio substantivo nunquam nisi unum singulare individuum significare possumus. Nam unumquodque individuum suum sibi tantum habet Nomen proprium, ut et unaquæque actio; atque hinc fit, ut Nomen substantivum proprium, ut et Infinitivus, et Adverbium, quia quasi adjectiva actionum sunt, quibuscum debeant Numero convenire, non nisi singulari Numero exprimantur, reliqua autem et singulari et plurali. Dico *reliqua*: nam Præpositiones etiam pluralem numerum habent, de quibus vid. Cap. 10. Solent deinde homines, et præcipue Hebræi, rebus omnibus humana attributa dare, ut *terra audivit, auscultata est*, etc. Et forte hac, aut alia de causa, omnia nomina rerum in masculina et foemina diviserunt. Unde autem noscantur, et qua ratione Nomina ex numero singulari in pluralem flectantur, in seqq. dicemus.

CAP. VI.

De flexione Nominis ex singulari in pluralem.

Nomina ex singulari in pluralem numerum flectuntur addendo masculinis ghirek longum et ם, et foemininis o longum et ה. Ex. gr. בן *hortus* habet in plurali, quia masculini generis est, בָּנִים. Sic ex עץ *arbor*, אָץ *frater*, fit עצים, עֲצִים; at אֹת *fignum*, quia foeminini generis est, habet in plurali אוֹתוֹת, ut et נֵר *candela*, et עוֹר *cutis*, עוֹרוֹת, etc. Excipiuntur quædam, quæ, quamvis masculina, tamen in plurali ut foeminina, et contra foeminina, quæ ut masculina, et quædam, quæ utroque modo flectuntur, ut אָבוֹת *patres* ex singulari אָב *pater*, quod masculini est generis. Contra נָשִׁים *famina* Nomen est foemininum, quod singulari caret, et terminatur ut masculinum; at הֵיכָל *templum* utroque modo terminatur, nempe הֵיכָלִים et הַיְיִכָּלוֹת. Notandum præterea de Nominibus neutris, quæ ut foeminina declinantur, ut גְּדוּלוֹת.

Secunda ratio, cur vocales mutantur, est scilicet, quia tres longæ, si dictio non sit מלעיל, duplici accentu indigent, et quia ante ghirek et gholem penultima non potest patach habere, nisi etiam dictio sit millehgel, etc. Horum autem omnium catalogus in fine libri habetur, nec operæ pretium judicavi ea hic ponere, quia facilius usu quam præceptis ediscuntur.

Nomina deinde, quæ in ה definunt, sive masculina, sive foeminina sint, ה vel ת cum ultima syllaba omittunt, ut עֵלֶה *folium* habet in plurali עֵלִים, et נְקֵבָה *famina* נְקֵבוֹת, et אִשָּׁרָה *mulier* אִשּׁוֹת. Atque hic notandum, quod foeminina, in ה definentia, sæpe ה in ת mutant, et syllabas antecedentes duas in geminum segol ם, vel, si fuerit accentus athnagh vel silukh, in khamets ם et segol ם. Nam ex עֲטָרָה *corona* fit עֲטָרֹת, et cum athnagh vel silukh עֲטָרְתָּ. Sic ex פּוֹקְדָה *vifitans* fit פּוֹקְדֹת et פּוֹקְדָתָּ. Sed si penultima litera sit ה vel ע, tum syllabæ in patagh mutantur, ut שׁוֹמְעֵת *audiens* et בְּרַחַת *fugiens*, loco שׁוֹמְעָה et בְּרַחָה; quod in substantivis locum etiam habet, ut צַפְחָת. Unde fit, ut omnia harum formularum No-

mina foemina in ת definentia in plurali eodem modo flectantur, ut ea quæ in ה definunt.

Præter hæc mutant plerumque Nomina in plurali etiam syllabas. Nempe, si penultima fuerit ך khamets, mutatur plerumque in schewa; ut דָּבָר *verbum* דְּבָרִים *verba*, זָקֵן *senex* זְקֵנִים *senes*, שָׂמַיָּה *latus* שְׂמַיִם *lati*, יָסַח *lesi* יָסֻחוּ *purus* יָסֻחוּ *purus*, רָחוֹק *longinquus* רְחוֹקִים *longinqui*, בְּרֻכָּה *benedictus* בְּרוּכִים *benedicti*. Sic penultimum ך khamets (ex. gr. זְכוֹרָת *memoria* et גְּלוּיָן *volumen*) in schewa mutatur, et fit זְכוֹרוֹת, et גְּלוּיָנִים. At si ultima fuerit khamets, vel Nomen monosyllabum, tum ך plerumque immutatum manet, vel aliquando in patagh mutatur; ut כּוֹכַב *stella* כּוֹכָבִים *stella*, שֶׁר *princeps* שָׂרִים *principes*, יָם *mare* יָמִים *maria*, רוֹסָה *rosa* רוֹסָה *rosa*. Atque huc referendæ etiam sunt quæ in ה definunt, quia in plurali, ut jam diximus, ultimam syllabam simul cum ה amittunt, adeoque ut monosyllaba, vel ut ea, quorum ultima syllaba est khamets, flecti debent. Ex. gr. שָׂדֶה *ager*, קָנָה *calamus*, etc., quia in plurali segol cum ה amittunt, regulam monosyllaborum sequuntur, et ך in plurali retinent, nempe שְׂדוֹת *agri*, et קְנָיִם *calami*; sic מַמְלָכָה *regnum*, quia in plurali ultimum ך cum ה amittit, penultimum in plurali retinet, ut ea, quorum ultima est ך, flectiturque מַמְלָכוֹת *regna*. Hac de causa etiam, quæ in ת definunt, penultimum ך in plurali retinent, ut תּוֹלְעָה * *vermis* תּוֹלְעִים *vermes*; imo, quamvis ultimam syllabam non amittant, ך khamets tamen retinent, ut זַיִת *angulus* זַיִת *anguli*, גְּלוּיָת *captivitas* גְּלוּיָת *captivitates*.

Penultimum ת fere etiam in schewa mutatur; sed ante gholem et schurek retinetur, ut עֵבֶר *uva* עֵבְרִים *uva* mutat ת fere in schewa; at אֵילָן ת fere retinet, flectiturque אֵילָנִים. Porto Nomina, quorum

* Ed. Pr., etc.: תּוֹלְעָה, quod nihil est. Attamen ipsa forma quam recipimus, in pausa tantum existat, cæteroquin vox illa khamets, ut vocat noster, non habet.

** Forma Neohebraica.

ultima syllaba tſere " est, mutant id in ſcheva, quando vocalis antecedens ex iis est, quæ semper in plurali retinentur, vel quæ in non mutantur, ut מַקְלָר *baculus* מַקְלוֹר *baculi*, פּוֹקֵר *visitans* פּוֹקְרִים *visitantes*, עוֹר *cæcus* עוֹרִים *cæci*; at post ſcheva, vel syllabam quæ in non mutantur, retinetur, ut זָקֵן *senex* זָקֵנִים *senes*, זֶאֵב *lupus* זְאֵבִים *lupi*, etc.

Monosyllaba, ut et diffyllaba, quæ in ה vel ת desinunt, " tſere retinent, ut נֵר *candela* נְרוֹת *candelæ*, עֵר *testis* עֵדִים *testes*, רֵעָה *socius* רֵעִים *socii*, שְׁאֵלָה *interrogatio* שְׁאֵלוֹת *interrogationes*.

Dantur præterea quædam monosyllaba, quorum tſere in ghirek mutatur; sed hæc cum reliquis particularibus exceptionibus ad catalogum, in fine libri promissum, reservamus.

Penultimum segol in ſcheva, ultimum autem in khamets mutatur, quod fit, quia omnia Nomina in plurali sunt *millerahg*, et illa omnia *milchgel*, quorum penultima est " . Si itaque secundum segol in plurali retineretur, habere deberet pluralis accentum in penultima, contra communem usum pluralium: fit igitur hac de causa ex מֶלֶךְ *rex* מְלָכִים *reges*, אֶבֶן *lapis* אֲבָנִים *lapides*, צְדָקָה *justitia* צְדָקוֹת *justitia*, זֶבַח *sacrificium* זְבָחִים *sacrificia*, נְחֻמָּה *consolatio* נְחֻמוֹת *consolationes*, חַטָּא *peccatum* חַטָּאִים *peccata*, בֹּקֵר *mane* בֹּקְרִים pluralis. Atque hæc mutatio ultimi segol in khamets, et penultimi in ſcheva, analogæ plane est. Ostendimus enim polysyllaba, quæ in ה desinunt, mutare sæpe ה in ת, et syllabas in geminum " segol, ut עֲטָרָה in עֲטָרֹת, in פְּקָדָה in פְּקָדוֹת. Deinde hic etiam ut in præcedentibus notandum est, quod Nominum, quæ in ה vel ת desinunt, quoniam in plurali ultimam syllabam cum ה vel ת amittunt, penultimum segol rationem ultimi obtinet, et in " mutatur, exceptis illis, quorum penultimum segol loco ſcheva usurpatur, ut sunt omnia Participia, et quæ ex iis formantur. Ex. gr. פְּקָדָה propter accentum athnagh vel filukh, loco פְּקָדָה, et תּוֹלְדָה loco תּוֹלְדוֹת usurpantur; sed in plurali ſcheva iterum recipiunt, ut פּוֹקְרוֹת, תּוֹלְדוֹת. Denique segol penultimum, cui ſcheva adhæret, non potest in ſcheva mutari, ne duo in initio dictionis occurrant; ideoque in plurali vel retine-

tur, vel in patagh mutatur, ut אֶשְׁנֵב *fenestra* אֶשְׁנֵבִים *fenestra*. מְרַבֵּה *quadriga* מְרַבֵּהוֹת *quadrigæ*. Quæ h' gholem ante fegol habent, id in scheva mutant, ut בָּקֵר *mane* בְּקָרִים in plurali, אֶהָל *tentorium* אֶהָלִים, etc. Excipiuntur quædam, de quibus in Catalogo; et præterea quædam monosyllaba, quæ ipsum in khamets aliquando mutant, ut יוֹם *dies* יוֹמִים plur., ראש *caput* ראשִׁים *capita*; sed sæpius retinetur, nam גוֹי *gens* habet in plurali גוֹיִם, et אֹר *lux* אֹרִים, etc. *, ut et in iis, quæ in ת desinunt, et geminum habent fegol, ut פּוֹקֶת. Pathagh nunquam in plurali mutatur, nisi ante ה, ut יַיִן *vinum* יַיִנוֹת *vina*, זַיִת *oliva* זַיִתִּים *olivæ*; deinde בְּהֵרֶת habet in plurali בְּהֵרוֹת.

Ghirek etiam, exceptis iis, quæ in præcedenti Regula retulimus, quæ ipsum in plurali omittunt, et paucissimis præterea Nominibus, quæ in Catalogo referuntur, semper immutatum manet. Atque hic tantum loquor de ghirek proprio, non autem de eo, quod initio dictionis ante scheva ea de causa ufurpatur, ne duo schevata initio occurrant; quod inde cognoscitur, quod ה paragodicum in fine habent, nempe אֶמְרָה *dictum* loco אֶמֶר fumitur; ideoque in plurali habent אֶמְרוֹת. Sic דִּמְעָה *lacrima*, quia loco דִּמַּע ufurpatur, habet in plurali דִּמְעוֹת. Nam, ut jam ostendimus, ultimum fegol in khamets mutari, et ultimum in khamets in plurali retineri debet; penultimum autem gholem et in scheva mutari.

Khibuts et schurek nunquam in plurali mutantur; hoc tamen schurek notandum habet, quod in ות desinentia schurek non semper in plurali omittant, ut reliqua Nomina in ה et ת desinentia, quæ semper, uti diximus, ultimam Syllabam in plurali omittunt. Nam דְּגִנוֹת *regnum* habet in plurali דְּגִנוֹת, et חֲנוּת *officina* חֲנוֹת.

Scheva denique nulla alia de causa mutari potest, quam ne duo schevata in initio occurrant. Nam videmus pleraque mutationes fieri ex longis in breves. Quod autem פְּרִי *fructus* habeat in plurali

* Ed. Pr., etc. perperam addunt: *alias semper retinetur.*

פְּרוֹת*, et כְּלֵי *vas* כְּלִים, id ostendit, literam ך in singulari esse paragogicam, eamque efficere, ut tsere, quod absque ipsa habere deberent, in scheva mutetur; et quia ך paragogicum in plurali amittunt, ideo tsere in plurali retinent, vel, si mavis, iterum recipiunt.

His Regulis facile unusquisque omnia fere singularia in pluralia flectere, et pluralium singularia investigare discet. Superest jam tantum pauca de numero duali addere.

Præter pluralem flectuntur etiam quædam Nomina in numerum dualem addendo iis literas, sive masculina, sive fœminina sint, ך et ם, et vocales pathagh et ghirek, ut יום *dies* יוֹמִים *duo dies*, cujus plurale est יָמִים שְׁנָה, *annus* שְׁנָתַיִם *duo anni*. Et ad hunc modum possemus, servatis præcedentibus Regulis, omnia Nomina flectere, nisi posteri hoc neglexissent, qui hanc terminationem usurparunt ad exprimendum pluralem numerum earum rerum, quæ binæ sunt, vel quæ duabus partibus constant, ut יָד *manus* pluralis יָדַיִם *jadajim* pro יָדוֹת *jadoth*, אָזן *auris* pluralis אָזְנַיִם *aures*; et sic de reliquis, quæ bina habemus. Porro, quia *forcipes* duabus constant partibus, vocantur מַלְקָחִים, et *forfices* מַטְפְּרִים**.

Hac igitur de causa hanc terminationem ad dualem numerum significandum usurpare jam non licet, nisi tantum in iis nominibus, quæ in Bibliis duali significatione sic flexa reperiuntur.

CAP. VII.

De Genere Masculino et Fœminino.

Nomina, quibus mares significantur, vel res, quæ ad mares pertinent, masculina sunt; hæc autem, quibus fœminæ, vel res, quæ ad fœminas pertinent, fœminina. Quæ autem aliis rebus exprimendis inserviunt, communia sunt; et quamvis horum plurima in Bibliis semper reperiuntur, vel masculina vel fœminina, id casu contingit. Reperiuntur enim quædam uno tantum in loco fœminina, quæ alias

* Forma Neohebraica.

** Forma cum Sacris Literis, tum Buxtorfio et Levyo ignota. מַטְפְּרִים legendum videtur.

semper masculina reperiuntur, et contra quædam uno tantum in loco masculina*. Ex. gr. כְּנָף *ala* ubique fœminini generis est, præterquam bis, lib. 2. Paralip. cap. 3. **, ideoque ab auctoribus communis generis habetur; sed si hoc libro Paralip. caruiffemus, non dubitarent idem inter fœminina statuere, et, si plures haberemus, forsan omnes regulas mutare, et quæ jam inter exceptiones numerant, pro communi regula, et contra plures regulas pro exceptionibus haberent. Nam, ut uno verbo dicam, plures sunt, qui Scripturæ, at nullus, qui linguæ Hebrææ Grammaticam scripsit. Sed ad propositum. Deinde videmus, Scripturam in eadem oratione unum nomen ad utrumque genus promiscue referre, ut Gen. cap. 32. vers. 8. אִם יָבוֹא עִשָׂו אֵלַי אִם יָבוֹא עִשָׂו אֵלַי, *si veniet Hgesau ad aciem unam, et ceciderit eum*; adeoque hac in re cum R. Schelomo Jarghi plane convenio, qui statuit וְנִקְבְּהוּ וְנִקְבְּהוּ בֹרוּחַ חַיִּים וְנִקְבְּהוּ *omnem rem, cui non est spiritus vitæ, exprime tam masculino quam fœminino genere*. Vide ejus Commentaria in locum allatum.

Adjectiva ex masculino in fœmininum genus mutantur addendo iis ת, vel ה cum ך khamets, et syllabas, secundum præcedentes Regulas, mutando; ex. gr. חָכֵם *sapiens* חֲכָמָה fœmininum, גָּדוֹל *magnus* גְּדוּלָה *magna*, בְּרוּךְ *benedictus* בְּרוּכָה *benedicta*, נִשְׁתַּחֲוֶה *vir* נִשְׁתַּחֲוֶה *vir* et נִשְׁתַּחֲוֶה *virago*, נָבִיר *dominus* נְבִירָה *domina*.

Excipiuntur ea, quæ geminum habent segol ך, quæ utrumque in ך mutare deberent. Sed ne duo initio dictionis occurrerent, primum in patagh mutatur, ut מֶלֶךְ *rex* מַלְכָה *regina*, quod ex præcedentibus regulis deberet esse מְלָכָה.

Quæ vero in masculino in ה definunt, mutant ultimam syllabam in ך, ut יָפֵה *pulcer* יָפֵה *pulcra*, רֹאֵה *videns*, in fœminino רֹאֵה, etc.

Porro, quæ in ו definunt, mutantur in fœmininum vel ut præcedentia, vel simpliciter addendo ת, ut שֵׁנִי *secundus* שֵׁנִיָה vel שֵׁנִית *secunda*, שְׁנִי *secundi* שְׁנִיָה *secunda*; atque hoc locum præcipue

* Ed. Pr., etc. : *faminina*.

** V. 11 et 12.

habet in iis adjectivis, quibus indicatur cujus gentis vel regionis aliquis sit, ut עֲבְרִי *Hebraeus* עֲבְרִיָּה et עֲבְרִיָּה *Hebraea*. Nam notandum, hæc omnia adjectiva formari in masculino genere a Nominibus propriis natalium folorum vel parentum, addendo ך cum præcedenti ghirek, et syllabas secundum Regulas, in seq. Capite de regimine Nominis dicendas, mutando; ut ex יִשְׂרָאֵל fit יִשְׂרָאֵלִי, ex עֵבֶר fit עֵבְרִי, ex חֶבֶר fit חֶבְרִי; et ex כּוּשׁ *Ethiopia* fit כּוּשִׁי, et ex יְרוּשָׁלַם fit יְרוּשָׁלַמִי *Hierosolymitanus*. At his masculinis additur in plurali tantummodo ם, ut עֲבְרִים *Hebrai*, כּוּשִׁים *Ethiopes*. Quod si Nomina, unde hæc formantur, pluralem terminationem habuerint, illam amittere debent. Nam ex מִצְרַיִם *Egyptus* fit מִצְרַיִי *Egyptiacus*. Atque hæc, ut dixi, addendo tantum ך, vel ה cum præcedenti ך khamets, in foemina mutantur. Sed in plurali flectuntur semper ut foemina, quæ in ה definunt, ut עֲבְרִיּוֹת מִצְרַיִוֹת, etc.

Cum itaque ה singularium terminatio cum præcedenti ך, vel ך, et pluralium יוֹת, foeminarum adjectivorum sit propria, hinc factum fuisse videtur, ut Hebræi substantiva etiam, quæ in singulari in ה vel ך, et pluralia, quæ in plurali in יוֹת terminantur, ad foemininum genus referre plerumque consueverint, nisi forte propterea factum sit, quod ab hujus generis adjectivis suam duxerint originem. Sed de his satis.

CAP. VIII.

De Regimine Nominis.

Res vel absolute significantur, vel ad alias relatæ, ut clarius et expressius indicentur. Ex. gr. *mundus est magnus*, mundus in statu absoluto significatur; at *mundus Dei est magnus*, tum mundus est in statu relativo, quo efficacius exprimitur, vel clarius indicatur, atque hic Status Regiminis vocatur. Quomodo autem soleat exprimi, ordine jam dicam, et primo, quomodo in singulari numero.

Nomina, quæ in ה præcedente ך vel gholem definunt, mutant ה in ך, et ך in - patagh. Nam תְּפִלָּה habet in statu regiminis תְּפִלָּה, et significat *precationem alicujus*. Sic עָשָׂה *to facere* habet in statu

regiminis יום עשות יהיה אלהים * *alicujus facere*, ut יום עשות יהיה אלהים
dies tou facere Domini Dei.

Quæ geminum, vel unum tantum habent ׀, mutant in statu Regi-
 minis penultimum in scheva, et ultimum in patagh, ut דָּבָר ex דְּבָר
verbum, וְהָב ex וְהָב *talentum auri* ex כָּפָר *talentum*, ex חָכֵם *sapiens*, ut Jobi 9. חָכֵם לֵבָב *sapiens cordis* Deus appellatur. Sic
 בְּרוּךְ *benedictus*, וְשָׁלוֹם *pax*, וְזָקֵן *senex*, etc. mutant
 penultimum ׀ in scheva; sic etiam צְדָקָה *justitia*, בְּרָכָה *benedictio*,
 ultimum khamets in patagh, et penultimum in scheva, et ה, ut jam
 diximus, in ת, fiuntque צְדָקָת. Quod autem primum scheva
 in ghirek mutetur, fit tantum, quia duo in initio dictionis occurrere
 nequeunt; quod semper, ne hoc sæpius repetere cogamur, de omni
 ghirek et patagh ante scheva affirmandum est.

Tfere penultimum aliquando in scheva, et ultimum aliquando in
 patagh mutatur, ut שֵׁעָר ex שְׁעָר *capillitium*, et פֶּאֶת ex פְּאֶת *angu-*
lus, זָקֵן ex זָקֵן *senex*, מַקֵּל ex מַקֵּל *bacillum*. Sed plerumque tam
 ultimum quam penultimum immutatum manet. Verum hæc, et plura
 hujusmodi, admodum incerta sunt; nam unum idemque Nomen jam
 tfere mutare, jam retinere reperies, quod ostendit, in S. Scriptura
 dialectos confundi. Quare unusquisque tam tfere quam ultimum
 khamets ubique ad libitum vel mutare vel retinere potest; excepto
 tamen tfere ante י, quod ex communi analogia linguæ retinere debet,
 ut הֵיכַל *templum* e. g. Et אֲשֵׁמֹרֶת habet ubique in Scriptura pro
 statu Regiminis אֲשֵׁמֹרֶת, et תְּלֹאֲבָה et תְּעֹלֹמָה habent תְּלֹעֹבָה et
 תְּעֹלֹמָה: ideoque dico unicuique licere pro אֲשֵׁמֹרֶת scribere אֲשֵׁמֹרֶת,
 et pro תְּלֹאֲבָה scribere תְּלֹאֲבָה, tametsi neutrum in Scriptura repe-
 riatur. Et, quod hic de tfere et khamets dico, de omnibus etiam
 dicendum, quæ certam Regulam non servant. Sed de his alio loco
 uberius agam; aliquid tamen hic adhuc addam, quod ad hoc, quod
 modo dixi, et ad intentum hujus Capitis, et ad universalem hujus
 linguæ cognitionem non parum facere existimo.

* Ed. Pr., etc.: τού.

In superiori Capite diximus, quod terminationes fœmininæ ך, et ך, et pluralis ך, proprie sunt Adjectivorum et Participiorum, nimirum quia unum idemque Nomen adjectivum attributum est, quod jam ad marem, jam ad fœminam refertur, ideoque unumquodque duabus terminationibus indiget; quod in substantivis locum non habet, et propterea non nisi usu factum est, ut substantiva, quæ neque mares neque fœminas exprimunt, ad genus fœmininum semper referantur, quando in ך vel ך desinunt, vel forte (uti diximus) quia ab adjectivis fœmininis suam duxerunt originem. Sed aliud est, quod hic volo; nempe quod eodem modo, ac hæ substantivorum terminationes originem duxerunt ab Adjectivis et Participiis, ita variationes, quas in statu Regiminis Nomina patiuntur, originem ducunt a mutationibus Infinitivorum et Participiorum. Nam omnia Nomina Hebraica (ut omnibus hujus linguæ peritis notum) ex Verborum formulis formantur. Adde quod primus et præcipuus Nominis substantivi usus sit res absolute, non autem relative indicare: hoc enim Nominibus propriis repugnat, quæque adeo nunquam in statu Regiminis reperiuntur; at actiones vix absque relatione agentis vel patientis explicantur, et ideo rarius in statu absoluto reperiuntur. Quicquid sit, ex modis, quibus Nomina Infinitiva et Participia variant, variationes substantivi facile discuntur; ita ut dubitandum non sit, quin hæ ex illis originem duxerint. Eorum igitur formulas, et modos variandi in Regimine, tanquam normam variationum omnium Nominum hic ponam, quia facile memoriæ mandari possunt.

Infinitivorum Formulae.

Status Absolutus	Status Regiminis	
<i>Visitare</i> ¹	פָּקַד, in reg. פְּקֹדֶה et פְּקֹדֶה (kam. ghat.), et etiam פְּקֹדֶה ex פְּקֹדֶה (k. gh.)	
<i>Visitari</i>	} נִפְקָד semper absolute et הִפְקִיד הִפְקִיד	
<i>Frequenter visitare</i>	פָּקַד et פִּקְדָה פִּקְדָה	
<i>Frequenter visitari</i>	פִּקְדָה פִּקְדָה	
<i>Facere, vel constituere) aliquem visitantem</i> }	הִפְקִיד הִפְקִיד	
<i>Constitui visitans</i>	הִפְקִיד הִפְקִיד	
<i>Se constituere) visitantem</i> }	הִתְפַּקֵּד הִתְפַּקֵּד	
<i>Appropinquare</i>	נִגְשָׁה נִגְשָׁה	
<i>Detegere</i>	} גִּלְתָה גִּלְתָה } גִּלְתָה גִּלְתָה }	
<i>Circuire</i>	כֹּבֵה כֹּבֵה et סָבַר (ghatuf cum makhaf)	
<i>Invenire</i>	מָצָא מָצָא et מָצָא locו מָצָא (vid. sup. פְּקֹדֶה)	
<i>Aperire</i>	פָּתַח פָּתַח	

Hæ præcipuæ Infinitivorum formulæ et mutationes sunt. Pergo itaque ad Participia.

¹ Conveniunt sæpe Infinitiva in Statu Absoluto cum præteritis: nam דִּבְרָה ¹⁶ loqui etiam significat locutus est, גָּדַל ¹⁷ crescere, כָּשַׁל ¹⁸ coqui formam habent præteriti, ut suo loco ostendam. Quare non dubito, quin Infinitivi formulæ etiam fuerint פָּקַד cum gemino khamets, et פִּקְדָה cum ׀ et -; ex quibus formatum est פְּקֹדֶה in Regimine, nempe ex פִּקְדָה, פִּקְדָה, et פִּקְדָה. Atque hæc, quia circa Conjugationes prolixius tractanda, hic ad ea, quæ impræsentiarum volo, obiter notasse sufficiet.

*Participiorum Formula. ***Activum.*

Reg.	Abf.
פִּקְדֵי et פִּקֵּד et פִּקֵּד	פִּקֵּד <i>visitans</i> m. gen.
פִּקְדֵי	פִּקְדִים pl. m.
	פִּקְדָה f. f.
	et
פִּקְדָה	פִּקְדָה f. f. vel פִּקְדָתְךָ vel פִּקְדָתִי (ut יֹשְׁבְתֵי שְׂכֵנֹתַי יִזְלָדְתְּ)
פִּקְדֹת	פִּקְדֹת p. f.
מִפְּקֵד ¹	מִפְּקֵד <i>frequenter visitans</i> f. m.
מִפְּקֵדֵי	מִפְּקֵדִים pl. m.
	מִפְּקֵדָה } et } f. f.
מִפְּקֵדָת	מִפְּקֵדָת }
מִפְּקֵדֹת	מִפְּקֵדֹת p. f.
מִפְּקֵד	מִפְּקֵד <i>constituens aliquem visitantem.</i> m. f.
מִפְּקֵדֵי	מִפְּקֵדִים
מִפְּקֵדֹת	מִפְּקֵדָה } et } s. f., ex quo et formatur
מִפְּקֵדָת	מִפְּקֵדָת }

* Ed. Pr., etc. ante Participiorum seriem hic repetitam alterum, sed minus absolutum ejusdem exemplar descripserunt, deinde Passivum ante Activum posuerunt.

¹ In Scriptura non reperitur hujus Participii Regimen, nec videtur sensu, quo hic et fere semper accipitur, posse relative exprimi; sed quia hæc formula aliquando etiam usurpatur eadem significatione ac prima, nihil impedit, quo minus Regimen habere potuerit.

מְתַפְקֵד	מְתַפְקֵד	<i>se visitans, vel ferens se ut visitans. f. m.</i>
מְתַפְקְדֵי	מְתַפְקְדִים	p. m.
	מְתַפְקְדָה	} f. f.
	et	
מְתַפְקֶדֶת	מְתַפְקֶדֶת	
מְתַפְקְדוֹת	מְתַפְקְדוֹת	p. f.
גָּדַל et גְּדָל	גָּדַל	<i>crefcens f. m.</i>
גְּדָלִי	גְּדָלִים	p. m.
גְּדָלַת	גְּדָלָה	f. f.
גְּדָלוֹת	גְּדָלוֹת	p. f.
בָּא	בָּא	<i>veniens f. m.</i>
בָּאִי	בָּאִים	p. m.
בָּאֵת	בָּאֵה	f. f.
בָּאוֹת	בָּאוֹת	p. f.
גִּילָה	גִּילָה	<i>detegens f. m.</i>
גִּילִי	גִּילִים	p. m.
גִּילַת	גִּילָה	f. f.
גִּילוֹת	גִּילוֹת	p. f.
Sic et		
מְגִילָה	מְגִילָה	<i>qui facit detegere, f. m.</i>
מְגִילִי	מְגִילִים	p. m.
מְגִילַת	מְגִילָה	f. f.

etc.

שׁוֹמֵעַ	שׁוֹמֵעַ et שׁוֹמֵעַ	} <i>audiens, f. m.</i>
שׁוֹמְעִים	שׁוֹמְעִים	p. m.
שׁוֹמְעָה	שׁוֹמְעָה et שׁוֹמְעָה	} f. f.
שׁוֹמְעוֹת	שׁוֹמְעוֹת	p. f.
Sic		
שָׂבַע	שָׂבַע	<i>saturatus.</i>
שׁוֹבְעִים	שׁוֹבְעִים	p. m.
שׁוֹבְעָה	שׁוֹבְעָה	f. f.
שׁוֹבְעוֹת	שׁוֹבְעוֹת	p. f.

Passivum.

Reg.	Abf.	
נִפְקָד	נִפְקָד	<i>visitatus m. f.</i>
נִפְקָדִים	נִפְקָדִים	p. m.
נִפְקָדָה	נִפְקָדָה נִפְקָדָה	} f. f.
נִפְקָדוֹת	נִפְקָדוֹת	pl. f.
etc.	מִפְקָד et מִפְקָד	} f. m. <i>frequenter visitatus.</i>
מִפְקָדִים	מִפְקָדִים	p. m.
מִפְקָדָה	מִפְקָדָה et מִפְקָדָה	} f. f.
מִפְקָדוֹת	מִפְקָדוֹת	

מְפַקְדוֹת	מְפַקְדוֹת	pl. f.
	מְפַקֵּד	<i>constitutus ut visitaret</i> f. m.
	מְפַקְדִים	pl. m.
	מְפַקְדָה	} f. f.
	et	
	מְפַקְדָה	} f. f.
	et	
	מְפַקְדוֹת	pl. f.
פְּקוּד	פְּקוּד	} <i>visitatus</i> adjectivum Verbi f. m.
	et	
	פְּקִיד	} <i>visitatus</i> adjectivum Verbi f. m.
	et	
פְּקוּדִי	פְּקוּדִים	et פְּקִידִים p. m.
פְּקִידָה	פְּקוּדָה	et פְּקִידָה et פְּקִידָת f. f.
פְּקוּדוֹת	פְּקוּדוֹת	et פְּקִידוֹת p. f.
	פְּקִידָה	} <i>frequenter visitatus</i> adjectivum.
	et	
	פְּקִידָה	} f. m.
	et	
	פְּקִידִים	et פְּקִידִים p. m.
	פְּקִידָה	} f. f.
	et	
	פְּקִידָת	} f. f.
	et	
	פְּקִידָת	} f. f.
	et	
	פְּקִידוֹת	et פְּקִידוֹת p. f.

Præter has aliæ Participiorum formulæ dantur, sed has impræsentiarum sufficere arbitror, ut unusquisque facillimo negotio discat Nomina ex statu absoluto in regimen mutare; modo hoc observet, quod illæ vocales in statu Regiminis retinentur, quæ hic immutatæ reperiuntur, videlicet monosyllaba, ad quæ etiam referenda sunt difyllaba, quorum prima est scheva, ut פְּתָב *scriptum*, זֶאֵב *lupus*,

etc., geminum segol, pathagh, ghirekh, et scheva. Gholem plerumque etiam retineri, ante מקך tamen in o breve mutari videmus. Deinde rarissime schurekh, vel potius nunquam mutatur; et quod aliquando khibbuts ejus loco usurpatur, id non fit propter regimen, sed quia unum pro alio sumere licet: nam schurekh syllaba composita est ex gholem et khibbuts, et ideo loco schurekh, vel gholem, vel khibbuts sæpe fumi videmus.

Quod autem עול און מות, et reliqua hujusmodi, habeant in regimine מות און עול, etc. ex communi linguae usu fit. Supra enim diximus, khamets ante segol pro segol usurpari in fine, vel in media periodo, ut una ejus pars ab alia distinguatur, ut עטרך loco עטרך, et פוקרך loco פוקרך. Quare עול, etc. in statu absoluto pro עול regiminis usurpatur.

Sed notandum, in hac lingua magis usitatum esse ו vau quiescentem reddere, syllabas in gholem mutando; qui usus frequentissimus est, et circa hæc Nomina prævaluisse videtur, quia in Scriptura non nisi semel reperitur in regimine עול, alias ubique ex עול *fraus* fit עול, et ex און *pravitas* און; et sic de cæteris hujus formæ.

Denique ut de pluralium terminatione etiam aliquid addam, videmus pluralium terminationem ות semper in regimine retineri; ים autem ׀ omittere, et ghirekh mutare in 'tsere. Quam formam regiminis numerus dualis ים etiam obtinuit, qui propterea ׀ cum ghirek omittit, et pathagh in 'tsere mutat, ut ex עינים *oculi* fit עיני in statu regiminis; atque hinc credo factum, ut omne pathagh ante ו cum ghirek hanc regiminis acceperit formulam, fiatque ex בית *domus* ביי, et ex יין *vinum* יין, etc.

Jam, antequam ulterius pergam, venit hic apprime notandum, me hic per Nomen omnia Nominis genera intelligere. Omne etiam Nomen, excepto (ut jam diximus) proprio, genitivum regit, vel a genitivo regitur; et præcipue relativum, sive præpositivum, quod semper relative significatur, et propterea fere semper genitivum regit, et sæpe regitur; quæ omnia hic ad majorem perspicuitatem exemplis illustrabo.

- בֵּית אֱלֹהִים *Domus Dei*. Ambo substantiva.
- לֵב חָכֵם *Cor sapientis*. Substant. primum, adjectv. secundum.
- חָכֵם לֵב }
גְּדוֹל הָעֵצָה } *contra.*
- אֹהֲבֵי טוֹב }
רֹאֵי הַשָּׁמֶשׁ } *Partic. I.*
- כָּרָא אֱלֹהִים *to creare Dei* Infinit. I.
- יּוֹם כָּרָא אֱלֹהִים *dies toũ creare Dei* Inf., quod simul regit et regitur.
- מַשְׁכִּימֵי קוֹם *maturantes toũ surgere*, hoc est, *qui solent cito surgere.*
- מַשְׁכִּימֵי בִבְקָר }
in Regim. } *maturantes toũ in mane.* Præp. in genit. et Particip.
- לְפָנֵי יְהוָה } *ante Dei.* Præp. in Regim. ex לְפָנִים *antea*; sic ex
תּוֹךְ } *intus* sit תּוֹךְ *inter.*
- עַד עַד *usque toũ usque* h. e. tempus indefinitum; hic ergo
Præp. regit et regitur.
- מַכַּת בְּלֹתֵי סָרָה } *plaga toũ non desinentis*, h. e. *plaga, quæ non des-*
nit. Adverb. *non* regitur.
- אֵין חֲכָמָה } *Non sapientiæ*; hic contra *non* regit. Est enim in
statu absoluto אֵין, quod in statu regiminis, ut בֵּית, mutat; ut jam diximus, patagh et ghirekh in-
tfere. Cæterum hic iterum atque iterum vos monere volo, ut ea, quæ Cap. 5. dicta sunt de
Nomine, animo perpendatis. Nam nemo magno cum fructu hanc linguam colere poterit, nisi id,
quod ibi diximus, recte percipiat, quod scilicet tam Verba, quam Participia, quam Præpositiones,
quamque denique Adverbia, pura puta apud Hebræos sint Nomina.

CAP. IX.

De duplici Nominis usu, deque ejus Declinatione.

Nomine appellativo vel individuum unum vel plura vaga, vel unum aut plura certa et nota significare volumus; quod apud Latinos

abſque ulla differentia, ſed apud Hebræos et alios magna fit. Nempe **איש** vel **אישים** *virum* quemcunque, vel *viros* quoscunque ſignificat. Sed ſi quis non niſi virum vel viros, de quibus jam locutus eſt, vel quos ſupponit notos eſſe, ſignificare vult, debet Nomini præponere **ה** cum pathagh, et primam Nominis literam duplicare, hoc eſt dageſchare; et ſi prima litera una ex iis fuerit, quæ duplicari non patiuntur, tum **ה** loco pathagh khamets debet habere, ut **גַּבְרִיאֵל** et *vir ille Gabriel*. Sed notandum, tam **דָּגַשׁ** quam **כַּמֶּטֶס** poſſe compenſari per gahgja, **הַדְּחִי הַחֲכָמָה** *, etc. Atque hoc **ה** vocari ſolet **הַדְּרִיעָה**, hoc eſt **ה** notitiæ, quia rem notam indicat, adeoque idem Indicativum appellabo.

Verum enim vero hic uſus iſtius **ה** tantum locum habere poteſt in Appellativis, Adjectivis, et Participiis; at non in Propriis, neque in Infinitivis, neque denique in Adverbiis; quia his nunquam niſi rem ſingularem, non autem plura ejuſdem generis ſignificamus; et quod ad relativa attinet, ea nunquam absolute, ſed ſolo regimine indicantur. Nam hoc apprime de hoc **ה** notandum eſt, quod nunquam Nomini, quando Genitivum regit, præfigatur, cujus rei cauſam infra in hoc Cap. oſtendam.

Porro, quia Nomina omnia apud Hebræos indeclinabilia ſunt, exprimuntur caſus plerumque ſola Præpoſitionum quarundam ſignificatione. Dico *ſignificatione*. Nam Præpoſitiones, ut jam diximus, Genitivum (Nomina enim ſunt) revera regunt; ſed, ſicut apud Græcos Præpoſitiones Ablativi Genitivum regunt, et ſolâ earum ſignificatione Genitivus locum obtinet Ablativi, ſic apud Hebræos omnes Genitivum regunt, et ſola earum ſignificatione Genitivus locum reliquorum caſuum obtinet.

Præpoſitiones plerumque caſibus infervientes ſunt hæ: **ל**, **אֶל**, **ב**, **מ** et **מִן**, **עִם**, etc. Ex his autem **ל** et **ב** Nominibus præpoſitæ punctantur cum ſcheva; **מ** autem, quia loco **מִן** uſurpatur, punctatur cum ghirek, et **נ** per punctum **דָּגַשׁ** in ſequenti litera compenſatur; ut omnia in ſequentibus exemplis videri poſſunt.

* Ed. Pr., etc.: **הַדְּחִי הַחֲכָמָה**.

Porro ל cum scheva, et אל, Dativum significant, כ, מ, מן et עם Ablativum; Accusativus autem Præpositionem non habet, sed ejus loco particula את usurpari solet, quæque adeo nunquam Genitivum, sed semper Accusativum regit. Reliqui deinde casus Præpositiones non habent. Quare cum supra diximus, Genitivum locum reliquorum casuum obtinere, intelligendum tantum est, locum Dativi et Ablativi, quia hi soli Præpositionibus exprimuntur. Sed hæc omnia clarius ex sequentibus exemplis intelliguntur.

Exemplum Nominis Appellativi vagi.

Sing.

Nom. דָּבָר *verbum.*

Gen. דָּבָר Cognoscitur ex regimine præcedentis Nominis cujuscunque generis.

Dat. לְדָבָר Intellige, Præpositionem vim Dativi exprimere, esseque in statu regiminis, et Nomen in Genitivo. Porro notandum, quando ל indicat terminum ad quem, posse idem per ה in fine dictionis suppleri, ut לְאֶרֶץ pro אֶרֶץ *ad terram.*

Acc. דָּבָר Cognoscitur ex Verbo Activo.

Voc. דָּבָר

Abl. מִדָּבָר Intellige hic ut supra in Dativo.

Plural.

Nom. דְּבָרִים

Gen. דְּבָרִים

Dat. לְדְבָרִים

Acc. דְּבָרִים

Voc. דְּבָרִים

Abl. מִדְּבָרִים vel מִי.

Exemplum Nominis cum ה indicativo.

Sing.		Plur.	
Nom. } הדָּבָר		Nom. } הַדְּבָרִים	
Gen. }		Genit. }	
Dat. } לְדָבָר pro לְהַדְּבָר		Dat. } לְדְבָרִים pro לְהַדְּבָרִים	
Acc. } אֶת־הַדְּבָר		Acc. } אֶת הַדְּבָרִים	
Voc. } הַדְּבָר		Voc. } הַדְּבָרִים	
Abl. } בְּדָבָר pro בְּהַדְּבָר		Abl. } בְּדְבָרִים pro בְּהַדְּבָרִים	

Exemplum substantivi et adjectivi Masculini.

		Cum ה indicativo.	
Nom. } אֵל גָּדוֹל <i>Deus magnus.</i>		Nom. } הָאֵל הַגָּדוֹל	
Gen. }		Gen. }	
Dat. } לְאֵל גָּדוֹל		Dat. } לְאֵל הַגָּדוֹל	
	etc.	Acc. } אֶת הָאֵל הַגָּדוֹל	

Exemplum Faminini generis.

		Cum ה indicativo.	
Nom. } מְנוֹרָה יְפָה <i>Candelabrum pulchrum.</i>		Nom. } הַמְּנוֹרָה הַיְפָה	
Gen. }		Gen. }	
Dat. } לְמְנוֹרָה יְפָה		Dat. } לְמְנוֹרָה הַיְפָה	
	etc.	Acc. } אֶת הַמְּנוֹרָה הַיְפָה	
			etc.

Exemplum Nominis Relativi.

Nom. } תּוֹךְ <i>inter.</i>	
Gen. }	
Dat. } אֶל תּוֹךְ, אֶל לְתוֹךְ <i>ad tō inter.</i>	
Acc. } תּוֹךְ	
Abl. } בְּתוֹךְ, מִתּוֹךְ etc. <i>in et de tō inter.</i>	

Nota, תּוֹךְ esse in statu Regiminis, et formari a תּוֹךְ, ut ab עוֹל *fraus* עוֹל. Sumpsi tamen exemplum Regiminis, quia, uti dixi, Præpositiones vix in statu absoluto concipi possunt, et ideo cum ה indicativo nunquam declinantur. Nam ה plerumque rem jam expli-

catam et notam supponit; regimen autem rem per Genitivum explicandam et determinandam, hoc est, rem nondum notam. Atque hæc, inquam, הָ et regimen, *plerumque*, sed non dixi *semper* supponere; nam sæpe etiam summa cum elegantia הָ indicativum pro regimine, et regimen contra pro הָ indicativo usurpare licet, ex. gr. כָּל־נְבִיאִי *omnes propheta*, loco כָּל־הַנְּבִיאִי *eleganter dicitur*. Nam הַנְּבִיאִים significat prophetas jam notos, et נְבִיאִי in regimine, et subintellecto Genitivo, significat prophetas rei jam cognitæ, nempe Dei, veritatis, etc. Sic הַשֹּׂחֲתִים בְּמוֹרְקֵי יַיִן *qui bibunt in patetis vinum* loco בְּמוֹרְקִים *elegantius dicitur*. Sed de his fusius in Syntaxi. Hic tantum in genere hoc notare sufficit, regimen idem ac הָ indicativum valere, quando Genitivus, ut res nota, subintelligi potest; quod in Præpositionibus locum habere nequit.

Aliud exemplum Nominis Relativi.

Sing.		Plur.	
Nom. } קָדָם	<i>ante.</i>	Nom. } קָדְמֵי	<i>multo ante.</i>
Gen. }		Gen. }	
Dat. } לְקָדָם		Dat. } לְקָדְמֵי	
Acc. } קָדָם		Acc. } קָדְמֵי	
Abl. } מִקָּדָם		Abl. } מִקָּדְמֵי	<i>ab omni ante.</i>

(Prov. 8. אֶרֶץ אֶרֶץ מִקָּדְמֵי אֶרֶץ *significat ab omnibus antecitatibus terræ.*

Aliud Nominis Relativi.

Aliud Adverbiorum exemplum.

חוּץ <i>foras.</i>			
מִחוּץ <i>pars, quæ foras respicit.</i>		Nom. }	מָתַי <i>Quando.</i>
		Gen. }	
<i>Declinatur ut nomen, hoc modo:</i>		Dat. }	לְמָתַי <i>ad tò quando, hoc est, in id tempus.</i>
Nom. }	מִחוּץ <i>de tō foras.</i>	Acc. }	מָתַי
Gen. }		Abl. }	בְּמָתַי, etc.
Dat. }	אֶל מִחוּץ <i>ad tò, de tō foras etc.</i>		
Acc. }	מִחוּץ		

Abl.	בְּמַחֲוֶיךָ; et sic de reliquis.	Nom. } חָנָם <i>frustra</i> .
		Gen. }
	<i>Exempl. Infinitivi.</i>	Dat. חָנָם אֵל ad τὸ <i>frustra</i> , etc.
Nom. } פָּקֹד τὸ <i>visitare</i> .	Nom. } עוֹד <i>adhuc</i> .	
Gen. }	Gen. }	
Dat.	לְפָקֹד	Dat. לְעוֹד ad τὸ <i>adhuc</i> .
Acc.	פָּקֹד	Acc. עוֹד
Abl.	בְּפָקֹד	Abl. בְּעוֹד, מֵעוֹד <i>de et in τῷ</i>
	[בְּפָקֹד]	<i>adhuc, hoc est, in tempore,</i>
	מִפָּקֹד	<i>a tempore.</i>

Participia declinantur sicut
Adjectiva.

Exempla Adverbii.

Nom. } לֹא <i>non</i> .	
Gen. }	
Dat.	לְלֹא ad τὸ <i>non</i> .
Acc.	לֹא
Abl.	מִלֹּא <i>de τῷ non</i> .
Nom. } טָרָם <i>adhuc non, vix</i> .	
Gen. }	
Dat.	לְטָרָם ad τὸ <i>vix, nondum</i> .
Acc.	טָרָם
Abl.	בְּטָרָם, מִטָּרָם <i>de, in τῷ nondum, id est, in vel a tempore,</i> <i>quo nondum, etc.</i>

His exemplis potest unusquisque facile videre, qua ratione omnia Nomina, cujuscunque generis sint, declinantur. Sed notandum, casuum Praepositiones eleganter omitti, quando de sensu non possumus ambigere, ut Proverbiorum 22. vers. 21. לְהַשִּׁיב אֲמָרִים לְשֹׁחֲזֵיק אִמְתָּא *ad referenda dicta cum veritate eis, qui se miserunt*. Nam quandoquidem אֲמָרִים in statu absoluto est, non potest Genitivus אִמְתָּא ab

eo regi, sed necessario a præfigenda Propositione ב, quæ hic omit-
titur. Sic 1. Reg. 2. vers. 7. וְהָיוּ בְּאֹכְלֵי שְׁלֹחַנָּהּ et erunt ex come-
dentibus (וֹו ad) mensam tuam; ubi etiam Præpositio אֶל vel עַל in
Genitivo, recto a Regimine Participii, subintelligitur; et ad hunc
modum plura, de quibus in Syntaxi ex professo.

CAP. X.

De Præpositione et Adverbio.

Diximus supra Capite 5., Præpositiones esse Nomina, quibus
significatur, quam relationem unum individuum ad aliud habeat.
Diximus deinde, quod una eademque relatio tam Singulari quam
Plurali numero exprimatur. Primum quod attinet, quod scilicet
Præpositiones Nomina sint, fatis ex præcedentibus duobus Capp.
constare jam credo. At quod Pluralem etiam habeant numerum,
multis forsan absurdum videbitur; sed quidni, cum revera sint Nomina?
At dices, relationes non esse species, quæ plura individua sub se
habent, adeoque hoc cum Nomine proprio commune habere, quod
careant Plurali. Sed esto; non dentur unius speciei plures relationes;
Præpositiones tamen ex Singulari in Pluralem numerum flectuntur.
Quomodo autem id fieri possit, paucis hic explicare constitui.

Quamvis Præpositiones plures relationes simul indicare non possint,
quædam tamen ex Singulari in Pluralem flectuntur, idque tam in
statu absoluto quam in statu Regiminis; at Præpositiones in statu
absoluto nihil sunt, quam ipsæ relationes abstracte conceptæ sive
expressæ; sed tum non tam relationem, quam locum vel tempus
cum relatione ad aliquam rem, exprimunt. Ex. gr. ex בֵּין *inter* fit in
Plurali בֵּינָתָם, quod quidem non relationem unius individui ad aliud,
sed loca aliis intermedia significat (qua de re vide Ezech. cap. 10. 2.),
vel, ut dixi, est ipsa Præpositio, seu relatio abstracte concepta, ut,
ex אַחֲרָיִם, אַחֲרָיִם *posteriora*, vel invito Latino vocabulo *posteriori-
tates*; ad cuius modum plures tam Præpositiones quam Adverbia
formari possunt, quamvis in Scriptura nunquam sic formata reperiuntur.

Porro ipsæ etiam Præpositiones in statu Regiminis, hoc est quate-

nus relationes indicant, tam in Singulari quam in Plurali declinantur; quod fit quia vel relatio multoties concipi, vel quia intensius exprimi debet. Ex. gr. אַחֲרַי *post* habet in Plurali אַחֲרַי, quod significat *multum post*, quemadmodum Rabbini optime notarunt. Sic אֵל *ad* habet in Plurali אֵלַי *multum ad*, hoc est, quantum fieri potest, ad illam partem ivit: sic ex עַל *supra* fit עָלַי, et ex עַד *usque* עָדַי. Hinc עַד עָרַי *in aeternum* significat, hoc est, omnia, quae concipi possunt, usque כֹּחַ usque; sic מִקְדָּמֵי אֶרֶץ significat *ab omni ante terra*; et ad hunc modum omnes fere Præpositiones tam in Singulari, quam in Plurali numero declinari possunt.

At לְפָנַי *ante*, quæ Præpositio Singularem non habet, ex his excipienda est. Nam hæc nulla alia de causa in plurali declinatur, quam quia formatur a substantivo פָּנִים *facies*, sive *anteriora*, quod Singulari caret.

Denique Adverbia Nomina etiam esse diximus, quibus actio quæcunque determinatur, ratione modi, temporis, loci, agentis, ordinis, etc. Ex. gr. *bene, male, festinanter, cras, heri, intus, foras, simul, primo, secundo*, etc., atque hæc plurali numero carere Ratio indicat. Nec possunt, sicut Præpositiones, abstracte concipi, ut per se notum est; et quamvis Latini etiam Adverbia sæpe intendant, ut *perbenigne, multo mane*, etc., adeoque hac de causa etiam deberent apud Hebræos in Plurali numero, ut Præpositiones solent, exprimi, hoc tamen Hebræis absurdum videretur. Nam Præpositiones, quia relationes indicant, possunt, ut Nomina Substantiva, attributa habere, sive intensius exprimi; at Adverbia, quia actionis modi sunt, Adjectiva quasi Verborum sunt; eadem igitur intendere nihil aliud esset, quam attributorum attributa excogitare, sive Adjectivis Adjectiva addere. Deinde Adverbia, quia, ut dixi, Verborum quasi Adjectiva sunt, debent numero cum suo Substantivo, hoc est, cum suo Verbo, quod non nisi Singularem habet, convenire. Ad hæc ergo significanda, *multo mane, perbenigne*, etc., Hebræi multo convenientius Verba ipsa intendunt, vel loco unius Adverbii Verbum aut Nomen usurpant. Ex. gr. *multo mane surrexit* exprimitur He-

braice, *matutinavit admodum ad surgendum*, et *perbenigne egit*, *benignus admodum egit*, ut in Syntaxi suo loco explicabimus.

Sed notandum, quod Adverbia, sicut Substantivorum Adjectiva. aliquando substantivantur. Verum neque hæc in Pluralem flexi, sed tantum repeti solent, ut מעלה מעלה *furfum fursum*, hoc est *ad summum usque gradum*; contra מטה מטה *infra infra* significat *ad infimum usque gradum*. Sic מאד מאד significat *admodum*, et מאד מאד *summu gradu, admodum, et nimis*; sic מעט מעט *parum, paulatim*; et ad hunc modum alia.

CAP. XI.

De Pronomine.

Antequam ad Conjugationes transeam, necesse est ut de Pronomine agam. Nam absque his illæ vix tradi possunt. Quid Pronomen sit, et in quot genera distinguatur, notum omnibus est; quomodo autem ex Singulari in Pluralem numerum flexantur, et masculina a foemininis distinguantur, et declinentur, ordine hic tradam.

Pronomina Primitiva.

Sing.		Plural.	
ego	{ אני אנוכי	{ אנחנו נחנו אנו	} nos { Communis est generis, ut ubique prima persona, quia loquens ipse se satis indicat, num mas vel foemina sit.
tu	אתה masc. gen.	אתם vos masc.	
tu	את foem. gen.	אתן vos f. et cum ה parag. אתנה	
ille	הוא	הם illi m. et cum ה parag. המה	
illa	היא	הן illæ f. et cum ה parag. הנה	

Harum itaque Pluralis terminatio a communi multum differt. Nam masculina non desinunt in ם, nec foeminina in ן. Foeminorum deinde terminatio in his alia etiam est quam Adjectivorum. Denique foemininum את videtur etiam fuisse אתי, et היא fuisse הוא a mascu-

lino aliis vocalibus distinctum. Nam in Bibliis sæpius sic scripta reperiuntur, quæ Maforethæ ubique corrigunt; sine dubio quia obsoleta erant.

Indicativa vel Demonstrativa.

<i>hic</i>	}	זֶה זו לֵזֶה	}	carent plurali.
<i>hac</i>	}	זֹה זֹאת זֶז	}	
<i>hi, hæ</i>	}	אֵלֶּה אֵל	}	carent singulari.

Pro Relativo tam Singulari quam Plurali inservit הָ Indicativum, vel ejus loco וְ, servato in sequenti dagesch; sed frequentius in Bibliis reperitur אֲשֶׁר.

Possessiva separata non dantur, sed Regimini Nominis affiguntur, hoc modo:

Exemplum Nominis Substantivi דָּבָר Verbum, ex cujus Regimine דָּבָר fit tam Nominis quam affixi Sing.

דְּבָרִי *Verbum mei et meum*

דְּבָרְךָ *tui m. g.*

(et, si accentus fuerit אתנחא vel
 (דְּבָרְךָ: סילוק)

דְּבָרְךָ et דְּבָרְךָ *f. g.*

דְּבָרוֹ *ejus m. g.*

דְּבָרֶיהָ *f. g.*

Pluralis affixi.

דְּבָרָנוּ	<i>noſtri</i>	
דְּבָרְכֶם	<i>veſtri</i>	m. g.
דְּבָרְכֶן		f. g.
דְּבָרָם	<i>eorum</i>	m. g.
דְּבָרָן		f. g.

Ex Regim. Plur. דְּבָרַי fit

	דְּבָרַי	<i>Verba mei et mea.</i>	
NB., † sub ך non dari, nisi quando accentus est אֲתֵנָּה vel סִילּוּק; alias loco † punctatur cum pathagh.	דְּבָרַיְךָ	<i>tui</i>	m. g.
	דְּבָרַיְךָ		f. g.
	דְּבָרַיְהֶם	<i>ejus</i>	m. g.
	דְּבָרַיְהֶן		f. g.

Pluralis Nominis et affixi pl.

	דְּבָרֵינוּ	<i>Verba noſtri et noſtra.</i>	
NB. Secunda et tertia persona, quando nomen est Plurale, ſemper Regimini Pluralis ad-duntur.	דְּבָרֵיכֶם	<i>veſtri</i>	m. g.
	דְּבָרֵיכֶן		f. g.
	דְּבָרֵיהֶם	<i>eorum</i>	m. g.
	דְּבָרֵיהֶן		f. g.

Sic ex Regimine תְּפִילַת תְּפִילַתְךָ *oratio alicujus* תְּפִילַתִּי, etc. et in Plurali תְּפִילּוֹתַי, etc. Sic ex בית Regimine Nominis ſubſtantivi בית *domus* fit בֵּיתִי *domus mea*, et ex Regimine Plurali בְּתֵי fit בְּתֵיךָ *domus tua*, etc.

Exempla Participii singularis tam Nominis quam Affixi.

Exemplum Masculini פִּקְרֵי

פִּקְרֵי	et	פִּקְרֵי	<i>Visitans mei</i>	et	<i>meus.</i>
פִּקְרֵךְ			<i>tui</i>		m. g.
פִּקְרֵה					f. g.
פִּקְרֵוֹ			<i>ejus</i>		m. g.
פִּקְרֵיהָ					f. g.

Exemplum Fœminini פִּקְרָה

פִּקְרָה	<i>Visitans mea</i>		
פִּקְרָתְךָ	<i>tua</i>		m. g.
פִּקְרָתְהָ			f. g.
פִּקְרָתוֹ	<i>Visitans ejus</i>		m. g.
פִּקְרָתֶיהָ			f. g.

Exempl. pl. m. פִּקְרֵי

פִּקְרֵי	<i>Visitantes mei</i>		
פִּקְרֵיךָ	<i>tui</i>		m. g.
פִּקְרֵיהֶן			f. g.
פִּקְרֵיהֶם	<i>ejus</i>		
			etc. ut in substant.

Exempl. pl. f. פִּקְרוֹת

פִּקְרוֹתֵי	<i>Visitantes mei</i>		
פִּקְרוֹתֶיךָ	<i>tui</i>		m. g.
פִּקְרוֹתֶיהָ			f. g.
			etc. ut in substant.

Exempl. Regiminis Infinit. פִּקְוֹר

	k. gh.		
פִּקְוֹרֵי	<i>Visitare mei</i>	et	<i>meum</i>
פִּקְוֹרֶךָ	<i>tui</i>		m. g.

פְּקָדָךְ		f. g.
פְּקָדוֹ	<i>ejus</i>	m. g.
דָּהָה		f. g.
פְּקָדֵנוּ	<i>noſtri</i>	
פְּקָדֵכֶם	<i>veſtri</i>	m. g.
כֹּן		f. g.
פְּקָדֵם	<i>eorum</i>	m. g.
חָ		f. g.

Exempl. Relativi בֵּין *et inter*. Sing.

Inter mei et me בֵּינִי *et* בֵּינֵךְ

בֵּינֵךְ	<i>tui</i>	m. g.
נָךְ		f. g.
בֵּינוֹ	<i>ejus</i>	m. g.
נָהּ		f. g.

Inter noſtri בֵּינֵנוּ

בֵּינֵכֶם	<i>veſtri</i>	m. g.
		etc.

Exempl. Relativi Plur. בֵּינֵי *et inter*

בֵּינֵי	<i>Inter mei</i>	
בֵּינֵיךְ	<i>tui</i>	m. g.
בֵּינֵיךְ		f. g.
בֵּינֵיוֹ	<i>ejus</i>	m. g.
בֵּינֵיהֶם		f. g.
בֵּינֵינוּ	<i>noſtri</i>	
בֵּינֵיכֶם	<i>etc.</i>	
כֹּן		
הֵם		
הֵן		

At אַל *ad*, עַל *super*, אַחֲרַי *post*,
 עַד *usque* affixa non habent
 in Sing.; in Pl. autem fit ex

Sic ex fing. et pl.

	תַּחֲרִי	תַּחֲרִי	עָלַי	אֵלַי	אַחֲרַי	עָדַי
Fit	תַּחֲרֵנִי	תַּחֲרֵנִי	עָלַי	אֵלַי	אַחֲרַי	עָדַי
	תַּחֲרִיךְ	תַּחֲרִיךְ	עָלֶיךָ	אֵלֶיךָ	אַחֲרֶיךָ	etc.
	תַּךְ etc.	תַּחֲרִיךְ etc.	עָלֶיךָ	אֵלֶיךָ	אַחֲרֶיךָ	
			etc.	אֵלָיו	אַחֲרָיו	
				אֵלֵיהֶם	etc.	
				אֵלֵינוּ		
				etc.		

Præpositiones deinde inseparabiles non habent Pluralem.

ב	et	ל	Ex	מִן	de	fit
בִּי	<i>in mei</i>	לִי	מִמֶּנִּי	et	מִנִּי	
	et <i>me</i>		מִמֶּךָ			
בְּךָ	<i>tui</i>	לְךָ et לְךָ	מִמֶּךָ			
בְּךָ	f. g.	לְךָ	מִמֶּךָ			
בוֹ	<i>eo</i>	לוֹ	מִמֶּנּוּ	et	מִנֶּהוּ	et מִנֶּהוּ
בְּהֶם	f. g.	לָהֶם	מִמֶּנָּה			
בָּנוּ		לָנוּ	מִמֶּנּוּ			
בְּכֶם		etc.	מִמֶּכֶם	et	מִכֶּם	
כֵּן			כֵּן		כֵּן	
בְּהֶם			מִמֶּהֶם	et	מִהֶם	et מִנֶּהֶם
הֵן			הֵן		הֵן	הֵן

Exemplum Adverbii.

כמו <i>ficus</i>	איה <i>ubi?</i>	Ex הנה <i>ecce fit</i>
כמני		הנני
כמוך	איה <i>et</i> איה <i>ubi tu?</i>	הנהך
כמונו	איה <i>f. g.</i>	הנו הנני
etc.	איו <i>ille?</i>	etc.
	איכם <i>m. vos?</i>	
	כן <i>f.</i>	
	אים <i>illi?</i>	
	יו <i>f.</i>	

Ex Regimine deinde Adverbii אין *non*, quod diximus esse אין, fit

אינני <i>non mei i. e. ego</i>	איננו <i>non nostri i. e. nos</i>
אינה <i>sui m.</i>	אינכם <i>m.</i>
אינהך <i>f.</i>	כן <i>f.</i>
איננו <i>et</i> אינו <i>ejus m.</i>	אינהם <i>et</i> אינם <i>m.</i>
איננה <i>et</i> אינה <i>f.</i>	הן <i>f.</i>

Est עוה *adhuc fit*

עוהי <i>adhuc ego</i>	עורנו <i>adhuc nos</i>
עודה <i>m. tu</i>	עודכם <i>m. vos</i>
עודהך <i>f.</i>	כן <i>f.</i>
עורנו <i>et</i> עודו <i>m. ille</i>	עודם <i>m. illi</i>
עודה } <i>f.</i>	הן <i>f.</i>
et } <i>f.</i>	
עודה } <i>f.</i>	

Et ad hunc modum reliqua. Quod autem vocales Regiminis non retineantur, sed variis modis mutantur, id fit, quia Nomina syllabâ ad minimum unâ, eâque longâ augentur, quæ accentum ad se trahit; quæ unica est causa, cur vocales, ob additam Pluralis Numeri cum

accentu aliam longam, in brevissimas mutantur: nam alias, si nimirum דָּבָר haberet in Plurali דְּבָרִים, et sic reliqua, deberent necessario duplici accentu (ut constat ex iis, quæ Cap. 4. ostendimus) notari, et prior syllaba produci, quod tam frequenter non posset sine magna molestia fieri.

Hac igitur de causa mutationum, quæ suffixa vocalibus adferunt, regulas, tam mutationes Pluralium, quam Regiminis sequuntur. Fateor quidem, ob additum suffixum cum accentu potuissent ubique vocales secundum regulas Pluralis Regiminis mutari; nec facile causam dixero, cur id non fuerit factum. Nam, sicut ex מַלְכֵי Regimine Pluralis Nominis מֶלֶךְ fit מַלְכֵי *rex mei*, sic etiam ex דְּבָרֵי Regimine Pluralis Nominis דָּבָר fieri potuisset דְּבָרֵי *verbum mei*, et non ex absoluto דְּבָרִים facere דְּבָרֵי; quandoquidem Nomen cum affixo habet revera Regiminis significationem. Scio quidem, hac ratione non raro vitari amphiboliam, quæ sæpe oriretur, si ubique regulas Regiminis sequerentur. Nam si ex [דְּבָרֵי fieret] דְּבָרֵי *verbum mei*, et [ex] זְכָרֵי (Regiminis Pluralis זָכָר *mas*) fieret זְכָרֵי, confunderentur hæc Nomina cum דָּבָר *pestis* et זָכָר *memoria*, ita ut דְּבָרֵי videretur *pestis mei*, et זְכָרֵי *memoria mei*; et ad hunc modum plura alia Nomina confunderentur, si Nomina ob additum suffixum Regiminis Pluralis regulas sequerentur. Et quamvis hæc ratio pondus habere videatur, non tamen certo affirmare audeo, Hebræos hanc confusionem effugere voluisse. Nam Hebræi de nulla re minus solliciti videntur fuisse, quam de vitanda amphibolia; quod plurimis exemplis hic ostenderem, nisi hoc superfluum existimarem. Quare facilius crederem, suffixa Regimini Nominis tam Singulari quam Plurali addi, et דְּבָרֵי *verbum meum*, etc., זְכָרֵי *barba mea*, etc. formari ex דָּבָר et זָכָן, Regimine scilicet Singulari ex דָּבָר et זָכָן, et tamen khamets status absoluti retineri, quia penultima ante ghirekh et gholem debet esse khamets, nisi Nomen sit מְלֵעִיל וַיֵּת *oliva*, בַּיִת *domus*; vel quod litera ghirekh vel gholem punctanda, punctum דָּגֶשׁ habeat, ut סַפִּיר *saphirus*, רְתוּקַת *catena*. Sic etiam ex Regimine הַצֵּר *atrium* fit הַצֵּר *atrium ejus*, retento scilicet tere status

absoluti חֲצַר; quia, ut diximus, penultima ante gholem et ghirekh non potest esse pathagh. Et ad hunc modum omnia, quorum ultima Regiminis est pathagh, et penultima scheva, status absoluti ultimam in suffixis retinent. Quod si penultima Regiminis non fuerit scheva, sed una ex iis, quæ in Plurali retinentur, nempe pathagh, gholem absque accentu, ghirekh, etc., tum suffixa secundum regulas Regiminis Pluralis Nominibus adduntur, ut ex פִּקְרֵי Regimine Pluralis Participii פִּקְרֵי fit *vifitans meus*, et ex מְקֻלוֹת Regimine Pluralis Substantivi מְקֻלֵּי fit *bacillum meum*, etc.

Porro monosyllaba etiam ob additum suffixum Regiminis Pluralis regulas sequuntur. Nam ex שָׂרֵי, חֲצֵי, עָרֵי, etc., Regimine Pluralis Nominum שָׂרָךְ *princeps*, חֲצִיךְ *sagitta*, עָרֶךְ *seffis*, etc., fit שָׂרֵי, חֲצֵי, עָרֵי, etc.

Nomina deinde, quæ sunt מְלַעֵיל, quia accentus, uti diximus, ad additum suffixum transit, Regimen etiam Pluralis Numeri sequi debent. Hujus notæ sunt omnia, quorum penultima est fegol vel gholem ante fegol. Hinc ex זְבָחֵי צְדָקָי מְלָכֵי, Regimine Pluralis Substantivi זְבַח צְדָקָה מְלֶךְ, fit זְבַח צְדָקָה מְלָכֵי *rex meus*, et זְבָחֵי צְדָקָי *justitia mea*, et ex זְבָחֵי אָזְנֵי Regimen Pluralis Substantivi אָזְנֵי אָזְנֵי *auris mea*; et ad hunc modum ex Regimine Pluralis Substantivi אָרְבֵּי רָחֵב גְּדָל אָרְבֵּי etc. fit אָרְבֵּי רָחֵב גְּדָלֵי *magnitudo mea*, אָרְבֵּי רָחֵבֵי *latitudo mea*, אָרְבֵּי אָרְבֵּי *longitudo mea*, etc.

Nominibus præterea, quæ in ה desinunt, et quæ ipsum in ת, et præcedentes duas syllabas in fegol mutare solent, nulla, nisi in hanc secundam formam mutatis, affixa adjunguntur, mutando utrumque fegol eodem modo ac præcedentia. Ex. gr. pro תְּפִאֲרָה *gloria*, עֲטָרָה *corona*, נְבִירָה *domina*, etc. usurpatur sæpe eleganter תְּפִאֲרָתָה, עֲטָרָתָה, נְבִירָתָה; quæ propterea suffixa non nisi in hac secunda forma habent, mutato scilicet utroque fegol eodem modo, ac Nomina, quæ geminum habent fegol, in Regimine Pluralis solent, quod scilicet primum in pathagh vel ghirekh, secundum in scheva mutant; fit ergo ex תְּפִאֲרָתָה תְּפִאֲרָתֵי *gloria mea*, et ex עֲטָרָתָה עֲטָרָתֵי *corona mea*, ex

קְטוֹרֶת קְטוֹרֶה *domina mea*. Sic, quoniam pro נְבִרְתִי נְבִרְתִי, suffixa in hac forma habet, ut Nomina, quorum penultima est gholem, quod ipsum in ghateph khamets mutant, fitque קְטוֹרֶתִי *suffumigium meum*.

Atque hinc fit, ut Participia in forma פּוֹקְדָה suffixa non habeant, sed tantummodo in פּוֹקְדָת, ut jam in exemplo Participii ostendimus. At reliqua, quæ in הִי definunt, nec ut præcedentia mutari solent, mutant affixum הִי tantummodo in תִּי, ut in Regimine solent, præterquam quod ultimum - khamets, ob jam dictam causam, retinetur, nec in - pathagh, ut in Regimine, mutatur. Sic ex תְּפִילָה, cujus regimen est תְּפִילַת, fit תְּפִילַתִי *oratio mea*, et ex בְּקִשָּׁה, cujus regimen est בְּקִשָּׁה, fit בְּקִשָּׁתִי *petitio mea*, et ad hunc modum reliqua Regimini Singularis adduntur.

Quæ deinde in הִי definunt, quod in Regimine retinetur, omittunt plerumque ipsum in suffixis, ut שָׂדֶה *ager*, שָׂדֶה *ager tuus*, מַעֲשֵׂה *opus*, מַעֲשֵׂי *opus meum*; et sic reliqua, quorum Regimen non mutat הִי in תִּי. Dixi quidem, הִי plerumque, non autem absolute omitti, quia in tertia persona retineri solet, ut שָׂדֶהוּ *ager ejus*, מַעֲשֵׂהוּ *opus ejus*, etc. Hæc de modo, quo suffixa Nominibus Singulari significatione acceptis adduntur; quomodo iisdem Plurali significatione acceptis addantur, paucis jam dicam.

Nominibus Pluralibus, quæ in תִּי definunt, absque ulla Regiminis mutatione suffixa tam Singularia quam Pluralia, tamque primæ quam secundæ et tertiæ personæ adduntur; ex. gr. בְּרָכָה *benedictio* habet in Plurali בְּרָכוֹת, cujus regimen est בְּרָכוֹת, atque hinc fit בְּרָכוֹתִי, בְּרָכוֹתֶיךָ, בְּרָכוֹתָיו *benedictiones mea, tua, illius*, etc. Sic אֶרֶץ *via* habet in Plurali אֶרְצוֹת, ejusque Regimen est אֶרְצוֹת, atque hinc אֶרְצוֹתִי, אֶרְצוֹתֶיךָ, אֶרְצוֹתָיו *via mea, tua*, etc.; atque ad hunc modum reliqua, quæ in תִּי definunt.

At quæ in יֵם definunt, quæque Regimen Singularis sequuntur, idem etiam in Plurali retinent, quando suffixum Singulare est, vel primæ personæ Plurale; sed suffixa secundæ ac tertiæ personæ Plu-

ralia Regimini Plurali absque ulla ejusdem mutatione adduntur, ut in primo exemplo Nominis Substantivi דָּבָר ostendimus.

Denique quæ in Singulari Regimen Pluralis sequuntur, ut מֶלֶךְ, זָבַח, שָׁמֶן, etc., iis in Plurali suffixa adduntur, ut quæ geminum habent khamets. Nam מֶלֶךְ habet in Plurali מְלָכִים, ut דָּבָר, דְּבָרִים. Atque hinc fit מְלָכֵי, מְלָכֶיךָ, מְלָכָיו, מְלָכֵיהֶם, etc. ut in דָּבָר. Sic etiam שָׂרָשׁ radix habet in Plurali שָׂרָשִׁים, ex quo fit שָׂרָשָׁי, שָׂרָשֶׁיךָ, שָׂרָשָׁיו, retento scilicet ubique duplici khamets, et duplicato propterea accentu. Hæc de Possessivis Pronominibus.

Supereff ut de Declinatione Pronominum pauca etiam addam, ex quibus, præter Indicativa, et Relativum אֲשֶׁר, *qui, quæ, quod*, et *qui, quæ, quæ*, ut et שׁ, nulla declinantur; compensantur tamen hoc modo:

Nom.			Indicativa declinantur ut Nomina:		
הוא	אַתָּה	אֲנִי	Nom.	} זֶה } <i>hic.</i>	Sing.
<i>ille.</i>	<i>tu</i>	<i>ego</i>	Gen.		
	Dat.		Dat.	לְזֶה	
לו	לְךָ	לִי	Acc.	הַזֶּה	
<i>illi</i>	<i>tibi</i>	<i>mihi.</i>	Abl.	בְּזֶה, מִזֶּה etc.	
Accusativus suppletur particula					
את hoc modo:					
אחרו	אַתָּךְ	אֲתִי	Nom.	} זאת } <i>hac.</i>	Plur.
<i>illum</i>	<i>te</i>	<i>me</i>	Gen.		
	Abl.		Dat.	לְזֹאת et לְזֹאת	
בו	בְּךָ	בִּי	Nom.	} <i>hi, ha, hac</i>	
<i>in eo</i>	<i>in te</i>	<i>in me,</i>	Gen.		
et ad hunc modum in Plurali.			Dat.	לְאֵלֶּה לְאֵלֶּה	

Relativum.

אֲשֶׁר et שׁ

Nom.	} אֲשֶׁר	Nom.	} שֶׁ <i>qui</i>
Gen.		אֲשֶׁר	
Dat.	לְאֲשֶׁר	Dat.	לְשֶׁה
	etc.		etc.

CAP. XII.

De Nomine Infinitivo, nempe de variis ejus Formis et Speciebus.

Nomina Infinitiva, sive actionum, exprimunt actionem, vel ad agentem relatam vel ad patientem. Nam *טו* *visitare alicujus* ad agentem, et *טו* *visitari alicujus* ad patientem refertur. Deinde hæc Nomina actionem, sive ad agentem sive ad patientem relatam, simpliciter vel intensiver exprimunt; ut *visere* et *visitare*, *frangere* et *confringere*, quorum primum simplicem actionem *visendi* et *frangendi*, secundum autem affectum præterea, vel frequentem actionem *visendi* et *frangendi* exprimit.

Formulæ Hebræorum, quibus actionem ad agentem relatam simpliciter exprimunt, sunt פִּקֹּד, פִּקֵּד, פִּקְדָּה, פִּקְדָּה, פִּקְדָּה, et פִּקְדָּה, quarum Regimina (ut diximus Cap. 8.) sunt פִּקֹּד et פִּקְדָּה. Quæ autem actionem ad patientem relatam simpliciter exprimunt, sunt נִפְקֵד, הִפְקֵד, et הִפְקֵד. Actionem deinde cum relatione ad agentem intensiver vel frequentative exprimunt hæ: פִּקְדָּה, פִּקְדָּה, et פִּקְדָּה: quæ formulæ in hoc præcipue a primis distinguuntur, quod secunda litera duplicatur, quæ propterea punctum דָּגֵשׁ ubique habent. Denique actio intensiver expressa, et ad patientem relata, per וּ et gholem, retento in secunda litera dagesch, exprimitur in S. Scriptura; ut נִבְּרָה.

Solent præterea Hebræi actionem ad causam principalem referre, quæ scilicet efficit, ut actio aliqua ab aliquo fiat, vel ut res aliqua suo officio fungatur; ex. gr. פִּקֹּד significat *visitare*, הִפְקֵד, הִפְקֵד, הִפְקֵד vel הִפְקֵד significat *constituere aliquem visitantem*. Sic מְלֹךְ significat *regnare*, הִמְלִיךְ, etc. *constituere aliquem regnantem sive regem*. Sic ex אָכַל *comedere*, fit הִאֲכִיל *facere ut aliquis comedat*, et ex בָּא *venire* fit הִבִּיא *facere venire*, sive *adducere*; יָדַע *scire*, הוֹדִיעַ *facere ut sciat*, sive *revelare*. Atque hæc in forma passiva habent הִפְקֵד *constitui, ut visitaret*, הִמְלִיךְ *constitui, ut regnaret*, etc.

Nec tantum Nomina actionum, sed etiam rerum eodem hoc modo ad causam referuntur, quæ efficit, ut dixi, ut res suo officio fungatur. Sic ex מָטָר *pluvia* fit הִמְטִיר *facere ut pluvia fit*, sive *ut*

pluat, et ex אָזְנִי *auris* fit הַאָזִין *facere ut auris suo officio fungatur*, hoc est *auscultare*, et ex שָׁלוֹם *pax* fit הַשָּׁלוֹם *statuere pacem* sive *stabilire*; et ad hunc modum plura.

Species igitur Infinitivorum, quatenus ad agentem solum vel ad patientem referuntur, sunt sex. Videlicet Prima פָּקֹד, etc. *visitare*. Secunda הַפְּקֹד, נִפְקֹד, etc. *visitari*. Tertia פָּקַד, etc. *frequentet visitare*. Quarta פָּקֹד *frequentet visitari*. Quinta הַפְּקִיד, etc. *efficere, ut aliquis visitet*, sive *constituere aliquem visitantem*. Sexta denique הַפְּקִיד *constitui visitans*. Atque hæ, ut diximus, species actionem, vel ad solum agentem vel ad solum patientem relatam, exprimunt.

Sed quia sæpe evenit, ut agens et patiens una eademque persona sit, necesse fuit Hebræis novam, et septimam Infinitivorum speciem formare, qua actionem exprimerent ad agentem et patientem simul relatam, hoc est, quæ formam activi et passivi simul haberet. Ex. gr. *visitare me ipsum* non potest Hebraice ullo Pronominum genere exprimi: nam פָּקַד אֶתִּי significat *to visitare alterius me*, hoc est *quod aliquis me visitat*, et פָּקַדְךָ vel פָּקַדְתִּי *to visitare mei alterum*, hoc est *quod ego alterum visito*. Ideoque necesse fuit aliam Infinitivorum speciem excogitare, quæ actionem exprimeret ad agentem sive causam immanentem relatam; atque hanc exprimere solent præponendo Tertiæ illi dagefchataë syllabam הָהָ, ut הָהַפְּקִיד, quod, ut diximus, significat *se ipsum visitare*, vel *constituere se visitantem*, vel denique *præbere se visitantem*, ut fusius in Syntaxi explicabimus.

CAP. XIII

De Conjugatione.

Huc usque Nominis Infinitivi, quatenus sine ulla ad tempus relatione exprimitur, mutationes ostendimus, quas habet vel propter Regimen, vel ob additam Præpositionem, vel propter suffixa, vel denique propter variam significationem, qua usurpari solet. Superest, ut reliquas ejus mutationum causas, et quæ huic Nominum Generi singulares sunt, explicemus. Quod Nomina Infinitiva ratione tem-

poris, ad quod referuntur, et modi, quo exprimentur, diversis modis varient, omnibus linguis commune est; et quia iis tantum, qui in aliis linguis versati sunt, scribo, mitto hic explicare, quid tempus, et quid modus sit, sed id tantum, quod Hebraei hac in re singulare habent, docebo.

Actiones ad nulla alia tempora referre solent Hebraei, quam ad Præteritum et Futurum. Cujus rei ratio videtur esse, quod temporis non nisi duas has partes agnoverint, et quod tempus præsens veluti punctum, hoc est veluti præteriti finem et futuri initium, consideraverint; tempus, inquam, cum linea comparasse videntur, cujus nimirum puncta tanquam extremum unius et principium alterius partis considerantur. Atque hæc tempora signis præcipue personarum distinguuntur, eadem scilicet personarum signa postponendo vel præponendo certis Infinitivi formulis. Dico *præcipue*. Nam tertia persona præteriti ex hoc solo dignoscitur, quod signum personæ nullum habet. Ex. gr. פָּקַד פָּקַד פָּקַד פָּקַד formulæ Infinitivorum primi generis sunt, et vim Nominis Substantivi habent; sed in oratione solent sæpe ut Adjectiva usurpari, quæ cum suo Nominativo in genere, numero, et casu conveniunt, et tum actionem significant ad tempus præteritum relatam. Nam הוּא יָכוֹל, הוּא חָפֵץ, הוּא פָּקַד significant, *ille visitavit, ille potuit, ille voluit*; sed הִיא יָכוֹלָה, הִיא פָּקְדָה, הִיא חָפְצָה significant, *illa visitavit, illa potuit, illa voluit*. Unde patet, Infinitivorum formulas esse veluti Adjectiva substantivata, sed, quando tempore et persona determinantur, veluti Adjectiva esse, quæ cum suo Nominativo, tanquam cum Substantivo, convenire debent, ut diximus, genere, numero, et casu. Hæc igitur tertia persona Præteriti Masculini generis per hoc tantum cognoscitur, quod characteristicâ personæ sola careat; reliquæ autem, scilicet prima et secunda, singulares habent characteristicas, quæ his formulis postponuntur, ut פָּקַדְתָּ *tu vir visitavisti*, פָּקַדְתְּ *tu femina visitavisti*, et פָּקַדְתִּי *ego visitavi*, etc., ut in sequentibus videbitur.

Porro formulæ Regiminis Infinitivi sunt פָּקַד et פָּקַד; atque his, characteristicis personarum præpositis, et ut Adjectivis, ut in præterito, usurpatis, futurum indicant, ut אֶפְקֹד vel אֶפְקֹד *ego visitabo*, חָפְקֹד

tu visitabis, etc., ut etiam in sequentibus videbitur. Hæc de Infinitivis, quatenus ad certum tempus referuntur.

Videamus jam, quasnam mutationes hæc Nomina patiantur, quatenus hoc aut illo modo exprimuntur. Sed neque de his multopere folliciti fuerunt Hebræi. Nam, sicut Casus solis Præpositionibus vel orationis constructione, sic etiam Modi plerumque ex solis Adverbiis quibusdam dignoscuntur. Et sane Nomina ob casuum differentiam mutare, omnes fere nationes, ut rem omnino superfluum, neglexerunt; distinctiones etiam Modorum omnino superflue videntur. Nam nulla natio, quod sciam, Modum interrogativum ab indicativo Modo distinxit, nec tamen videmus ullam inde oriri confusionem; ut nec apud Hebræos, dum ipsorum lingua floruit, ulla inde confusio oriri potuit, quod omnes, præter imperativum, Modi cum indicativo convenerint.

Hebræi igitur solum imperativum Modum a reliquis distinguunt, sumendo scilicet regimen Infinitivi, illudque absque ullo signo personæ, et sine ulla ad tempus relatione, hoc modo flectendo, פָּקַד vel פָּקַדְּ; *visita tu vir*, פָּקַדְּי *visita tu famina*, פָּקַדְּוּ *visitate vos viri*, פָּקַדְּנָה *visitate vos faminae*. Sed hic Modus nimis imperiosus, nec ideo coram æquali, et multo minus coram superiore utendus, sed ejus loco futurum usurpare solemus; unde affirmare licet, præteritum et futurum, de quibus modo egimus, non magis indicativi quam reliquorum Modorum, quibus actio cum relatione ad tempus exprimi potest, esse.

His igitur causas omnes ostendimus, propter quas Nomina Infinitiva diversis modis mutantur; atque has mutationes cum reliquis *Conjugationes* vocabimus, et Nomina Infinitiva quatenus sic conjugantur *Verba* appellabimus. De quarum Conjugationum numero pauca dicemus; nam non omnia Infinitiva (quod vitium omnibus linguis commune est) eodem modo conjugantur.

Solent communiter Grammatici Conjugationes in septem dividere, quia unius ejusdemque actionis tot Infinitivorum genera reperiuntur, ut Cap. præced. ostendimus. Verum si hæc divisio bona esset, tum Latini non nisi duas, activi scilicet unam et passivi alteram, at Græci tres haberent Conjugationes, nempe activi, passivi, et medii; et hæc

ratione Verba Anomala cum Regularibus confunderentur, ut revera vulgares Grammatici, hunc ordinem sequendo, faciunt.

Quod si dicant, septem illa Infinitivorum genera sæpe eandem vim habere, adeoque non natura, sed modo tantum conjugandi differre; Latini ergo propter Verba Deponentia, quæ solo etiam modo conjugandi ab Activis differunt, duas tantum haberent conjugationes.

Deinde derivatum ex יָצָא *exire* similiter etiam videtur, quod י retinuerit, quandoquidem Scribæ Gen. cap. 8. vs. 17. Imperativum utrumque הוֹצֵא et הוֹצֵאָה admiserint. Quod an his duobus tantum singulare fuerit, dubito. Hæc de Verbo derivato activo.

Passivum י in ן mutat, vel ipsum negligit. Ejus enim Infinitivi formulæ sunt הוֹשֵׁב et הוֹשֵׁבָה vel הוֹשֵׁבָת et הוֹשֵׁבָת. Præteritum 1. m. הוֹשֵׁב, f. הוֹשֵׁבָה, 2. הוֹשֵׁבָת, etc.; vel 1. הוֹשֵׁב, 2. הוֹשֵׁבָת, etc. Imperativus m. הוֹשֵׁב f. הוֹשֵׁבִי, etc. Futurum 1. אֲוֹשֵׁב, 2. m. תֹּוֹשֵׁב, f. תֹּוֹשֵׁבִי, etc.

Reciproca præterea hujus Conjugationis Verba activa vel י retinentur, et cum Verbis primæ plane conveniunt, vel ipsum in ן mutant. Nam Infinitivum habent הוֹתִישׁב et הוֹתִישׁבָה, nec præter hoc aliud habent, in quo a Verbis primæ differant.

Passivæ demique, quæ characteristicam habent ן, et ת per dagesch compensare solent (quam formam reciproca Passiva præter alias habere ostendimus Cap. 21.), י in ן mutant, ut וְנִסְּרוּ et *dabunt se disciplinandum* Ezech. 23 : 48. Reliquarum vero formularum, nempe הוֹתִישׁב, הוֹתִישׁבָה, etc., nullæ, quod sciam, existant, nec tamen ideo reprobandæ.

Cæterum hic notandum venit, quædam esse Verba, quorum prima tam est י quam ן, ut יִקְשׁ *implicare laqueo*, cujus prima loco י sæpe est ן, habetque pro יִקְשׁ, יִקְשָׁה. Cum autem Verba, quorum prima est ן, plerumque (ut infra ostendam) defectiva sint, hinc fit, ut Verba hujus Conjugationis defectiva Verba aliquando imitari videantur. Alia deinde hujus rei causa, et quæ hic apprime notanda est, quod scilicet literæ unius thematis non raro transponantur, ut חָתַר et חָתַרָה *fodere*, כָּבַשׁ et כָּבַשָׁה *agnus*. Atque hæc transpositio in Verbis hujus Conjugationis sæpius observatur, ut יָעַף et יָעַףָה *lassum fieri*, יָצַר et יָצַרָה *formam dare*; unde fit, ut Verba hujus Verba sextæ Conjugationis, quibus quiescens media plerumque defi-

cit, imitentur. Nam transposito י, ex יצַר fit, ut diximus, צַיַר, cujus Infinitivus צַיַר־ contrahitur in צוֹר, in formam scilicet Infinitivi sextæ Conjugationis; sic ינַר, *timere*, transposito י, et eo in י, ut supra, mutato, Infinitivum habet נוֹר, et יבוֹשׁ *erubescere* Infinitivum etiam habet בוֹשׁ. Hinc etiam propter eandem causam יצַק, יצַג, et alia, quorum prima est י, modo hanc, modo sextam Conjugationem (de qua infra) ex analogia linguæ sequuntur.

CAP. XXVI.

*De Verbis compositis ex hac quinta et tribus
præcedentibus Conjugationibus.*

Verba composita, de quibus hic pauca monere volui, illa sunt, quorum prima est י, et tertia א vel ה aut [ח vel] ע. Sed quoniam eorum conjugandi modus ex præcedentibus facile cognoscitur, de iis ex professo agere, et Conjugationum numerum augere, superfluum omnino judicavi; pauca tamen de eisdem monere operæ pretium duxi.

Quæ in א desinunt, duo tantum novimus, nempe יצַא *exire* et ירַא *timere*, quæ propter quiescentem א ultimam longam, ut Verba secundæ Conjugationis, semper habent; in reliquis autem יצַא cum Verbis quintæ convenit, nisi quod Infinitivum loco צַאח habeat צַאח. Verbum præterea ירַא in Activo simplici retinet semper י, nec nisi in futuro quiescit; nam Infinitivus et Imperativus habet ירַא et ירַא, et cum ה paragogico ירַאח. At Futurum 1. אִירַא, 2. תִּירַא, 3. יִירַא.

Quæ vero in ה desinunt, mutant, ut Verba secundæ, ה vel in י, vel in ו, et eodem modo terminantur. Ad literam Jod quod attinet, ea in activo simplici quiescit quidem in futuro, vel in ו mutatur, sed nunquam negligitur. Ex. gr. יפֹה, יפֹה, etc. *pulcrum esse*, habet in Imperativo יפֹה, et Futuro: 1. masc. אִיפֹה. 2. תִּיפֹה, fem. תִּיפִי etc. Sublato ה autem habet 1. אִיף. 2. תִּיף. 3. יִיף etc. At ירַה *proficere* habet Imperativum ירַה, cujus י in Futuro mutatur in ו, fitque אִירַה. 2. תִּירַה. 3. יִירַה, et sublato

הָ fit אָר, תָּר, יָר, etc. Reliqua autem Verba, nempe passivum, derivatum, et reciprocum, paradigma quintæ sequuntur.

Quæ denique in הָ vel עַ desinunt, paradigma quartæ et quintæ Conjugationis sequuntur. Ex. gr. יָרַע יָרַע *scire* contrahuntur in יָרַע, et sublato י fit יָרַע, יָרַע, יָרַע. Hinc Imperativus יָרַע *scito*, et Futur. יָרַע, יָרַע, et cum הָ paragogico יָרַע. Porro Passivum simplex Infinitivum habet נִרְעַע et הִרְעַע. Relativum Activum הִרְעַע et הִרְעַע, et Passivum הִרְעַע. Reciprocum denique Activum הִרְעַע, et Passivum הִרְעַע, etc. Hæc sunt quæ de his notare susceperam.

CAP. XXVII.

De Verbis sextæ Conjugationis.

Quæ mediam quiescentem habent אָ, י, vel וּ, eandem plerumque abjiciunt. Intellige quando revera quiescunt, ut קָאָם *surgere*, שׁוּב *reverti*, נִלַּךְ *latari*; alias retinentur semper, ut שָׁאוּל *petere*, עָוָה *depravari*, אִיבָה *inimicari*, etc. Deinde, quoniam ea, quæ mediam quiescentem אָ habent, illam ut plurimum in וּ mutant, et præter tria aut quatuor nulla reperiuntur, de quibus constet mediam אָ habuisse, ideo Grammatici mediam quiescentem habentium duo genera agnoscunt, unum scilicet eorum, quæ mediam וּ, et alterum eorum, quæ mediam י habent.

Cæterum קָאָם *surrexiss*, et רָאָם *altum esse*, quia non nisi semel in Scriptura occurrunt, ut et אָרָשׁ *triturare*, cujus אָ (quod sæpe fieri ostendimus) transpositum est, ut anomala notant. Verum enimvero tam quæ אָ, quam quæ י mediam habent, solent eandem in וּ mutare. Nam, sicut loco קָאָם usurpatur קוּם *surgere*, sic loco שׁוּשׁ *gaudere*, שׁוּשׁ et loco לִין *noctare*, לוּן, etc., sæpe usurpatur; et hinc factum, ut hæc tria quiescentium genera ad unum referre non dubitaverim; præsertim quia eorum conjugandi ratio eadem est. Nempe Verbum Activum simplex Infinitivi formulas ut plurimum habet קוּם et קוּם, vel neglecto וּ, קָם et קָם. Cum אָ enim ra-

riffime reperitur, et quæ י habent, ut שִׁישׁ, לֵין etc. idem in ו sæpe mutari ostendimus. In præterito autem abjicitur ut plurimum quiescens; ejus enim communis forma est:

f.	m.
קָמָה	קָם 3. sing.
קָמְתָ	קָמְתָ 2.
	קָמְתִי 1.
etc. קָמוּ	vel קָמוּ 3. pl.

Potest etiam præteritum cum -, -, et gholem loco ׀ punctari, ut כִּן *sprevit*, אִר *luxit*, בִּישׁ *erubuit*, מֵת *obiit*. Nam quoniam media thematis deficit, punctatur prima iisdem syllabis, quibus tertia thematis adhærere solet. Atque adeo hæc Verba tot præteriti formulas habent, ac Verba primæ Conjugationis, quarum secunda syllaba, cui tertia litera thematis adhæret (ut Cap. 14. ostendimus), est vel ׀, vel -, vel -, vel ׀.

Deinde sicut primæ, sic etiam hujus Conjugationis Verba mutant in secundis et primis personis ׀ et - in -, et gholem retinent. Hoc tantum hæc singulare habent, quod in tertia singulari fœminini generis, et in tertia plurali, non mutant, ut Verba primæ, gholem, nec ׀, nec - in scheva; tamen accentus non fit אֲתַנּוּ, neque כִּילוּק. Nam, si in scheva mutaretur, prima thematis in præterito esset brevissima, contra communem præteriti simplicis usum.

Solent præterea, quæ mediam habent י, eandem in præterito etiam retinere; exempli gratia רִיב *litigare* præteritum habet 3. רִיב. 2. רִיבְתָ. etc., vel 3. רִיב. 2. רִיבֹתָ, f. רִיבֹתָ, 1. רִיבֹתִי etc. Sed alii credunt, nec absque ratione, hanc formam Verbi intensivi esse loco רוֹכֵב (de quo statim); alii autem, Verbi reciproci esse, et הָ, nescio qua de causa, omitti.

Imperativus Infinitivi omnes habet formulas, nempe:

f.	m.	f.	m.	f.	m.	f.	m.	f.	m.
קוּמְתָ	קוּמוּ	קוּמִי	קוּמוּ	f. קוּמִי	vel קוּמוּ	vel קוּמִי	קוּמוּ	vel קוּמִי	קוּמוּ
				etc.		etc.		etc.	

Atque hinc futuri formulæ אָקוּם et אָקַם vel אָקוּם et אָקַם.

Et his omnibus Imperativi et Futuri formulis הַ paragogicum eleganter additur, ut קוּמָה *surge*, שָׁבָה *revertere*, אָקוּמָה *surgam*, etc.

Passivum Activi formam קוּם servat, et הִפְקֵדוּם habet הִקְוּם, et pro נִפְקְדוּם habuisse credo נִקְוּם; unde

<i>Præteritum.</i>		<i>Imperativus.</i>		<i>Futurum.</i>	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
נִקְוָה	נִקְוָה 3. f.	הִקְוֵי	הִקְוֵם f.		אָקוּם 1. f.
נִקְוֹת	נִקְוֹת 2.	הִקְוֵנָה	הִקְוֵם pl.	תִּקְוֵי	תִּקְוֵם 3.
	נִקְוֹתֵי 1.			תִּקְוֵם	תִּקְוֵם 3.
	נִקְוֹת 3. pl.			etc.	תִּקְוֵם 1. pl.
תִּן	תִּן 2.				תִּקְוֵם 2.
	תִּן 1.				

Verbum intensivum mediam אָ, utpote gutturalem, duplicare nequit. Possit vocali longa compensari; verum quoniam ut plurimum negligitur, ut etiam וּ et וֵ, ideo hujus Conjugationis Verba raro secundam, sed plerumque tertiam duplicant. Fit igitur ex קוּם *surgere*, קוּמָם *erigere*; unde Præteriti 3. m. קוּמָה f. קוּמָה 2. m. קוּמָתָּ f. קוּמָתָּ, etc, et Imperativi m. קוּמָם, f. קוּמָמֵי, etc. et denique Futuri 1. אָקוּמָם, 2. תִּקְוָמָם, f. תִּקְוָמֵי, etc.

Hujus autem Passivum solo pathagh ab Activo distinguitur. Fit scilicet ex Activo קוּמָם Passivum קוּמָם *erigi*. Unde Præteriti 3. m. קוּמָם f. קוּמָתָּ, 2. קוּמָתָּ, et Futuri 1. אָקוּמָם, 2. תִּקְוָמָם, f. תִּקְוָמֵי. Atque hic communis fuit apud præfatos modus hujus Conjugationis Verba intensiva conjugandi. At posteri ex חֹב *debere* vel *debitum* intensivum fecerunt חֹבֵיב (forte ne confunderetur cum חֹבֵיב *diligere*) et ex קוּם fecerunt קוּמָם *firmavit, stabilivit, præstitit*; et ad hunc modum alia.

Solet dein non raro prima thematis duplicari, ut כוּל כְּלוּל ex כוּל. Sed de his vide Cap. 31.

Præter has aliam hujus Conjugationis formulam intensivis quidam

tribuunt, nempe 3. קים, 2. קימות, f. קימות, 1. קימותי, etc.; nec a vero aberrare videntur.

Verba præterea derivata quiescentem mediam negligunt, habentque Infinitivum הַקֵּם, הִקֵּם, et הִקִּים; in præterito autem terminationem Activi simplicis, vel (quod frequentius in Bibliis observatur) Passivi, imitantur. Est enim

Præteritum:

f.	m.	f.	m.
הִקִּימָהּ sing.	הִקִּים 3. vel	הִקִּימָהּ	הִקִּים 3.
הִקִּימֹתָ	הִקִּימֹתָ 2.	הִקִּימְתָּ	הִקִּימְתָּ 2.
	הִקִּימֹתִי 1.	etc.	הִקִּימְתִּי 1.
	הִקִּימוּ 3.		
pl.			
הִקִּימוּ	הִקִּימוּתָם 2.	f.	
	הִקִּימוּנוּ 1.	הִקִּימִי	הִקִּים vel הִקִּים sing.
		הִקִּימְנָהּ	הִקִּימוּ plur.

*Imperativus.**Et hinc Futurum 1.*

f.	m.
	אִקִּים 1.
תִּקְיִמִי	תִּקְיִם 2.
תִּקְיִם	יִקְיִם 3.
	etc.

Et secundum.

f.	m.
	אִקֵּם sing.
תִּקְיִמִי	תִּקְיִם 2.
תִּקְיִם	יִקְיִם 3.
	etc. יִקְיִם pl.
	תִּקְיִמוּ
	etc.

At translato accentu ad primam mutatur - in י, nempe אִקֵּם, תִּקְיִם, etc.

Passivum, neglecta etiam quiescente, Infinitivum habet הִוָּקֵם et הִוָּקֵם vel הִוָּקֵם et הִוָּקֵם, et Præteritum 3. הִוָּקֵם, 2. m. הִוָּקַמְתָּ, f. הִוָּקַמְתָּ, vel 3. הִוָּקֵם, 2. m. הִוָּקַמְתָּ, et sic porro; cum quo etiam Futurum convenit. Est enim vel 1. אִוָּקֵם 2. m. חִוָּקֵם f. חִוָּקַמִּי, etc., vel 1. אִקֵּם 2. תִּקְיִם etc.

Reciprocum denique formatur, ut in reliquis Conjugationibus, a

suo intensivo קוּמַם, eidem scilicet syllabam הָתּ præponendo; et tamen hujus Conjugationis intensivum nunquam in -, sed semper in - definit, reciprocum tamen tam in - quam - terminatur. Nempe Infinitivus הִתְקוּמַם et הִתְקוּמָם, Præteritum 3. m. הִתְקוּמַם, f. הִתְקוּמָה, etc. Imperat. הִתְקוּמַם, Futurum אֲתְקוּמַם etc. Nec aliud in his notandum, quod cum Verbis primæ commune non habeant.

Cæterum Verba composita ex hac et tertia Conjugatione nulla dantur. Nam quæ mediam וַי vel י, et tertiam הַ habent, eorum media non quiescit, ut מוּרָה *nere*, לוּרָה *mutuo accipere*, הִירָה *esse*, etc.

Quæ ultimam habent אַ, sunt tantum בּוֹא *venire*, et נוֹא *displacitiam habere*, quorum Activum simplex in Præterito semper propter quiescens אַ retinet י, sicutי מִצָּא, et Imperativus gholem, nempe m. f. בּוֹא, f. בּוֹאִי et בּוֹאִי, m. פ. בּוֹאוּ et בּוֹאוּ, f. בּוֹאָה et בּוֹאָה, Futurum, præter 1. אֲבּוֹא, 2. תְּבּוֹא, f. תְּבּוֹאִי, etc., habet fœm. 1. אֲבּוֹאָה 2. תְּבּוֹאִי 3. תְּבּוֹאָה. Passivo simplici et intensivo Activo et Passivo caret utrumque.

Reciprocum terminatur plerumque ut מִצָּא; nempe præteritum Activi 3. m. הִבִּיא, f. הִבִּיאָה, 2. הִבְאִתָּ, f. הִבְאִתִּי, 1. הִבְאִתִּי, etc. Sed non raro etiam habet 3. הִבִּיא 2. הִבִּיאוֹתָ f. הִבִּיאוֹתִי ut הִקִּים, הִקִּים, etc. Passivum autem 1. הוּבָא, 2. הוּבְאָתָּ, etc. Reciproco denique utrumque, nempe tam בּוֹא quam נוֹא, caret.

Cæterum circa illa, quorum tertia est הַ vel עַ, observanda tantum sunt, quæ Cap. 24. dicta sunt.

CAP. XXVIII.

De Verbis septimæ Conjugationis.

Diximus supra Cap. 2. et 3., gutturales nunquam duplicari, sed ejus loco præcedentem syllabam ex brevi in longam mutari. Deinde easdem raro schestra corripendum, et nunquam pronunciandum habere, sed ejus loco unum ex tribus compositis usurpari. Atque hæc circa hujus et sequentis Conjugationis Verba potissimum observanda sunt; et præterea, quod post schestra compositum nunquam schestra simplex

sequatur: nam tum ambo essent pronuncianda, quod per ea, quae Cap. 3. dicta sunt, fieri nequit.

Esto horum paradigma אָזר *cingere*. Cujus Infinitivi formulæ sunt:

1. אָזר 2. אָזר 3. אָזר et 4. אָזר.

<i>Præteritum.</i>		<i>Imperativus.</i>	
f.	m.	f.	m.
אָזרה	אָזר 3. f.	אָזרי	אָזר f.
אָזרת	אָזרת 2. pl.	אָזרנה	אָזרו pl.
<i>Futurum.</i>			
f.	m.		
	cum ה	אָזרנה et אָזר	1. sing.
	paragog.		
תָּאזרי		תָּאזר	2.
vel		vel	
תָּאזרי		תָּאזר	
		etc.	
		תָּאזרו	pl.
תָּאזרנה		תָּאזרו	
		etc.	

Solet tamen non raro in futuro אָ quiescere, et in prima persona persona negligi; sed tum in - terminatur, ut אָמר *dicam*, תָּאמר *dices*, f. תָּאמרי etc.

Deinde ה in futuro : corripendum habere potest, ut תָּחַרפֵּן *voles*. Atque hic ad evitandum, ne duo sचेvata in initio dictionis occurrant, non mutatur primum, ut alias solet, in ghirek, sed in eandem vocalem, ex qua : componitur.

Passivum simplex Infinitivi formulas habet הָאָזר, הָאָזר, תָּאָזר et תָּאָזר. Unde

<i>Præteritum.</i>		<i>Imperativus.</i>		<i>Futurum.</i>	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
נָאָזרה	נָאָזר 1. sing.	הָאָזרי	הָאָזר 1. sing.	נָאָזר	1.
נָאָזרת	נָאָזרת 2.	etc.		תָּאָזרי	2.
etc.				תָּאָזר	etc.

Ex נִאָזְרָה, quando accentus est athnagh vel silukh, fit נִאָזְרָה, vel נִאָזְרָה cum א quiescente, et ad hunc modum pro נִאָזְרוּ fit נִאָזְרוּ.

Intensivum, tam Activum, quam Passivum, nihil singulare habet notandum. Derivatum vero activum Infinitivi formulas habet הָאִזֵּיר et הָאִזֵּיר et הָאִזֵּיר.

<i>Præteritum.</i>		<i>Imperativus.</i>		<i>Futurum.</i>	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
הָאִזֵּירָה	3. הָאִזֵּיר	} הָאִזֵּיר et הָאִזֵּיר הָאִזֵּירָה	} הָאִזֵּיר et הָאִזֵּיר הָאִזֵּיר	תִּאָזְרֵי	1. אִזֵּיר
רָת	2. הָאִזֵּירָת			תִּאָזְרֵי	2. תִּאָזְרֵי
etc.				vel	1. אִזֵּיר
				etc.	2. תִּאָזְרֵי

Quiescit hic etiam in futuro sæpe א, fitque 1. אִזֵּיר vel אִזֵּיר vel אִזֵּיר, 2. תִּזֵּיר vel תִּזֵּיר, etc.

Passivum Infinitivum habet הָאִזֵּיר: Unde

<i>Præteritum.</i>		<i>Imperativus.</i>		<i>Futurum.</i>	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
הָאִזֵּירָה	3. הָאִזֵּיר	} הָאִזֵּיר et הָאִזֵּיר הָאִזֵּירָה	} הָאִזֵּיר et הָאִזֵּיר הָאִזֵּיר	תִּאָזְרֵי	1. אִזֵּיר
רָת	הָאִזֵּירָת			תִּאָזְרֵי	2. תִּאָזְרֵי
etc.				etc.	

Reciprocum, tam Activum quam Passivum, nihil singulare notandum habet. Denique modum Verba composita (ex hac scilicet et præcedentibus) conjugandi, facile unusquisque ex jam traditis noscere potest.

CAP. XXIX.

De Verbis octava Conjugationis.

Circa hæc ea præcipue notanda sunt, quæ Cap. præcedenti notavimus, nec opus est eadem exemplis illustrare; in hoc tamen potiffi-

mum distinguuntur, quod eorum Intensiva puncto dageſch omnino careant; hoc est, loco puncti dageſch, quod admittere nequeunt, non ſolent vocalem præcedentem brevem in longam mutare. Solent alias Verba Intensiva mediam, ut diximus, thematis duplicare, vel, quando id fieri nequit, antecedentem brevem in longam mutare, ut בָּרַךְ pro בְּרַךְ, et אָבְרַךְ pro אַבְרַךְ. Sed hujus, inquam, Conjugationis Verba nec mediam duplicare poſſunt, nec præcedentem ſyllabam mutare propterea ſolent. Nam שָׁחַק *ludere* intensivum habet שִׁחַק *illudere*, et בָּעַר *ardere* habet בֵּעַר *incendere*, et טָהַר, טָהַר *mundare*, כָּהֵן *administrare*, vel *officium sacerdotis exercere*, נִיחַן *irrisare*. Pleraque tamen, quæ א habent, ſyllabam mutant in longam, ut בָּאֵר *explicare*, נִיאַן *nolle*, תֵּאַב *aversari*, et ſic alia. Quæ denique circa Verba, ex hac et præcedentibus Conjugationibus composita, notanda ſunt, ex præcedentibus facile colliguntur.

CAP. XXX.

De Verbis Defectivis.

Per Verba Defectiva illa intelligo, quibus una thematis deficere ſolet, ut ſunt Verba ſecundæ et tertiæ Conjugationis, vel illa quorum prima eſt י, vel נ, vel quorum media eſt א, vel נ, vel י, vel denique quorum ſecunda et tertia eadem eſt litera. De Verbis primæ et ſecundæ Conjugationis, deque iis, quorum primæ י, vel quorum media א vel י eſt, egimus Capp. 22. 23. 25. 26. et 27. Superest ut de reliquis duobus Defectivorum generibus agam, et primo de iis, quorum prima eſt נ. Horum, inquam, plurima, non omnia, נ quibusdam in locis vel omittunt, vel retinent; ſed, quando fieri poteſt, puncto dageſch compenſatur, hoc eſt, ratione ſcripturæ tantum, non autem vocis Defectiva ſunt. Non, inquam, propterea, tametſi una ſyllaba aliquando deficiat. Nam Verba monosyllaba, modo nulla thematis litera deficiat, non ſolent defectiva, ut nec etiam polysyllaba, ut יָרַע, redundantia appellari.

Horum Paradigma ſit Verbum primæ Conjugationis נִגַּשׁ *appropin-*

quare, cujus Infinitivi simplicis forma etiam est גַּשׁ , et cum ה paragogico גַּשְׁה , cujus regimen est גַּשְׁתָּ .

Præteritum analogum semper est.

<i>Imperativus.</i>		<i>Futurum.</i>	
f.	m.	f.	m.
גַּשִׁי et גַּשִׁי	גַּשׁ et גַּשׁ sing.	אֶגַּשׁ 1.	
גַּשְׁנָה	גַּשׁ pl.	תִּגַּשִׁי	תִּגַּשׁ 2.

Et cum ה paragogico אֶגַּשְׁה , et cum accentu athnagh vel filukh אֶגַּשְׁה .

Verbum גַּתֵּן *dare, concedere*, pro תִּתַּן habet תִּת , et Imperativum תֵּן *da*; unde futurum אֶתֵּן , תִּתֵּן , etc.

Secundæ Conjugationis נִשְׂא *ferre, tollere*, Verbum נִשְׂא imitatur.

Quæ tertiæ sunt Conjugationis, Activum simplex præter futurum analogum habent, ut נִטָּה , vel נִטֹּת , etc. *tendere, inclinare*, cujus Imperativus est נִטָּה ; at futurum אֶנִּטָּה etc., et sublato ה fit יֵאֵט , תֵּט , etc.

Verba deinde quartæ imitantur paradigma primæ, ut נִפַּח *sufflare* פַּח , et cum ה paragogico פַּחְה , et cum ת פַּחַת .

At sextæ analogæ semper sunt; ut et Verba octavæ Conjugationis, excepto Chaldaico נִרַח *descendere*, de quo tamen dubito.

Passivum simplex analogum est, nisi quod in præterito propter נ characteristicum נ thematis omittatur, ipsum per dagefeh componendo, ut נִגַּשׁ pro נִגַּשְׁנִי . Sed hoc analogum esse, ex iis, quæ Cap. 15. diximus, patet.

Verbum deinde Intensivum, tam Activum quam Passivum, analogum semper est; at derivatum, pro הִגַּשׁ , הִגַּשִׁי , et הִגַּשְׁתָּ , habet הִגַּשְׁתָּ , הִגַּשְׁתִּי , et הִגַּשְׁתֶּם . Unde

<i>Præteritum.</i>		<i>Imperativus.</i>		<i>Futurum.</i>	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
הַגִּישָׁה	הַגִּישׁ 3.	הַגִּישִׁי	הַגִּישׁ et הַגִּישׁ	אֶגִּישׁ et אֲגִישׁ	1.
תִּשְׁ	הַגִּישְׁתְּ 2.	הַגִּישִׁי	הַגִּישׁ pl.	תִּגִּישׁ	2.
etc.	הַגִּישְׁתִּי 1.			יִגִּישׁ	3.
				etc.	

Sic Verbum tertię Conjugationis נָטַח derivatum habet הִטָּה, הִטִּי, et הִטֵּת, unde Præteritum הִטָּה, f. הִטֵּתָה, 2. הִטִּיתְּ, et Imperativus הִטָּה, et Futurum אֶטָּה, 2. תִּטָּה, f. תִּטִּי, etc., vel sublato הִ fit אָט יט, etc. Sic etiam quartę Conjugationis נָחַע *castra movere* reciprocum habet הִפִּיעַ, vel contracte הִפַּע, unde futurum אֶפִּיעַ, אֶפַּע, etc.

Cæterum notandum, Verbum derivatum multo frequentius carere ן, quam simplex; exceptis Verbis sextę, et octavę Conjugationis, quę, ut diximus, analogæ semper sunt. Derivatum Passivum suum Activum habet, vel Infinitivum הִנֵּשׁ, vel הִנֵּשׁ. Unde

<i>Præteritum.</i>		<i>Imperativus.</i>		<i>Futurum.</i>	
f.	m.	f.	m.		
הִנֵּשָׁה	הִנֵּשׁ 3.	הִנֵּשִׁי	הִנֵּשׁ	אֶנֶשׁ	1.
etc.	הִנֵּשְׁתְּ 2.	etc.	etc.	תִּנֶּשׁ	2.
				etc.	

Reciprocum, tam Activum quam Passivum, analogum est.

Denique Verbum לָקַח *accipere* huc referendum est, quod solum hoc paradigma imitatur. Reliqua enim omnia, quorum prima thematicis est ל, analogæ sunt.

CAP. XXXI.

De altero Defectivorum genere.

Quę secundam et tertiam eandem habent literam, solent non raro unam amittere. Ex. gr. קָבַח *circuire* Infinitivum frequentius habet כִּבַּח, vel ablato accentu כִּבַּח cum ם ghatuf; habet præterea non raro

סוב et סב, ut בְּרִיחֵהוּ *cum cantant simul*. Hinc Præteritum loco סבב frequenter habet :

<i>Præteritum.</i>		<i>Imperativus</i> pro סבב		<i>Futurum.</i>	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
סָבָה <i>sing.</i>	סָב 3.	סֹבֵי	סֹב <i>sing.</i>	אָסֹב <i>sing.</i>	1.
סָבֹתָ	2. סָבֹתָ	סֹבִינָה	סֹבוּ <i>plur.</i>	תִּסְבִּי	2. תִּסְבוּ
	1. סָבֹתִי	vel	סָב	תִּסְבוּ	3. יִסְבוּ
<i>pl.</i>	3. סָבוּ	סָבִי	סָבוּ	<i>plur.</i>	1. נִסְבוּ
תָּן	2. סָבֹתֶם	סָבֵנָה	סָבוּ	} תִּסְבִּינָה	2. תִּסְבוּ
	1. סָבוּנוּ	vel	סֹב		3. יִסְבוּ
		סֹבִינָה	סֹבוּ		

Tertia persona præteriti, tam singularis quam pluralis, potest loco - habere gholem, ut סבב *pl.* סבו; deinde ו non raro ubique negligitur, fitque סבָתָ, סב, אָסֹב pro סָבֹתָ, סֹב, et אָסֹב. Futurum præterea convenit sæpe cum futuro Verborum, quorum prima est ג, nempe pro אָסֹב, תִּסְבוּ, יִסְבוּ, etc., habet sæpe אָסֹב, תִּסְבוּ, יִסְבוּ, etc., compensando scilicet syllabam longam per dagefch. Ex Imperativi forma denique סֹב formatur etiam futurum אָסֹב, תִּסְבוּ, יִסְבוּ etc.

Passivum Infinitivi formulas habet נִסְבָּ, et הִסְבוּ, et הִסְבֵּי vel הִסְבֵּי.

<i>Præteritum.</i>		<i>Imperativus.</i>		<i>Futurum.</i>	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
נִסְבָּה <i>f.</i>	נִסְבָּה <i>sing.</i>	3. נִסְבֵּי	הִסְבֵּי <i>f.</i>	אָסֹב	1.
וְ	2. נִסְבֹּתָ	הִסְבֵּנָה	הִסְבוּ <i>pl.</i>	תִּסְבִּי	2. תִּסְבוּ
	1. נִסְבֹּתִי	vel		etc.	3. יִסְבֵּי
<i>pl.</i>	3. נִסְבוּ	הִסְבֵּי	הִסְבוּ	vel	
תָּן	2. נִסְבֹּתֶם	הִסְבִּינָה	הִסְבוּ		1. אָסֹב
	1. נִסְבוּנוּ				2. תִּסְבוּ תִּסְבִּי

Præteritum convenit etiam cum iis, quorum prima est נ, fitque pro נָסַב, נִסְבֹּתָ, נִסְבָּ, נִסְבָּתָ; tertia deinde persona, tam singularis quam pluralis, habet etiam - vel gholem loco -, nempe נִסְבָּ vel נִסְבָּתָ pro נָסַב et נִסְבִּי vel נִסְבֹּתָ pro נִסְבִּי.

Verbum Intensivum analogum sæpe est, ut הִלַּח כִּתַּח *contundere*, הִלַּל *profanare*, et כָּהָה *obtundere*, כָּרַסָה *crusta tegi*; sed sæpius primam duplicat, eam literæ geminatæ interponendo (ut הִכְכֵּךְ *obtegere* loco הִכָּךְ, et הִלְלַל *revolvere* loco הִלַּל), et præcipue si Verba geminantia sint secundæ, tertiæ, vel quartæ Conjugationis, ut טָאָטָא Intensivum Verbi secundæ טָאָטָא *verrere*, et לְהִלִּיחַ tertiæ לְהִלַּח *fatigari*, et עָשָׂעָע quartæ עָשָׂע *delectari*, *ludere*, et denique תָּעָעָע ex תָּעָע *illudere* et עָרָעָע ex עָרָע *solum esse*. At plerumque tam Activum quam Passivum cum Intensivis sextæ Conjugationis convenire videntur. Nam, ut ex קוּם fit Activum קוּמָם, et Passivum קוּמָם, sic ex כּוּב fit Intensivum כּוּבָב, et ejus Passivum כּוּבָב.

Derivatum vix analogum observatur; Infinitivum habet ut plurimum הִסָּב, vel הִסָּבָה, et הִסָּבָה. Hinc

Præteritum הִסָּב vel		Imperativus.		Futurum.	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
הִסָּבָה	הִסָּב 3. f.	הִסָּבִי	הִסָּב f.		אִסָּב 1.
הִסָּבֹתָ	הִסָּבֹתָ 2.	הִסָּבִינָה	הִסָּבוּ pl.	תִּסָּבִי	תִּסָּב 2.
	הִסָּבֹתָי 3.			תִּסָּב	יִסָּב 3.
	הִסָּבוּ 3. pl.				נִסָּב 1.
תָּן	הִסָּבוּתָם 2.				תִּסָּבוּ 2.
	הִסָּבוּנִי 1.			תִּסָּבִינָה	יִסָּבוּ 3.

Futuri = hic etiam, ut in simplici, compensari solet, sumiturque pro אִסָּב, אָסָּב; deinde, accentu ad primam translato, .. mutatur in .., ut יִסָּבִי יִסָּבִי *obtegat se*. Hujus Passivum Infinitivum habet הוּסָּב, הוּסָּבָה, et הוּסָּבָה, et cum הִ paragogico הוּסָּבָה, mutando וּ in = ghatuf.

<i>Præteritum.</i>		<i>Imperativus.</i>		<i>Futurum.</i>	
f.	m.	f.	m.	f.	m.
הוֹסֵפָה	3. הוֹסֵב	הוֹסֵבִי	f. הוֹסֵב		I. אוֹסֵב
וַתֹּ	2. הוֹסֵפֹת		et	תוֹסֵבִי	2. תוֹסֵב
	I. הוֹסֵפֹתִי	הִסֵּבִי	הִסֵּב	etc.	
et		הוֹסֵפִינָה	pl. הוֹסֵבוּ	vel	
הִסֵּבָה	הִסֵּב				I. אִסֵּב
etc.					2. תִּסֵּבִי
					etc.

Reciprocum paradigma sextæ Conjugationis imitatur plerumque; quæ autem secundæ, tertię, et quartæ Conjugationis sunt, plerumque de suo Intensivo formantur, ut הִשְׁתַּעֲשַׁע *delectare se*, הִתְלַהֵל *fatigare se*, הִתְמַהֵמָה *se diu detinere*. At שָׁחַח *opprimi*, et כָּהָה *claudi, obtundi*, paradigma sextæ sequuntur.

Atque ex his apparet, Verba hæc Defectiva facile posse confundi, ita ut sæpe hujusmodi Defectiva occurrant, de quibus dubites, num eorum thema fit secundæ, vel tertię, vel quintæ, vel sextæ Conjugationis; cujus rei causam hic paucis ostendam. Nam eâ cognitâ hæc vobis longe clariora fore credo.

Omne Defectivorum genus literam deficientem compensare solet, literam secundam vel tertiam thematis geminando. Ex. gr. בָּזָא secundæ Conjugationis est, et significat *prædari*; sed sæpius אֶ omittitur, ejusque loco duplicantur media, fitque בָּזָז vel בָּזוּ. Sic etiam Verbum secundæ Conjugationis זָכָה significat *purum esse*; sed sæpius loco הָ duplicantur media, fitque זָכַךְ, unde fit, ut hoc Verbum jam tertiam Conjugationem, jam geminantia imitetur, ut סָלַךְ et סָלַסַל, חָרַךְ et חָרַחַךְ, et ut Verba geminantia Infinitivum tertię etiam imitentur, ut שָׁמוֹת *desolare* pro שָׁמוֹם vel שָׁמוּ, חֲמָה *calefieri* pro חָמוֹם vel חָמוּ, et sic alia. Sic etiam Verbum quintæ יוֹם significat *cogitare, deliberare*; sed sublato י compensatur per וָמָם, ut et חָמוּם vel חָמוּ pro יחָמוּ *calefieri*, et רוֹךְ pro ירוֹךְ *spuere*, etc.

Unde fit ut Verba hæc geminantia quintam etiam Conjugationem imitentur. Sic Verba sextæ tertiam thematis geminando; pro שׂוּךְ fit שׂוּכָךְ *tegere*, et pro מָם *liquefieri* fit מָמִם vel מָזִם, et צָר *ligavit* fit צָרֵר. Et hinc fit, ut sextam etiam Conjugationem imitentur (qua de re vide etiam, quæ Cap. 25. in fine notavimus), et vice versa illa hæc geminantia, eorum præfertim Intensiva, quæ etiam non raro primam thematis, ut hæc geminantia solent, duplicant. Nam פּוֹרַר Intensivum habet פּוֹרֵר et פּוֹרֶר. Atque huc referenda etiam sunt Defectiva primæ ג. Nam pro נָאָר *execrari* fit אָרֵר *maledicere*, ut ex נָקַב *pronunciare* fit קָבַב, et ex נָצַל fit צָלַל; unde futuri tertia pluralis fœminina habet תִּצְלִינָה et תִּנְיִנָה *tinnient*, et sic pro נָשַׁם fit שָׁמַם *desolare*, et ad hunc modum alia; unde fit, ut hæc geminantia, et omnia Defectiva jam hanc, jam aliam Conjugationem imitentur: quod hic hujus linguæ studiosos monere operæ pretium duxi. Nam his notatis poterunt certa methodo, et absque hæsitatione, omnia defectivorum Verborum themata investigare.

CAP. XXXII.

De Verbis Deponentibus, et de Verbis Quadratis, et obiter de compositione Verborum, Modorum, et Temporum.

Deponentia duo vel tria tantum dantur simplicia, nempe נִשְׁבַּע *jurare*, נִלְחַם *pugnare*, et forte etiam נִשְׁעַן *fulsum esse*. Dico expresse *simplicia*, nam intensiva, vel derivata, vel reciproca nulla dantur, quæ formam Passivi, et Activi significationem habeant. Et ideo נִשְׁבַּע *jurare*, derivatum habet הִשְׁבִּיעַ *jurare facere*, cujus tam significatio quam forma est Activa.

Verba præterea, quæ pluribus quam tribus constant literis, plura numerantur, quam ego probare auderem; ut sunt פָּרַשׁ pro פֹּרֵשׁ *expandens* (vide Jobi 33. v. 9.), et יִרְמָסְנָה pro יִכְרַסְמָנָה *conculcabit eam* (vide Psalm. cap. 80. v. 14.), et מָחַרַּר pro מְכַרְבֵּל *indutus* (vide Paral. cap. 15. v. antepenult.). Nam hoc ultimum formatum

videtur ex nomine Chaldæo כַּרְבֵּלְחָא, quod significat *pallium*, vel *pileum colore rubeum*, vel *galli gallinacei cristam*. Priora autem vitia exemplarium esse, mihi facile persuaderem. Nam non nisi semel occurrunt, nec ullum primitivum novimus, ex quo deriventur, et Verbum, quod communiter ea significatione usurpatur, videntur referre.

Sed his conjecturis omiffis, hoc in genere notemus, nulla * observari Verba, quæ præter characteristica Verbi, Temporis, vel Personæ plures quam tres literas habeant, nisi intensiva, quæ ex Nomine aliquo substantivo vel adjectivo formantur (diximus enim supra Cap. 16., hæc Verba tam ex Verbo simplici quam ex Nomine formari). Ex. gr. ex חֲצֹצְרָה *tuba* fit חֲצֹצֵר *tuba clangere*, ut ex חֲמֻרְמֵר diminutivum [*sc*] ex חֲמֵר fit חֲמֻרְמֵר *lutulentus factus est*. Sic ex יְפִיפָּה diminutivum ex יָפָה *pulchra*, fit יְפִיפִית *pulchrior factus es*. Quæ ex monosyllabis formantur, intensiva geminantium, vel sextæ Conjugationis imitantur, קִיר *parietem demoliri*, quod formatur ex קִיר *paries*, sicut שְׂרַשׁ *eradicare* ex שְׂרֵשׁ *radix*. Qua de re vide Cap. 16. Sed de his fatis.

Supereft, ut, quæ ad Verborum Conjugationem spectant, absolvam, pauca de Compositis addam. Verba composita a Grammaticis vocantur illa, quæ ex duobus Verbis diversæ Conjugationis, vel ex duobus ejusdem thematis, vel quæ ex Nomine, Participio, et Verbo componuntur; quibus præterea addere solent alia, quæ simul duos modos, vel duo tempora exprimunt. Ex. gr. quintæ et sextæ Conjugationis duo composita reperiuntur, nempe הוֹשֵׁבֹתִי, quod componitur ex יָשַׁב, *sedere*, et שׁוּב *redire*, alias deberet esse vel הוֹשֵׁבֹתִי ex יָשַׁב, vel הוֹשֵׁבֹתִי ex שׁוּב; alterum est הִיטִיבֹתִי, quod componitur ex יָטַב et טוֹב *bene esse*, quod alias deberet esse vel הִיטִבֹתִי ex יָטַב, vel הִיטִיבֹתִי ex טוֹב. Primum duos sensus simul exprimit, et ambos indicare Propheta voluisse videtur; at secundum quoquo modo sumatur idem exprimit; ideoque non dubito, quin

* Bruder. — Ed. Pr., Paulus: *nonnulla*.

nobis alia quintæ et sextæ Conjugationis Verba ad hunc modum componere liceat.

Sed præter hæc alia Grammatici notant, partim ex ignorantia, partim exemplarium mendis decepti, ut (Jer. 22. vñ. 24) אֲתִקְנֶה, quod putant compositum esse ex נָתַק *evellere* et תִּקַּן *adaptare*, cum tamen נ ante affixum in futuro non raro abundet. At (Jer. 15. vñ. 10.) מְקַלְלוּנִי pro מְקַלְלֵנִי sane vitium festinantis calami videtur. Et ad hunc modum, sed maxime ex ignorantia, plura notant composita ex duobus ejusdem thematis Verbis; ex. gr. נִבְפֵּר *dabit se expiandum*, נִסְרוּ *dabunt se disciplinandum*, et נִשְׁוּהָ *aqualis facta est*, composita esse credunt ex Passivo simplici et reciproco; quia reciproci Passivum plane ignoraverunt, ut jam Cap. 21. ostendimus. Sic יוֹלְדָהּ, יוֹשְׁבָהּ, שֹׁכְנָהּ et מְקַנְנָהּ composita ex Participio et Præterito absque ullo fundamento putant. Nam quisnam ipsos docuit Participium non posse ut Præteritum terminari, et pro יוֹשְׁבָהּ non posse dici יוֹשְׁבָהּ; at מְשַׁחֲוִיחִים pro מְשַׁחֲוִיחִים (Ezech. cap. 8. vñ. 16.) vitium sane festinantis calami videtur. Compositum denique ex Præterito et Futuro notant תְּבֹאֵי pro תְּבֹאֵי, nec vident, quod hujus Futurum הּ paragogicum ob additam syllabam in ת mutet, ut jam Cap. 27. monuimus. Sed nolo studiosos similibus delassare, sed contra monere, ne de his multum sint solliciti.

CAP. XXXIII.

De Nomine Participio.

Participia Adjectiva sunt, quæ actionem, vel omne quod Verbo significari solet, tanquam rei affectionem vel modum cum relatione ad tempus exprimunt. Unde fit, ut tot Participiorum, quot Verborum dentur genera; nempe simplicia, intensiva, derivata, et reciproca, eaque tam Activa quam Passiva.

Formantur autem ex suis Verbis hoc modo. Nempe simplex פִּקֵּר formulam etiam פִּקֵּר habere, et Participium eam sibi vindicare diximus. Est itaque Participii simplicis masculinum פִּקֵּר et cum י

paragogico פִּוּקְרִי, foemininum פּוֹקְרָה, פּוֹקְרָה vel פּוֹקְרֶת, et cum י paragogico פּוֹקְרִי. Ex Passivo deinde נִפְקָר fit masculinum נִפְקָר et cum י paragogico נִפְקְרִי; foemininum נִפְקָרָה vel נִפְקְרֶת.

Ex Intensivo פִּקֵּר fit masculinum מִפְקָר, foemininum מִפְקָרָה vel מִפְקְרֶת; et ex ejusdem Passivo פִּקֵּר fit masculinum מִפְקָר, etc., vel פִּקֵּר, foemininum פִּקְרָה vel פִּקְרֶת vel פִּקְרֶת, etc.

Sic ex derivato הִפְקִיר fit masculinum מִפְקִיר, foemininum מִפְקִירָה; et ex ejusdem Passivo הִפְקִיר vel הִפְקִיר fit masculinum מִפְקִיר vel מִפְקִיר, etc.

Et denique ex reciproco הִתְפַּקֵּר fit masculinum מִתְפַּקֵּר, etc. Reciproci passivi nullum exstat Participium præter מתְנַאֵץ, vel (compensato ת per dagefch) מְנַאֵץ; cujus characteristica מָתָּה formam Activi, et Verbum נִאָץ formam Passivi habet contra communem hujus Verbi usum (de quo vide Cap. 21.), et ideo de eo nihil statueri audeo.

Participia præterea simplicia, quæ ex Verbis neutris formantur, Infinitivi formulam פִּקֵּר usurpare solent, ut יָשָׁן *dormiens*, דָּבַק *adhærens*, etc.

Participia deinde Passiva simplicia sæpius ex suo Activo formantur, fitque ex פִּקֵּר (mutando gholem in ו) פִּקֹּר *visitatus*. Sed hæc sæpius in Adjectiva degenerant.

Atque hæc voco Participia, quatenus modum significant, quo res aliqua in præsentis affecta consideratur. Verum hæc ipsa non raro in pura Adjectiva rerum attributa significantia degenerant; ex. gr. סוֹפֵר Participium est, quod significat *hominem numerantem*, hoc est *qui jam in numerando est occupatus*, sed plerumque ut attributum absque ulla ad tempus relatione usurpatur, significatque *hominem, qui officium habet numerandi*, nempe *scribam*, Sic שׁוֹפֵט significat *hominem, qui in judicando est occupatus*, at plerumque attributum est hominis, qui officium habet judicandi, hoc est, idem valet, quod apud Latinos *Judex*. Sic Participium Passivum נִבְרָר (*electus*, hoc est, *homo vel res, quæ jam actu eligitur*) sæpius attributum est rei *præstantis*,

videlicet rei omnibus eligendæ; et ad hunc modum Participia intensiva, et reliqua, sæpe in attributa, hoc est, in Adjectiva, quæ nullam ad tempus habent relationem, degenerant.

Ex numero deinde Participiorum secludenda etiam credo simplicia, quibus præpositum est מ, ut sunt מְשׁוּפֵט *judicator*, מְלוּשֵׁן *lafor lingud*; nisi potius statuere velimus, quod simplicia, ut intensiva et reliqua, characteristicam ׀ habuerint, et quod posteri idem in simplici neglexerint; vel forte Participia intensiva sunt ex simplici formata, idque quia eorum themata intensivo carent Verbo. Hæc de Participiis in genere, deque iis, quæ ex Verbis primæ formantur.

Ex Verbis secundæ formantur masculina, ut præcedentia; at fœminina geminum segol non habent, sed ׀ ut plurimum quiescit, et loco מְצַח, מְצַחָה, etc. fit מְצַחָה, מְצַחָה, etc. At simplex est etiam מְצַחָה.

Solent præterea hujus Conjugationis Participia ׀ negligere, et absolute ea omnia patiuntur, quæ eorum Verba pati diximus.

Participia tertia sæpius pro ׀ habent segol, ut גְּלָהּ; fœmininum vel ה negligit, ut גְּלָהּ pro גְּלָהּ, vel idem in י, et ׀ in ghirek mutat, ut פְּרִייה *fructificans*.

Adjectiva hujus et secundæ Conjugationis, quæ formam פְּקוּד imitantur, mutant ׀ vel ה in י, ut מְצוּי *existens* vel *inventus* ex מְצַח, et גְּלוּי *manifestus* ex גְּלָהּ. Nec opus habeo omnia uniuscujusque Conjugationis Adjectiva hic sigillatim notare, quandoquidem Verborum, ex quibus formantur, regulas sequuntur.

Quæ ex Verbis, quorum prima est ׀, formantur, formam Verbi imitantur; hoc est, si præteritum ׀ thematis careat, eodem etiam Participium carebit, et contra, si Præteritum analogum fuerit, erit etiam Participium analogum. Ex. gr. Activum simplex גָּשׁ Præteritum habet גָּשׁ, et Participium גָּשׁ, utrumque scilicet analogum; at reciprocum גָּשׁ Præteritum habet גָּשׁ, et Participium מְגָשׁ, utrumque scilicet defectivum. Quæ vero ex defectivis geminantium formantur, Activum simplex regulare habent מְרַבּ; at reliqua Præteritum imitantur Verbi. Nempe ex Passivo simplici נִסְבּ fit masculi-

num נָסַב, ſcemininum נִסְבָּה, et ex Intenſivo סָבַב fit מְסַבֵּב, et ex סָבַב fit מְסַבֵּב, et ſic ex derivati Præterito הִסֵּב fit מִסֵּב, et ex הוֹסֵב fit מוֹסֵב, et denique ex reciproco הִסְתַּבֵּב fit מְסַתַּבֵּב. Cæterum flexio Participii ex ſingulari in pluralem communes Nominis ſequitur regulas, de quibus vide Cap. 6.

Reliqua deſiderantur.



APPENDIX EPISTOLÆ XLIX (pag. 183).

EPISTOLA
de morbo obituque

D. CARTESII.

Ex apographo J. G. Grævii manu facto, quod Lugduni Batavorum est.

Vir Amicissime, Amicorum optime,

*Iterum de amico nostro D. Moucherone, sed tria solum verba. Omnino oportet, solum illum, sine uxore, sine familia Sereniss. Regi-
nam meam visere, præsentemque cum amicis in rem suam consulere:
est enim qui prolixè S. Regina studia sua et industriam in hoc negotio
offerat. Sed tamen nihil obtinebit, licet forte etiam aliorum Heroum
remis naviget, antequam S. Regina vel ipsum Moucheronem viderit,
vel per litteras, quæ ipsi stet sententia menti, intellexerit; idque
S. Regina nomine nunc notum ei facio.*

*Scis, ante plusculos menses Cartesium S. Reginam salutatum in
Sueciam venisse. Is heri antelucana funesta peripneumonia confectus
animam efflavit, tantoque, si Dis placet, Philosopho indigna cata-
strophe vita fabulam clausit. Primo morbi biduo profundo somno
sopitus Rheumatismo se distineri putabat, nil interim vel cibi vel
potus vel medicinæ sumens. Alterum biduum infomnis planeque irre-
quietus egit, vitæ remediique aque abstinens. Divertat D. Carte-
sius ad Ex. Dom. Chanut legatum Gallicum, virum litteratum et
gravem; rogabat is instabatque apud ægotum, accersî me, valetu-
dinisque suæ curam habere pateretur; verum ille iterum iterumque*

obstinate negare, contraque, non adeo se Medicina rudem, ut aliena manu sibi sit opus, pertendere. Quare, cum periculum in mora esset, et S. Regina vel invito rationem haberi vellet, jussu ejus Cartesium accedo, operamque, quanta in me est, quam humanissime offero. Admittor, quamvis etiamnum agre; verum paucis sermonibus ultro citroque habitis, cum de morbi natura deque remedii genere idem non sentiremus, sine fructu discessi. Venæsectionem adeo, contra gentis suæ morem, metuebat, ut ad solam ejus mentionem exhorresceret et bis in hæc verba erumperet, Mrs. espargner [sic] le sang francois, tertiumque biduum πονασμῶ dari peteret. Ego interim cogitabam, invitum qui servat idem facit occidenti*, cumque instantis mortis non jam σημεῖα, sed ἀναμφισβήτητα τεκμήρια se proderent, manum libenter a morituro abstinere. Elapso deinde tertio biduo, falli se jam et febre teneri querebatur, eaque ex alloquio meo, paucorum licet verborum minimeque contentioso, oborta. Nim. non habui febrem, Symmache, nunc habeo**. Exfolvi mox brachium, sanguinemque ter eadem die detrahi sibi, satis pro attritis viribus copiose, jubet. Oðava die singultus, sputa nigra, respiratio μετώπος, oculi vagi, omnia funesta. Ille vinum postulat quod infusum haberet Tabacum, vomituum hostem exturbaturus; et mos erat gerendus, nisi in furorem plane conjicere voluisses hominem obstinatum, ita tamen moderato consilio, ut vino aqua diluto levis sola immersione tabaci odor afflaretur, ne obesse magnopere posset remedium, alias in hoc affectu tantum non occidere natum. Ego interea post carecta latebam***, et ex urina δεινὸν βλίπων tanquam anus fatidica mortis auguria canebar. Nemo omnia difficilia. Decimo summo mane Deo animam reddidit; ita spero voveoque, quamvis, si scripta ejus diligenter examines, Theologus quidam pro nuper Atheismi crimen illi objecerit. Illud imprimis mirandum in eo fuit, quod cum ipse D. Legatus ex eodem prorsus morbo decumberet, idem Cartesius me inconsulto ne minimum quidem agro fieri passus esset, singulaque remedia præsens levamen afferre vidisset, adeo tamen ab omni medicina et medici consilio toto morbi decursu alienus fuerit, ut ne aspectum quidem meum nisi semel sustinuerit, dicereque,

* Horat. A. P. 467.

** Martial. Epigr. V. 9.

*** Virgil. Ecl. III. 20.

que s'il ne me voyoit point *, non erubuerit. Nunc mente fuisse motus, nec quicquam sani, nisi sub finem vita, de morbi sui more et modo protulisse dicitur; valde caute, ut recuperata sanitatis laus soli agro, commissi erroris fœditas morbo imputaretur. Ego tamen potius sanæ ipsum mentis deliria decepiſſe crediderim; deliravit enim sæpe in vita, adeo ut σοφόν τι etiam minime hebetes in ejus commentis vix inveniant. Audit sane ille passim vir magnus, sed tamen ego homuncio nolim me sic laudari, et tam magnis ausis ejusmodi colophonem imponere. Verum non decet fortassis tenuitatem meam virgula censoria configere virum incomparabilem; nescio enim cui comparem, adeo ille in fatuo hoc philosophandi modo palmam meretur. Quare, ut de cunctis ille sapientiam hæcenus professus male meruit, ita debitum illi decus posteritatem rependere facile patior. Verbum nec amplius addo; parum enim abest quin serio irascar tam protervis ingeniis.

Vale, amicorum præcipue, cunctosque, quibus Wullenii meminisse dulce est, plurimum a me salvere jube; sub quo catalogo quos complectar, quid opus est semper repetere? Quamvis forte perpauci sint, modo boni, modo fidi, nil ultra moror; qualem æstimare habereque te perpetim non desinet

T. Devinçiff.

JOAN. A WULLEN **.

NB. *Has literas Regina legendas tradi sibi voluit, antequam mitterem; scire enim volebat, quid super obitu Cartesii ad amicos meos scriberem; perlectis jussit serio caverem, ne in alias manus venirent, tum propter legatum, ne quid offensionis ex iis caperet, tum ne*

* Lege: que s'il devoit mourir, il mourroit avec plus de contentement, s'il ne (me) voyoit point (Baillet, Vie de Monsieur Des-Cartes, II, 418).

** Joannes a Wullen Amstelodamensis viginti annos natus d. 30 m. Maji a. 1629 inter studiosos Academiæ Lugdunobatavæ nomen dederat. Christinam reginam anno 1654 Bruxellas secutus, paulo post in Sueciam reverſus est, teste H. Vossio in Burmanni Sylloge Epist. III. 677.

inimicis Cartesii per nos calumniandi ejus materia traderetur. Quare pralegendi quidem eas aliis potestatem sibi facio, ista conditione, ut neminem earum facias Dominum, quod enixe per amicitiam nostram et fidem tuam te obtestor.

1 Februar. 1650. S. V. Stockholm.

*Hæc epistola data erat ad D. Pisonem *.*

* Gulielmus Pifo Leidentis, anno 1610 aut 1611 natus, patre ut videtur Hermanno medico, ipse artem exercuit apud Joh. Mauritium Nassoviæ comitem, quocum ab anno 1636 ad 1644 in Brasilia ejus provincia degit. Anno 1645 d. 4 m. Martii denuo in Album Academicum relatus, triennio post *de Medicina Brasiliensibus* libros IV emisit, partem nempe Historiæ Naturalis Brasiliæ a Joa. de Laet editæ. Amstelodami inde ab anno 1655 Collegii Medici Inspectorem egit; denique anno 1658 prodire *G. Pisonis de Indiæ utriusque Re Naturali et Medica libri XIV.*

In Cartesii Vita anonyma quam scripsisse constat Adrianum Baillet (Paris 1691, II. 417 in marg.) laudatur „Lettr. MS. de *Weulles* à Guillaume Pison du 11. Févr. [novi styli] 1650“: quam nominis formam e Gallorum relationibus MSS. manasse in aprico est. In libro J. Millet c. t. *Descartes, son histoire depuis 1637, etc.* (Paris 1870) nescio quo auctore rectius *van Wulen* legitur. Attamen ipsam epistolam, cujus notitiam Bailletus Grævio nostro debuisse videtur (I. *Præface*, p. xxvj), post illum a viris doctis inspectam esse haud apparet.

Op

to
de
my
at
be
na
u
di
ge
pe
re
te
ge
que
que
ka
nis
nan
my
don
die
ge
nd
dat
ge
mo
loop
will
belen
dat

voor
te



Monica S

Monica
aff
tall
pro
si
cog
lar
ind
seri
im
per
~~—~~
de
Dica
vare
ver
na
re
se
com
hac
com
hala
fab
gum
vri
muc
vob
vite
ante
car
ora
pop
veri
vira
pro
gum
gum
ora

1



Ms. 51

•

